

Eques Petrus Leo Ghezzi inv. et delin. | Hieronymus Frezza Sculp.

CLEMENTIS UNDECIMI PONT. MAX.

EPISTOLÆ, ET BREVIA SELECTIORA.


ROMÆ MDCCXXIV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Superiorum Permissu, et Privilegio.

TOMUS PRIMUS

Epiſtolas, & Brevia ſelectiora
Complectens,
Quę ad primum Pontificatus decenniũ
Pertinent,
Iuxta temporis ordinem
Diſpoſita.



...ys Petrus Leo Ghezzius inv. et delin. *Hieronymus Frezza Sculp. Romæ Sup. per.*

EMIN.^MIS, ET REV.^MIS PATRIBUS

In Sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium

A CLEMENTE XI.

P O N T. M A X.

COOPTATIS,

Dominis ſuis Colendiſſimis.



Eq. Petrus Leo Ghezzius Inv. et delin *Hieronymus Rossi incid.*

Annibal Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Albanus S. R. E. Camerarius perennem felicitatem.

DUBITANDUM mihi diù non fuit, Eminentiſſimi Patres, cujus potiſſimùm Nomini hanc Epiſtolarum, Breviumque Selectiorum CLEMENTIS XI. Summi Pontificis amantiſſimi, beneficentiſſimique Patrui mei Collectionem, quam nuper diſponendam, typiſque mandandam curavi, dicare deberem. Quidquid enim laudis Catholicus Orbis, ac eruditi præſertim, probique Viri Operis Authori rependent, optimè intelligebam ad Vos ipſos meritò redun-

dare, qui ab eodem Authore amplissimam, qua inter cæteros Christianæ Reipublicæ Principes eminetis, Dignitatem accepistis. Me præterea minimè fugiebat ipsam Collectionem peculiari jure ad Vos pertinere; quandoquidem pars non exigua Brevium, quæ complectitur, quibusdam ex Vobis præmissa est, vel inscripta: nonnullis alia pars opportunam, & vel Orthodoxæ Religioni, vel Apostolicæ Sedi, vel Christiano Populo salutarem debet executionem: plurimis autem reliqua pars additam apud Summos Principes vim, & efficacitatem acceptam refert. Nec leviori sanè incitamento mihi fuit ipsa, quæ in Vobis mirificè elucet, egregia Virtus, ac eruditio. Cùm enim ab ultima antiquitate Viris sapientissimis visum fuerit Opera non esse inscribenda, nisi ei, qui intelligens talium rerum, ac peritus fuisset: nec non de unaquaque re judicium non aliis certiùs, meliusque committi, quàm ejusdem rei peritis hominibus, (nam qui intelligunt Artes mirantur, & venerantur Artifices) ut conquisitiùs eligerem, frustrà mihi putavissem hærendum. Compertum insuper, exploratumque mihi erat quantùm utilitatis, ac ornamenti ex constanti vestra benevolentia, validoque præsidio mihi, Gentique meæ possit obvenire. Quocirca ut jure culpanda fuisset rei maximè necessariæ incuria, ita planè decebat, ut avidiùs arripere non prætermitterem quidquid Vos impellere potest ad eam mihi non immeritò concedendam.

Ad tam honorificas, congruentes, & mihi commodas causas, rationesque consilii mei, quas ingenuà, & syncerà fide Vobis duxi aperiendas, accessit publicum Ecclesiæ compendium, quo in primis me moveri non diffiteor, quodque ex æquo partimur Omnes, quotquot sumus; tum etiam Sedis Apostolicæ decus, cujus profectò majestas tantò splendidiùs emicat, atque coruscat, quantò manifestiùs non hujus solùm nostræ, verùm etiam remotissimæ ætatis hominibus, ut mihi quidem spes affulget, in Clemente XI., insignem doctrinam, excellentem facundiam, vividum ingenium, peracre, solidumque judicium, indefessam Pastoralem solicitudinem, summum pietatis, Religionisque studium consecuto, suspiciendum exhibemus augustum, eximiumque Catholicæ Ecclesiæ Caput, & Parentem, quem Divina Providentia suis ipsa manibus elaborans, ut difficillimis, gravissimisque temporibus Pontificatus sexcentis maximi momenti controversiis implicati par esset, æneo pectore, & adamantinà prorsùs fortitudine communivit.

Et

Et ſanè cuinam juſtiùs, & congruentiùs conſecrare poteram præcipuam Operum partem Sanctiſſimi Patrui mei, quàm Vobis, à quibus, ceu vivis, & animatis Operibus, longè præſtantiùs, & honorificentiùs, nedum ex æquo, Nominis ejus numquam interitura memoria repræſentatur, & ob oculos omnium ferè ponitur. Domicilium Imperii, Religionis, & Sanctitatis Roma, cui vix aliquid mirum accidit, ac inſperatum, jam demirata fuerat ſingularia decora, & ornamenta eorum, qui in Aulâ Pontificiâ verſabantur, cum in ampliſſimum noſtrum Ordinem à Clemente XI. cooptati fuere. Sed non minorem auguſtiſſimæ Civitati moverunt admirationem nonnulli alii pietate, doctrinâ, ardenti Catholicæ Religionis zelo, æquè conſpicui, ac eminentes, cum hùc confluxiſſent, ut in Vaticanis Comitiis Sanctiſſimo Pontifici è terris ad Superos evocato dignum deligerent Succeſſorem. Ita enim virtutum, quæ in ipſis enitebant, ſplendor omnium oculos perſtrinxit, ut nemo planè de Unoquoque, & Clemente dicere dubitaret id, quod de Trajano, & Nerva Plinium ſcripſiſſe legimus: *Dignus erat alter eligi: alter eligere.*

Ad veſtra autem præclara merita quantus gloriæ, dignitatis, & commendationis cumulus acceſſit, cum Beatiſſimum Patrem INNOCENTIUM XIII. Eccleſiæ clavum feliciter tenentem, & Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula maximâ cum laude, ſuaviſſimâque cum quiete tractantem, unum è Vobis, Clementi XI. conſtituere licuit Succeſſorem! Quàm ſcilicet illuſtre, & honorificum hoc fuit ſolertis providentiæ ſapientiſſimi Pontificis argumentum!

Quid ergò mihi orbato tam ſancto, validoque Defenſore, Patruo, ac Patrono enixiùs, vel optatiùs in votis eſſe poteſt, niſi ut Vos, Patres Eminentiſſimi, Deus Optimus Maximus ſoſpites diù ſervet, & incolumes, qui poſtquam humillimè oblatum Opus conſuetâ benignitate exceperitis, me ſummoperè Vobis addictum, deditum, obſtrictumque, & meos omnes ſtudioſiſſimæ, nec unquam defuturæ erga Vos reverentiæ plenos, veſtram in fidem, & clientelam recipere, perpetuoque patrocinio tueri non dedignemini.

PRÆ-





[illegible] Inv. et delin. Fran. Aquila incid.

PRÆFATIO

AD ERUDITUM LECTOREM.

*E*Ditis ante hac Operibus CLEMENTIS XI. *ſanctæ, ac immortalis memoriæ Summi Pontificis adjicitur iſta, quæ modò publicam lucem aſpicit, Epiſtolarum, Breviumque, ut vocant, Selectiorum ordinata Collectio, in qua concinnanda non mediocrem adhibuimus circumſpectionem, & diligentiam. Illis etenim prætermiſſis, quæ plenam officii, aut liberalem dumtaxàt gratificandi voluntatem præſeferebant, ea ſolùm typis mandata ſunt, quæ niſi publicata fuiſſent, nedum veram plurium maximi momenti negotiorum ſeriem, ſed etiam res plurimas ad univerſam Eccleſiam, privatamque memorati Pontificis hiſtoriam pertinentes æterna oblivio oppreſſiſſet. Verùm ne hanc quidem ipſam Collectionem, ut adornata fuerat, integram prælo committere licuit; cum multa, eaque forſan luculentius exarata Brevia, tum etiam Epiſtolas non paucas graves, & fortes, ne cujuſquam offenſionem, aut invidiam ſubiremus, è medio tollere, alia inſuper Brevia, ac Epiſtolas politicis concedere rationibus oportuerit; Quæ ſi emiſſa fuiſſent, præſtantiori certè modò, quàm in præſens edita, extra communem aleam poſiti Viri acerrimam, ac penè divinam ani-*

mi

mi vim, & flagrantissimum Orthodoxæ Fidei promovendæ, Ecclesiasticæque Libertatis tuendæ studium notum omnibus facerent, atque testatum. Ex iis tamen, quæ è magnâ mole selecta vulgantur, satis deprehendes, amice Lector, Pontificis verè Maximi doctrinam, prudentiam, justitiam, zelum, ac invictum mentis robur; adeòque confidimus Te facilè in eam iturum esse sententiam, ut singulæ propemodum Illius Epistolæ, & Brevia, ac illa præsertim, quibus Romanæ Ecclesiæ Jura defendit, (a) *quasi totidem fortissima (quod olim de S. Nicolai I. Epistolis dictum fuit) Sedis Apostolicæ munimenta esse videantur.*

Mirum fortasse Tibi accidet exiguum adeò Epistolarum Italico sermone exaratarum numerum huic Collectioni fuisse insertum: cum universo propemodum Orbi exploratum sit CLEMENTEM XI. *plurima quotidiè manu scribere consuevisse. Scias itaque paucas tantùm Literas post gloriosum ejus interitum nostras ad manus devenisse: illas nimirum, quas extremo Pontificatus sui tempore Familiarium accurata diligentia servavit; quæ verò ad priores annos spectant, vel ab informibus schedis non sinè multo labore excerpere, vel à plurimis variæ conditionis, ac ordinis hominibus, apud quos latitabant, exquirere necesse fuit. Hinc porrò cuique satis perspectum erit, quanti Princeps modestissimus faceret scripta sua; id enim profectò non evenisset, ubi ad studium captandæ à suis fœtibus gloriæ propensior extitisset. Illud autem Te monitum volumus, candide Lector, Pontificem Optimum in his ipsis Epistolis secutum esse orthographiam communem, & plerisque Italis probatis Scriptoribus usitatam; tum etiam scribendi genus facile, purum, dilucidum, sensuum efficaciâ, & pondere magis, quàm verborum pompâ, atque splendore commendatum: quod ejusmodi genus rerum tractationi aptius, & Pontificiæ insuper gravitati convenientius arbitraretur. Cæterùm Ipse Academiæ Florentinæ leges, quibus Itala Lingua re verâ plurimùm exculta est, ac expolita, optimè noverat, & quotiescumque oportere censuit, diligentissimè custodivit, ut ex Orationibus ab Eo habitis, dum Præsul esset, in celebri Academia Christinæ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginæ, atque etiam alibi, quæ aliquandò publicam forsan aspicient lucem, abundè colligitur; in illis enim Etrusci sermonis nitorem, & elegantiam, politioremque simul orthographiam minimè desiderari nemo negaverit.*

Non levem ex hoc Opere ad Historiam Ecclesiasticam Sæculi post Christum natum decimi octavi aut componendam, aut illustrandam, fructum perceptum iri arbitramur, eaque non ultima sanè causa fuit, cur editionem maturaverimus. Quamvis enim à Nobis, ut præmonui-

(a) Proprium SS. Basil. Vatic., & S. M. M. in 2. lection. 13. Novembr.

mus,

mus, magnoperè detruncata, plurimis tamen maximi momenti negotiis lumen afferet, & qua ratione suscepta, quomodò gesta, quem denique habuerint exitum, luculenter ostendet. Ab Innocentii III. temporibus ad hanc usque nostram ætatem non alia certè Epistolarum, Breviumque ab uno Pontifice conscriptorum Collectio typis impressa cernitur: idque ex eo provenisse credimus, quoniam multa, quæ insociabilia penè videntur, sociari necesse erat: nimirùm Pontificem doctum, strenuum, actuosum, excelsâ mente, robustâque ætate florentem: deindè Imperium diuturnum: postremò Sæculum magnorum casuum, atque memorabilium ferax. Quæ planè omnia simul juncta, Clemente XI. *sedente, conspeximus. Quocirca Collectionem hanc nostram eo etiam peculiari nomine gratiorem cuique fore speramus, quò rariora ejusmodi argumenti volumina Eruditorum manibus versantur.*

Multa quidem tristia, Clemente XI. *Pontifice, propter acerbitatem temporum evenerunt, quæ nullo humanæ prudentiæ consilio averti potuerunt, aut declinari. Ipsa tamen aspera, & planè iniqua temporum conditio, quæ ejusmodi mala invexit, amplificandæ Sanctissimi Pontificis gloriæ, cumulandisque meritis famulata est; cum Illi exercendæ eximiæ suæ virtutis amplum præbuerit campum, & Ipse nullis fractus laboribus, nullisque territus periculis, aut damnis, Ministerium suum sedulò, atque constanter usque ad obitum implere non prætermiserit. Quamvis autem ex consiliis, scriptisque suis non semper optatum fructum, expectatumque retulerit, haud propterea eo honore, ac laude, quæ rectè, sapienterque agentibus debetur, fraudandus est, eique usurpare licet memoranda illa S. Bernardi verba* (a) Laboravimus quantùm potuimus ..... etsi minùs impetravimus, quod optavimus, manet tamen Nobis fructus laboris nostri apud Eum, apud quem nullum bonum irremuneratum est. Hæc est ergo nostra, & omnium, qui pro veritate decertant, consolatio vera, quoniam reposita est Nobis corona justitię, quam reddet Nobis in illum diem justus Judex. De cætero jam meminisse vos volumus, quoniam, si quid patimur propter justitiam, beati, & quòd Nos non inquinat alienum malum, cui non consensimus, imò & redarguimus. *Hæc sunt, quæ de nostra editione præfari visum est. Utere, erudite Lector, & vale.*

(a) Epist. 360., quæ est ad Vuillelmum Abbatem de Rievalle.

INDEX

Eorum, quibus Epistolæ, & Brevia conscripta sunt, cum uniuscujusque argumentis.

damnat

damnat, ac improbat, eidemque Archiepiſcopo duorum menſium terminum præſcribit ad Eccleſiaſticam Immunitatem redintegrandam, ſuaſque erroneas propoſitiones retractandas: Elapſoque termino, niſi paruerit, ipſum ab exercitio Pontificalium, & cujuſvis Eccleſiaſticæ juriſdictionis ſuſpenſum declarat. p.399.

Eidem.

Argum. Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum laudat, quòd Pontificiam authoritatem aduersùs ſecularis poteſtatis licentiam in ſua Diœceſi fortiter tueri paratus ſit, & Regem Catholicum ad æquiora conſilia reuocare omni ſtudio conetur; Utque id ipſum apud Majeſtatem Suam urgere pergat, ab eo vehementer expoſcit. p.599.

ARCHIEPISCOPO
Cameracenſi.

Argum. Archiepiſcopo Cameracenſi reſcribit perjucunda ſibi accidiſſe ea, quæ de Conſecratione Archiepiſcopi Colonienſis S. R. I. Principis Electoris, ejuſque optimis conſiliis, & iuſtitutis Suæ Sanctitati nunciaverat. p.388.

ARCHIEPISCOPO
Colonienſi.

Vide Electori Colonienſi.

ARCHIEPISCOPO
Ebredunenſi.

Argum. Pluribus commemoratis, quæ Archiepiſcopus Ebredunenſis in Eccleſiaſticæ Immunitatis detrimentum, & Apoſtolicæ inſuper Authoritatis contemptum, attentare auſus fuerat, ipſum graviter arguit, ac ut perperàm geſta debitâ emendatione corrigere non differat, à ſimilibus de cętero abſtineat, atque interim conſcientiæ ſuæ conſulat, eum ſeriò admonet. p.393.

ARCHIEPISCOPO
Gneſnenſi.

Argum. Urgeri ab ipſo petit apud Magnum Ducem Moſcoviæ celerem promulgationem promiſſi Diplomatis pro liberâ unicuique facultate Catholicam Religionem in ejus Ditionibus profitendi. p.584.

Eidem.

Argum. Ut injurias à Moſchis Militibus Cathedrali Eccleſiæ Plocenſi, & Monachis Ruthenis S. Baſilii, eorumque Monaſteriis illatas quamprimum ſarciri diligenter curet, Archiepiſcopum Gneſnenſem enixè hortatur. p.645.

ARCHIEPISCOPO
Goano.

Argum. Expeditionem Patriarchæ Antiocheni Viſitatoris Apoſtolici ad Sinarum Imperium Archiepiſcopo Goano ſignificat, eumque ipſi diligenter commendat. p.115.

Eidem.

Argum. Audaciam nonnullorum Regularium, qui Patriarchæ Antiocheno Viſitatori Apoſtolico debitam præſtare obedientiam renuerant, damnat, ac improbat; quæ idem Patriarcha conſtituerat, ſervari decernit; & Archiepiſcopum Goanum admonet, ut ab attingendis illius Actis abſtineat, & Pontificiæ voluntati obſequatur. p.333.

Eidem.

Argum. Graviter arguit Archiepiſcopum Goanum, quòd memorati Viſitatoris Apoſtolici dignitatem, ac ſimùl Sanctæ Romanæ Sedis authoritatem publico Edicto violare auſus fuerit, eique ſub canonicarum pęnarum interminatione injungit, ut perperàm acta quamprimum corrigat, Sedi Apoſtolicæ ſatisfaciat, debitamque obedientiam præfato Patriarchæ Viſitatori præſtare non differat. p.344.

ARCHIEPISCOPO
Hiſpalenſi.

Argum. Archiepiſcopi Hiſpalenſis Paſtoralem vigilantiam, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ cuſtodiendæ ſtudium laudat. p.398.

ARCHIEPIEPISCOPO
Leopolienſi.

Argum. Archiepiſcopum Leopolienſem ſeriò admonet, atque hortatur, ut in proximis Regni Polonię Comitiis publicam tranquillitatem, ac Orthodoxæ in primis Fidei incolumitatem, & incrementa omni ope promovere contendat. p.57.

ARCHIEPISCOPO
Manilæ.

Argum. Patriarcham Antiochenum cum munere Viſitatoris Apoſtolici, & S. Sedis de latere Legati ad Sinas proficiſcentem Archiepiſcopo Manilæ enixè commendat. p.116.

Eidem.

Argum. Cum Archiepiſcopus Manilæ nunciaſſet ex fortuito quorumdam exterorum hominum ad Inſulas Philippinas appulſu detectas fuiſſe novas regiones, in quibus amplus propagandæ Evangelicæ veritatis campus aperiebatur, eumdem Præſulem hortatur, ut perſpectum zelum ſuum eâ in re palàm faciat, illarumq; animarum ſaluti diligenter incumbat. p.149.

Eidem.

Argum. Ejuſdem Archiepiſcopi zelum, & ſtudium invehendi Chriſtianam Fidem in novas regiones ab Inſulis Philippinis non longè diſſitas commendat, eumque certiorem facit de officiis, quibus Sua Sanctitas Regis Catholici pietatem ad ſanctum hoc opus ſtrenuè promovendum excitaverat. p.197.

Eidem.

Argum. Jus viſitandi Parochiales Eccleſias Regularibus ſubjectas in his, quæ ad curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, Epiſcopis competere decernit; Archiepiſcopum tamen Manilanum, & reliquos illarum Partium Epiſcopos, ut Religioſos Viros ibidem cum ipſis in Evangelio collaborantes congruâ charitate proſequantur, ac in Domo Dei ambulent cum conſenſu, paternè adhortatur. p.248.

Eidem.

Argum. Archiepiſcopo Manilæ, Electo Guadalaxarenſi, conſolationem, & lætitiam explicat ex illius literis ſuſceptam, quibus multa tum ab ipſo, tum ab aliis peracta in Inſulis Philippinis ad Chriſtianæ Fidei propagationem pertinentia nunciaverat. Ejus deindè eximium pro Catholicæ Religionis, Divinæque gloriæ incremento zelum laudat, & nonnullis ab ipſo poſtulatis benignè annuit. p.404.

ARCHIEPISCOPO
Mechlinienſi.

Argum. Quòd Conſtitutionem Apoſtolicam ad extirpandas Janſenianæ hæreſis reliquias editam debita reverentia exceperit, Archiepiſcopum Mechlinienſem laudat, ac ut eam ab omnibus illius Paſtorali Curæ ſubjectis exactè obſervari curet, vehementer hortatur. p.281.

Eidem.

Argum. Archiepiſcopo Mechlinienſi, ejuſque Suffraganeis mandat, ut ſub gravibus pęnis præcipiant Superioribus tam Secularibus, quàm Regularibus quorumcumque Locorum Sacrorum, & Immunium in cujuſque reſpectivè Diœceſi exiſtentium, ne per

raugu-

raugustanæ admonet de his, quæ peculiari epistola Archiepiscopo Cæsaraugustano præscripserat, illisque injungit, ut ad nutum Nuncii Apostolici devenìant ad electionem Vicarii Capitularis, qui tamdiù hoc officium obire debeat, quamdiù eumdem Archiepiscopum ab exercitio Ecclesiasticę jurisdictionis suspensum esse constabit. p.401.

CAPITULO,
Et Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis.

Argum. Coloniensis Capituli zelum excitat, ne exercitia hæreticæ Sectæ publicè haberi patiatur in Civitate Rhenobergæ. p.248.

Eisdem.

Argum. Audita petitione Cæsareo nomine facta Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, ut Vicarium, seu Officialem Generalem ab Archiepiscopo, & Electore Coloniensi constitutum ab Officio removerent, & alium ex gremio Capituli in ejus locum deligerent, cum facultate conferendi Canonicatus, & Beneficia liberæ collationis Ordinarii, exquisito tamen priùs consensu Administri Cæsarei: prædictis Canonicis ob oculos ponit gravissima scandala, quæ à postulata novi Vicarii electione orirentur, ac ipsos ad strenuè obsistendum ejusmodi inordinatæ petitioni vehementer excitat, Pontificiique Patrocinii pollicitatione confirmat. p.486.

Eisdem.

Argum. Eosdem Canonicos, ut conatibus Acatholici Principis damnatæ suæ Sectæ exercitia in Civitate Coloniensi peragi exoptantis, omni studio aduersentur, enixè adhortatur. p.524.

CAPITULO,
Et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis.

Argum. Primarias Preces Imperiales, secluso Indulto Apostolico, ubique rejiciendas esse luculenter ostendit. Eas insuper nequaquam admitti debere in Beneficiis, quorum collatio ad Summum Pontificem spectat, perspicuè demonstrat. Capitulum tandem, & Canonicos Hildesiensis Ecclesiæ, ut in possessionem Canonicatus ejusdem Ecclesiæ inducant Provisum Apostolicum, repulso Precistâ Imperiali, graviter admonet, ac hortatur. p.308.

Eisdem.

Argum. Capitulum, & Canonicos Ecclesię Hildesiensis hortatur ad mutuam, sinceramque concordiam diligenter fovendam, quam maximè necessariam ostendit, ut in tantâ temporum acerbitate eorum Ecclesia ab injuriis inviolata servetur. p.481.

Eisdem.

Argum. Publico vulgato rumore cujusdam tractatus de oppignorandis Duci Hannoverano Terris, & proventibus ad Mensam Episcopalem Hildesiensem pertinentibus; Capitulum, & Canonicos illius Ecclesiæ seriò admonet, vt non solùm ab omni assensu abstineant, sed etiam, quo par est, zelo ejusmodi tractationi, quæ sine magnâ Ecclesiasticæ Dignitatis, & Catholicæ Religionis injuriâ ad exitum perduci non posset, fortiter obsistant. p.440.

Eisdem.

Argum. Mittit ad Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Hildesiensis exempla literarum, quas ad Imperatorem, & alios conscripserat, ut inspiciant quo animi fervore Sua Sanctitas tractatum oppignorandi ejusdem Ecclesiæ bona Acatholico Principi impedire curaverit; præfatosque Canonicos, ut hunc ipsum in scopum consilia, & studia sua dirigant, impensè hortatur. p.452.

CAPITULO,
Et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis.

Argum. Capitulum prædictum, ut pro reparatione Ecclesiasticæ Immunitatis in Civitate Leodii multipliciter violatæ omnem operam adhibeat, enixè adhortatur. p.94.

Eidem.

Argum. Memorati Capituli zelum excitat, ut à petita nomine Cæsareo remotione Vicarii, seu Officialis Generalis ab Archiepiscopo, & Electore Coloniensi constituti omninò abstineat, & scandala, quæ ex novi Vicarii electione sequerentur, ob oculos ponit. p.487.

Eidem.

Argum. Vicarium Leodiensem jure à Divinis fuisse suspensum à Nuncio Pontificio Coloniensi ob impeditam executionem Decretorum, quæ idem Nuncius, & Visitator Apostolicus a Sanctitate Suâ Delegatus ediderat, antedicto Capitulo denunciat, ac simul acta omnia ejusdem Visitatoris Apostolici approbasse declarat. p.541.

CAPITULO,
Et Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ.

Argum. Proponit in Coadiutorem Archiepiscopi Moguntini Magnum Magistrum Ordinis Equitum Theutonicorum Electoris Palatini germanum fratrem, à quo multum utilitatis in illam Ecclesiam derivatum iri confidit. p.591.

CAPITULO,
Et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis.

Argum. Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Monasteriensis ad mutuam, sinceramque concordiam diligenter confovendam, & ad amolienda, si quæ fortè contigerint in nupera novi Episcopi Electione, dissidia, paternè adhortatur. p.378.

CAPITULO,
Et Canonicis Ecclesiæ Posnaniensis.

Argum. Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Posnaniensis graviter increpat, quòd in ea Diœcesi Lutheranis publica Templa ad abominationes suas exercendas aperire permiserint, & ad ejusmodi scandalum quantò citiùs submovendum eos vehementer hortatur. p.550.

CAPITULO,
Et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Ratisbonensis.

Argum. Capitulum, & Canonicos Ratisbonensis Ecclesiæ dignâ laude prosequitur, quod constanter obstiterint petitioni Cæsareo nomine ipsis factæ, ut submoto Vicario, seu Officiali Generali, alium in ejus locum ex gremio Capituli deligerent, cum facultate conferendi Personis Cæsari acceptis, ejusque assensu probatis, Canonicatus, & Beneficia liberæ collationis Ordinarii, Pontificiumque patrocinium pro custodiendis Ecclesiæ Juribus, & libertate, ipsis nunquam defuturum pollicetur. p.485.

CAPITULO,
Et Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis.

Argum. Officiosæ gratiarum actioni, quam Capitulum, & Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis ob plura illis tributa beneficia, ac præsertìm ob amplificatos Canonicales proventus sibi detulerant, benignè respondet, ac ipsos Canonicos, ut ejusdem Ecclesiæ cultum sedulò promoveant, & gradus dignitatem cum laude sustineant, paternè adhortatur. p.268.

su-

super moliren tur, eumdem Cardinalem à Kolonitz, vehementer hortatur, ut nullum prætermittat officium, quo Cæsaris animus ad nefarios ejusmodi conatus strenuè repellendos incendi possit. p.133.

Eidem.

ARGUM. A' prædicto Cardinali enixè petit, ut operam, studium, authoritatemque suam interponat, quatenus detrimenta ab Hæreticis Ecclesiæ Hildesiensi illata farciantur, & alia graviora imminentia repellantur. p.185.

Eidem.

ARGUM. Zelum, ac pietatem ejusdem Cardinalis, qui Græcorum Schismaticorum reconciliationem Ecclesiæ Romanæ in Hungaria, & alibi sedulò curabat, magnoperè commendat; dispensare tamen cum Missionariis Latini Ritus, ut possint Sacra Græco ritu, quando necessitas tulerit, peragere, retentâ libertate ad ritum Latinum, cessante hujusmodi necessitate, redeundi, constanter abnuit; quòd id veteri Catholicæ Ecclesiæ disciplinæ, Generalium Conciliorum Decretis, & inconcussæ observantiæ maximè adversetur. p.250.

Eidem.

ARGUM. Susceptum dolorem ex dimissione Nuncii Apostolici ab Aula Viennensi prædicto Cardinali significat, ejusque studia, ac officia exposcit, ut animus Imperatoris ad æquiora consilia adducatur. p.272.

CARDINALI

De Lamberg.

ARGUM. Ne Marchioni Brandeburgensi, qui, insciâ Sede Apostolica, Regis Prussiæ nomine se proclamari præsumpserat, Regii honoris significationes à quopiam Catholico Principe tribuantur, Cardinalis de Lamberg zelum enixè urget. p.43.

Eidem.

ARGUM. Eumdem Cardinalem laudat, quòd in Comitiis Statuum Imperii suum nomen cum Cardinalitiæ Dignitatis Titulo (reclamantibus licèt Hæreticis) describi curaverit, eumque, ut ejusdem amplissimæ Dignitatis decora, ac simul Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem tueri constanter pergat, hortatur. p.71.

Eidem.

ARGUM. Ut in Conventu Ratisbonensi nihil Orthodoxæ Fidei rationibus detrahi, eamque in universa Palatinatus Ditione constabiliri curet, à prædicto Cardinali enixè postulat. p.168.

Eidem.

ARGUM. Ejusdem Cardinalis zelum excitat, ut detrimenta Ecclesiæ Hildesiensi ab Hæreticis illata farciri, & alia graviora imminentia repelli pro viribus curet. p.185.

Eidem.

ARGUM. Cardinalem præfatum, ut Catholicorum causam adversùs nefaria Marchionis Brandeburgensis consilia strenuè tueatur, pro Pastorali officio excitat. p.238.

Eidem.

ARGUM. Nullo modo ferendos esse Hæreticos damnatæ eorum sectæ exercitiis in Civitate Rhenobergæ palàm operam dantes prædictum Cardinalem admonet, & ab Ipso petit, ut gravissimo huic malo fortiter occurrat. p.241.

Eidem.

ARGUM. Susceptum dolorem ex dimissione Nuncii Apostolici ab Aula Viennensi Cardinali prædicto significat, ejusque studia, ac officia exposcit, ut Imperatoris animus ad æquiora consilia flectatur. p.274.

Eidem.

ARGUM. Cum Acatholici in Germania multa in Orthodoxæ Fidei perniciem attentassent, & alia insuper molirentur, eumdem Cardinalem vehementer hortatur, ut nullum prætermittat officium, quo Cæsaris animus ad nefarios ejusmodi conatus strenuè repellendos incendi possit. p.133.

Eidem.

ARGUM. Petit, ut consilium à nonnullis susceptum constabiliendi in Civitate Lyncii Seminarium pro Nationibus Septentrionalibus, diligenter promovere, omnique ope juvare velit. p.375.

Eidem.

ARGUM. Nè Cæsarea Majestas partem aliquam sui Exercitus in Italia versantis intrà fines Ecclesiasticæ Ditionis, (ut rumor erat) hyemare permittat, Cardinalem præfatum, ut omnia studia, atque officia conferre velit, vehementer hortatur. p.412.

Eidem.

ARGUM. Illius officia, ac opem implorat, ut aditus omnis in Vallem Tellinam, aliaque Romanæ Ecclesiæ addicta loca Protestantibus intercludatur. p.433.

Eidem.

ARGUM. Eumdem Cardinalem ad omnia studia adhibendum, nè jura, & proventus Ecclesiæ Hildesiensis Acatholico Principi oppignorentur, enixè adhortatur. p.443.

Eidem.

ARGUM. Postulat à Cardinali præfato, ut diligenter adesse velit Archiepiscopo Mechliniensi, cujus authoritas à Consilio Barbantiæ, refractarii Sacerdotis Wande Nesse audaciam confovente, graviter læsa fuerat, sacrorumque Jurium violationem opportune sarciri curet. p.459.

Eidem.

ARGUM. Ejus opem, & officia exposcit apud Cæsaream Majestatem, ut illata in Ducatu Mediolanensi, & in Regno Neapolitano, Ecclesiasticæ libertati gravamina congruis remediis sarciantur. p.467.

Eidem.

ARGUM. Cardinalis prædicti opem expostulat, ut loca Ditionis Pontificiæ à Cæsareis copiis in Italia versantibus occupata pristinæ libertati restituantur. p.473.

Eidem.

ARGUM. Gravissimas injurias, & maxima detrimenta, Cæsareæ Majestatis obtento nomine, illata Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ nedùm in Pontificia Ditione, sed etiam in Regno Neapolitano, atque Ducatu Mediolanensi, singillatim commemorat, & explicat Cardinali de Lambergh, cujus zelum excitat, ut ad curandam necessariam reparationem adeò insignium attentatorum operam suam enixè, promptèque conferre velit, dum Sua Sanctitas ad Apostolici Officii partes strenuè, atque constanter in nomine Domini explendas accingitur. p.493.

Eidem.

ARGUM. Ipsi diligenter, & enixè commendat Catholicos in Ditione Marchionis Brandeburgensis commorantes, qui ab eo graviter vexabantur in odium repulsæ petitionis factæ Magistratui Civitatis Coloniensis, ut Administro suo illic residenti Calvinianæ Sectæ exercitia ibidem, privatim saltèm, habere fas esset.

Eidem.

ARGUM. Eum ad tutandam in Insula Hyberniæ Catholicæ Fidei libertatem, & ad levandas Christifidelium ab Hæreticis Magistratibus dirè illic vexatorum ærumnas, vehementer hortatur. p.544.

Eidem.

ARGUM. Eumdem Cardinalem enixè admonet, ac obtestatur, ut in Conventu Ratisbonensi Hæreticorum dolis, & conatibus fortitèr obsistat, ac sedulò ca-

veat,

Eidem.

ARGUM. Quæ egerat, ut Regiis Poloniæ Principibus Jacobo, & Constantino in custodiam traditis, & extrà Regnum transmissis, pristina libertas redderetur, prædicto Cardinali significat; quem insuper de Jubilæo Polonis concesso, ut ad Divinam misericordiam propitiandam excitentur, certiorem facit: eumque tandem ad publicam Regni tranquillitatem, & Fidei Catholicæ bonum promovendum enixè hortatur. p.199.

Eidem.

ARGUM. Illum iterùm seriò hortatur, ut ad publicam Polonici Regni tranquillitatem, & Catholicæ Religionis incolumitatem promovendam strenuè incumbat. p.188.

Eidem.

ARGUM. Consilium illi significat à Sanctitate Sua susceptum mittendi in Poloniam Cardinalem de Latere Legatum, qui dissidentes Civium animos conciliare studeat, publicamque Regni tranquillitatem pro viribus stabilire contendat. p.206.

Eidem.

Prosequitur idem Argumentum. p.207.

Eidem.

ARGUM. Illum de iis, quæ ipso potissimùm authore in Comitiis Varsaviensibus adversùs Regem Augustum attentata fuerant, graviter increpat, eidemque Cardinali in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut infra tres menses Romam accedat, censuras, & pœnas à Sacris Sanctionibus constitutas, nisi paruerit, subiturus. p.215.

CARDINALI

de Saxonia.

ARGUM. Iniquas Pacis à Rege Poloniæ cum Suecorum Rege initæ conditiones, & amissam Orthodoxæ Fidei latiùs propagandæ spem dolet. Ad ea adhibenda media, quæ eidem Poloniæ Regi quoad spiritualem salutem prodesse possint, paratum se exhibet, parique charitate, ac zelo in negotio promovendæ conversionis Magni Principis ad Catholicam Fidem, cujus haud levem extare spem Cardinalis de Saxonia ad Sanctitatem Suam scripserat, se versaturum pollicetur. p.363.

Eidem.

ARGUM. Paternam suam voluntatem ergà Cæsarem disertè profitetur, seque Cæsarei animi sibi conciliandi cupidum ostendit; constantiâ tamen Summo Pontifice dignâ rejicit consilia nonnullorum, qui certas propositas conditiones, utcumque graves, accipiendas esse Sanctitati Suæ suadere conabantur, & Cardinali de Saxonia denunciat ejusmodi consiliorum authores esse admonendos, ut de Suâ Sanctitate, deque Pontificiâ Dignitate rectiùs sentiant. p.364.

Eidem.

ARGUM. Cardinali præfato, tamquam Archiepiscopo Strigoniensi, & Hungariæ Primati, enixè injungit, ut quibusdam gravibus attentatis in eodem Regno per laicam, ac illegitimam Potestatem in rebus Ecclesiasticis fortiter obsistat, & Ecclesiæ libertatem strenuè tueatur. p.367.

Eidem.

ARGUM. Turbas in Regno Hungariæ excitatas nondum sedari, & attentata in rebus Ecclesiasticis in dies augeri vehementer dolet. Zelum prædicti Cardinalis tot, tantisque malis opportuna remedia excogitantis laudat, piumque illius propositum pastoralibus adhortationibus confirmat, ac urget. p.371.

Eidem.

ARGUM. Quæ ad sedandos Hungarici Regni motus & ad Ecclesiasticos præsertim in officio continendos egerat, Cardinali de Saxonia significat, omniaque etiam ab ipso studia adhiberi postulat, ne in eodem Regno juribus Cæsareæ Majestatis quicquam detrahatur. p.396.

Eidem.

ARGUM. Ne Cæsarea Majestas (ut rumor erat) partem aliquam sui Exercitus in Italia versantis intrà fines Ecclesiasticæ Ditionis hyemare permittat, Cardinalem præfatum omnia studia, ac officia conferre vehementer hortatur. p.411.

Eidem.

ARGUM. Illius officia, ac opem implorat, ut aditus omnis in Vallem Tellinam, aliaque Romanæ Ecclesiæ addicta loca, Protestantibus intercludatur. p.433.

Eidem.

ARGUM. Eum ad omnia studia adhibendum, ne Terræ, & proventus Ecclesiæ Hildesiensis Acatholico Principi oppignorentur, enixè adhortatur. p.444.

Eidem.

ARGUM. Pontificio explicato mærore ob miseram Regni Hungarici conditionem, omnibus Ecclesiasticis tam Secularibus, quàm Regularibus ejusdem Regni sub gravissimis pœnis inhibet, & injungit, ne turbas, seditiones, atque tumultus ibidem excitatos ullo modo confovere audeant; ac ejusmodi pœnarum executorem deputat Cardinalem de Saxonia Archiepiscopum Strigoniensem, præfatique Regni Primatem, cui peramplas ad id facultates attribuit. p.560.

Eidem.

ARGUM. Cardinali prædicto specialem facultatem tribuit conficiendi Processum super delictis Episcopo Agriensi objectis læsæ Majestatis, excitatarumque in Regno Hungariæ turbarum, ac injungit, ut confectum, obsignatumque ad Sanctitatem Suam transmittat, quatenus congruas in eumdem Episcopum pœnas pro modo culpæ statuere possit. p.646.

CARDINALI

de Tournon.

ARGUM. Cum ex literis Archiepiscopi Manilæ certior factus fuisset de sedulitate, ac feruore, quo Joannes Baptista Sidotus multis piis operibus illic, & præsertim constructioni, ac fundationi Seminarii incumbebat, Cardinali de Tournon injungit, ut eumdem Sidotum in prædicta Civitate commorari sinat, quatenùs ea, quæ aggressus erat, & fundationem potissimùm Seminarii, præsens enixiùs urgere possit. p.403.

Eidem.

ARGUM. Rescribit maximam suscepisse lætitiam ex ejus literis, quibus salvum suum ad Sinarum Imperium adventum, & honoris significationes sibi ab Imperatore delatas nunciaverat. Audita postmodùm rerum conversione, quod scilicet Imperator eidem Cardinali succensuisset, subdit Pontifex se summo dolore fuisse affectum, quem tamen ex eo leniri ostendit, quod præter ipsius Cardinalis culpam id evenisse compertum habeat. Certiorem deindè illum facit de officio apud Imperatorem præfatum interposito, ut eum in pristinum honoris, & gratiæ locum restituat, ipsique Europam repetendi libertatem largiatur. Postremò Cardinalem ad tolerandas strenuo, constantique animo pro Dei causâ quascumque ærumnas paternè adhortatur. p.533.

Eidem.

ARGUM. Cardinalem prædictum duriùs in Sinis habitum amantissimè consolatur, certioremque facit de mediis, quibus pristinam illi securitatem, ac libertatem restituere enixè contendit, ac demum ad tolerandas æquo, fortique animo pro Dei causâ ei illatas injurias paternè adhortatur. p.616.

ad

E

Claravallensis illi commendatæ pro Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis. p.257.

Eidem.

ARGUM. Electi Osnabrugensi officia, ac opem exposcit, ut omnis aditus in Vallem Tellinam, aliaque Catholicorum loca Protestantibus intercludatur. p.436.

Eidem.

ARGUM. Electi Osnabrugensis opem expostulat, ut Loca Ditionis Pontificiæ à Cæsareis Militibus in Italiâ versantibus occupata pristinæ libertati restituantur. p.475.

Eidem.

ARGUM. Principi Carolo à Lotharingia Electo Osnabrugensi Catholicorum, qui in Hibernia præter modum ab Hæreticis vexabantur, rationes enixè commendat. p.651.

ELECTORI

Bavariæ.

ARGUM. Imminentis inter Catholicos Principes belli periculum ob successionem in Regnis Hispaniarum, & officia ad illud amoliendum adhibita, Bavariæ Electori significat, ejusque opem pro Italiæ tranquillitate exposcit. p.25.

Eidem.

ARGUM. Summum Pontificatum gratulanti benignè respondet. p.29.

Eidem.

ARGUM. Ne Marchioni Brandeburgensi, qui insciâ Sede Apostolica, Regem Prussiæ se fecerat, ullas Regii honoris significationes deferri sinat, Bavariæ Electorem enixè adhortatur. p.45.

Eidem.

ARGUM. Susceptum Consilium allegandi Nuncios Extraordinarios, qui pacis negotium inter Christianos Principes strenuè promoveant, Electori Bavariæ significat, ejusque eumdem in scopum studia, atque officia exposcit. p.87.

ELECTORI

Coloniensi.

ARGUM. Officia cum Imperatore, aliisque Catholicis Principibus adhibita ad amoliendum imminentis belli periculum ob successionem in Regnis Hispaniarum, Electori Coloniensi significat, utque in publicum bonum omnia sua studia conferre velit, hortatur. p.24.

Eidem.

ARGUM. Summum Pontificatum gratulanti benignè respondet. p.29.

Eidem.

ARGUM. Cleri secundarii Civitatis Leodiensis rationes, & Ecclesiasticæ Immunitatis tutelam Electori Coloniensi, ac simul Electo Leodiensi diligenter commendat. p.30.

Eidem.

ARGUM. Coloniensem Electorem, ac simul Electum Leodiensem seriò admonet, ut Ecclesiasticam Immunitatem in Civitate Leodiensi multipliciter violatam quamprimum farciri sedulò curet. p.94.

Eidem.

ARGUM. Eumdem Electorem, qui bellicis curis, armisque tractandis implicare se velle ferebatur, gravissimis propositis rationibus ab ejusmodi consilio deducit. p.159.

Eidem.

ARGUM. Divinum cultum in Ecclesia Tornacensi ritè peragit, & Ecclesiasticam Disciplinam ibidem florere gaudet. Eidem Electori consilium, quod inierat, erigendi Seminarium in Ecclesiis sibi commissis ad instar eorum, quæ in Tornacensi vigebant, gratulatur, ipsumque ad illud perficiendum hortatur. p.225.

Eidem.

ARGUM. Eumdem Electorem, ut omni sublatâ cunctatione Sacris Ordinibus se insigniri curet, paternè, ac vehementer hortatur. p.236.

Eidem.

ARGUM. Consilium suscipiendi Sacros Ordines, & ad Archiepiscopalem subinde Dignitatem ascendendi, quod Sanctitate Sua adhortante inierat, paternè gratulatur. p.288.

Eidem.

ARGUM. Quod Sacros Ordines, & Sacerdotium susceperit, amanter gratulatur, eumque ob varia, quæ ediderat, singularis pietatis argumenta, meritis laudibus ornat. Illi deinde significat, posse à quocumque maluerit, Catholico Antistite munus Consecrationis recipere, servatâ forma Indulti à fel. rec. Innocentio XI. ei aliàs concessi. Demum Pallium, quod postulaverat, se ipsi libenter traditurum pollicetur. p.359.

Eidem.

ARGUM. Pallium eidem Electori mittit, cujus mysticas significationes Illi diserte explicat, ac simul insigne munus particulæ Ligni Sanctissimæ Crucis crystallinâ thecâ inclusæ Ipsi elargitur. p.370.

Eidem.

ARGUM. Quod munus consecrationis susceperit, gratulatur, & moleste audivisse significat, quod propter viarum difficultatem Pallium a Sanctitate Sua missum nondum ad Illum perlatum fuerit. p.379.

Eidem.

ARGUM. Susceptum solemni pompâ consecrationis munus præfato Electori effusè gratulatur, Eumque in proposito Pastoralis officii sanctè obeundi præclarè confirmat. p.837.

Eidem.

ARGUM. Electori præfato, cui pro temporis conditione procùl à Coloniensi, & aliis Ecclesiis fidei suę commissis agendum erat, significat se earumdem Ecclesiarum, atque Diœcesum Visitationem Apostolicam demandasse Nuncio Pontificio ad Tractum Rheni, eumdemque Electorem requirit, ut operam dare velit, quatenùs Administri sui Nuncio Pontificio in omnibus institutam Visitationem respicientibus præsto sint. p.463.

Eidem.

ARGUM. Postulat à præfato Electore, tamquam Episcopo etiam Leodiense, ut authoritate sua interposita, adducat Ordines, seu Status Laicales Civitatis Leodiensis ad farcienda damna illic Immunitati, ac Jurisdictioni Ecclesiasticæ illata, & ad stabiliendam absque ulteriori morâ concordiam cum Clero secundario ejusdem Civitatis pertractatam. p.515.

ELECTORI

Moguntino.

ARGUM. Gratulanti Summum Pontificatum benignè respondet. p.30.

Eidem.

ARGUM. Postulat à prædicto Electore, ut in Conventu Ratisbonensi Orthodoxæ Religionis rationes strenuè tueatur, eamque præsertim in universa Palatinatus Ditione constabiliri curet. p.167.

Eidem.

ARGUM. De Catholicæ Religionis periculis fusè differit, & præfatum Electorem ad eam strenuè propugnandam impensè hortatur. p.174.

Eidem.

ARGUM. Catholicos Hollandiæ ab Hæreticis illis Magistratibus iniquè vexatos, simulque Pro-Vicarium Apostolicum in locum Archiepiscopi Sebasteni suffe-

ctum

ELECTORI
Trevirensi.

idcircò præcipuis ornat laudibus, & quæ prudenter egerat in scopum asserendæ Ecclesiasticæ libertatis, & revocandi Regis Catholici animum à susceptis consiliis, approbat, atque commendat. p.610.

EPISCOPO
Chioviensi.

ARGUM. Injurias à Moschis illatas Catholicis, atque etiam nonnullis Monachis Ordinis S. Basilii in Regno Poloniæ dolet, & Episcopum Chioviensem, ut eosdem afflictos Fideles consolari, opportunisque monitis illorum constantiam roborare velit, hortatur. p.283.

EPISCOPO
Canonensi Vicario Apostolico Provinciæ Fokiensis.

ARGUM. Jubilæi secularis exemplar mittit ad Episcopum Cononensem in Sinarum Imperio Provinciæ Fokiensis Vicarium Apostolicum, & populo illius Curæ commisso consuetas Indulgentias benignè elargitur, quæque ab eodem Episcopo, & Apostolicis Missionariis eâ occasione præstanda sint, ipsum accuratè monet. pag.54.

Eidem.

ARGUM. Episcopi Cononensis, Vicarii Apostolici Fokiensis, labores in Sinica Missione commendat, ac ipsum, ut sua apud Deum merita in suscepto Ministerio in dies magis cumulare satagat, adhortatur. p.68.

Eidem.

ARGUM. Episcopo Cononensi gratulatur incolumem in Galliam reditum ex Sinarum Imperio, ubi diù versatus fuerat, & de Missionibus Sinicis, ac Apostolica Legatione Cardinalis de Tournon fusè agit. p.507.

EPISCOPO
Constantiensi.

ARGUM. Cum Dux Witembergensis hæresim ejurare, & ad gremium S. Matris Ecclesiæ redire cuperet, Episcopum Constantiensem, ut ejusdem Ducis salutare propositum omnibus mediis promovere studeat, enixè hortatur. p.501.

Eidem.

ARGUM. Cleri disciplinam, ac eam potissimum curam, ut qui ad Ordinem Ecclesiasticum assumuntur, & ad Ecclesiastica Beneficia promoventur, morum integritate, & doctrinâ præfulgeant, Episcopo Constantiensi magnoperè commendat. p.630.

EPISCOPO
Culmensi.

ARGUM. Episcopi Culmensis zelum, & vigilantiam excitat ab obsistendum Eterodoxorum conatibus, & insidiis, nè quid in contemptum, vel detrimentum Catholicæ Fidei in sua Diœcesi aggrediantur. p.634

Eidem.

ARGUM. Episcopum Culmensem graviter arguit, quòd propter ejus absentiam Lutherani quædam Templa in illius Diœcesi ad usum suæ damnatæ Sectæ excitaverint, illique districtè injungit, ut ad Ecclesiam sibi commissam absque mora revertatur, ac ejusmodi abominationem indè quamprimùm auferre curet. p.548.

EPISCOPO
Curiensi.

ARGUM. Episcopum Curiensem hortatur ad obsistendum fortiter Hæreticorum conatibus, qui in tractatu à fœderatis Grisonibus cum Ducatu Mediolanensi dudum inito, & proximè innovando removeri nitebantur Articulum, quo Protestantibus consistere, vel bona acquirere in Valle Tellina, & in Comitatibus Clavennæ, & Bormii interdicitur. p.416.

Eidem.

ARGUM. Episcopum Curiensem excitat ad strenuè obsistendum conatibus Hæreticorum, qui eripere Catholicis, sibique attribuere moliebantur administrationem duorum Hospitalium in illa Diœcesi existentium, cumque ad propugnandas Sacerdotali constantia tum Ecclesiasticæ Immunitatis, tum Orthodoxæ Fidei rationes hortatur. p.430.

EPISCOPO
Frisingensi.

ARGUM. Cum Præpositam Monialium Ordinis Visitationis Beatæ Virginis in Cœnobio Monachii Officium suum ultrà tempus in ejusdem Ordinis Regulis constitutum protrahere comperisset, Episcopo Frisingensi injungit, ut id munus alteri demandari curet, perniciosumque exemplum de medio tollat. p.202.

EPISCOPO
Gandavensi.

ARGUM. Episcopum Gandavensem Pastoralis Officii partes egregiè obeuntem meritis ornat laudibus, cumque, ut in pio proposito permaneat, hortatur, & Pontificiâ authoritate, ubi res tulerit, illi se adfuturum pollicetur. Plura deinde de præstanti virtute Comitis de Boussu Cathedralis Ecclesiæ Gandavensis Præpositi, ac de Brugensis, & Antuerpiensis Ecclesiarum vacantium statu subdit. p.365.

EPISCOPO
Heliopolitano.

ARGUM. Episcopo Heliopolitano reditum ad Romanæ Ecclesiæ gremium gratulatur, cumque paternis cohortationibus excitat, ut populum, cui præest, exemplo, atque consiliis ad ipsius Ecclesiæ sinum adducere studeat. p.66.

EPISCOPO
Herbipolensi.

ARGUM. Episcopi Herbipolensis pietatem laudat, quòd in ornatum Basilicæ Lateranensis unum ex Marmoreis Sanctorum Apostolorum simulacris ibidem locandis conferre decreverit. p.173.

Eidem.

ARGUM. Matrimonium cum Hæretica Muliere contractum à Subdiacono, qui Apostolicam dispensationem obtinuerat, ad effectum nubendi cum Catholica, etsi gravia indè oriri poterant scandala, & detrimenta, convalidare renuit, ac Episcopum Herbipolensem hortatur, ut præfatam Hæreticam Mulierem ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium adducere studeat. p.321.

Eidem.

ARGUM. Episcopum Herbipolensem, ut salutare consilium à Duce Everardo Ludovico Witembergensi susceptum redeundi ad gremium S.Matris Ecclesiæ, omnibus mediis perfici curet, enixè hortatur. p.500.

EPISCOPO
Jaurinensi.

ARGUM. Agit de institutione Principis Regii Poloniæ Catholicis Præceptoris committenda, & Episcopo Jaurinensi illius Consanguineo significat Pontificia ea de re monita à Poloniæ Rege filiali observantiâ fuisse excepta, adeòque sperari posse fore, ut debitæ executioni quamprimùm demandentur. p.76.

Eidem.

ARGUM. Ut Acatholicorum Militum Bonnæ hospitantium, qui damnatæ suæ Sectæ exercitia illic in ipso Electoralis Palatij Sacello peragere audebant, licentiam cohiberi curet, Episcopum Jaurinensem, Cæsareæ Majestatis Consiliarium, hortatur. p.172.

 sibi

Eidem.

Argum. Cum rumor invaluiffet partem aliquam Cæfarei Exercitus in Italia verfantis intrà fines Ecclefiafticæ Ditionis hyberna facturam effe, ab Imperatore quàm enixè flagitat, ut pro avitâ æquitate, ac pietate ejufmodi malum à locis, Populifque Pontificiis avertere velit; Et fiquid adversùs eamdem Ecclefiafticam Ditionem attentari contingat, Pontificii muneris partes fe impleturum effe denunciat. p.409.

Eidem.

Argum. Imperatoris pietatem, & religionem implorat, ut tractatum oppignorandi Duci Hannoverano Terras, & proventus Ecclefiæ Hildefienfis pro ingenti vi numeratæ pecuniæ, quam ille in fumptus bellicos fe mutuaturum Cæfareæ Majeftati fpondebat, omninò irritum effe velit. p.441.

Eidem.

Argum. Cæfareum patrocinium implorat, ut Confilii Barbantiæ, quod Sacerdotem Wande Neffe refractarium tuendum fufceperat, audacia cohibeatur, Mechlinienfi Archiepifcopo fua dignitas, & authoritas conftet, ac illata Immunitati Ecclefiafticæ gravia detrimenta farciantur. p.455.

Eidem.

Argum. Cum in Ducatu Mediolanenfi à Cæfareis Officialibus promulgata fuiffent Edictum, & Decretum, quibus multa in maximum Pontificiæ authoritatis, ac dignitatis detrimentum, menifeftamque Ecclefiafticorum Jurium fubverfionem conftituebantur; iufuper in Regno Neapolitano Literarum Apoftolicarum executio impediretur: Sua Sanctitas ab Imperatore quàm enixè poftulat, ut ea omnia, tamquam non Ecclefiafticæ tantùm Immunitati, ac omni æquitati contraria, fed ipfius etiam Cæfaris, qui præcipuus Ecclefiæ Defenfor, & Advocatus effe debet, honori, & laudi adverfantia retractari mandet, illatamque Ecclefiæ injuriam congruis mediis farciri curet. p.464.

Eidem.

Argum. Cum Cæfareæ militares copiæ in Italiâ verfantes nonnulla loca Ditionis Pontificiæ ex inopinato occupaffent, ibique conftituto Præfidio, fignifque Cæfareis explicatis, infediffent animo, ut apparebat, majora aggrediendi: de ejufmodi violenta occupatione, ac illatâ Sedi Apoftolicæ manifeftâ injuriâ gravitèr cum Imperatore conqueritur; Eumque paternè admonet, ut pedem nullâ morâ indè referre velit, undè certa illius animæ pernicies, nedùm perpetua ejus nomini labes, confecutura fit. Demùm Majeftati Suæ fe Pontificii Muneris partes impigrè, atque fideliter implere paratum effe denunciat. p.470.

Eidem.

Argum. Imperatoris zelum, & authoritatem enixè requirit, ut Orthodoxæ Fidei incolumitatem ftrenuè propugnet, quatenùs nullum ex Tractatu à Magiftratu Colonienfi cum Acatholico Principe gefto præjudicium, aut detrimentum patiatur. p.529.

Eidem.

Argum. Catholicos in Hibernia ab Eterodoxis Magiftratibus admodum afflictos Imperatori quàm enixè commendat, eumque ut Limbricenfes, & Galvienfes Pactiones obfervari curet, paternè adhortatur. p.543.

Eidem.

Argum. Epifcopum Novarienfem, à quo Cæfarei Adminiftri ingentem pecuniæ fummam titulo contributionis pro Feudo Ripariæ, S. Julii, & Hortæ petebant, Imperatori diligenter commendat. p.553.

Eidem.

Argum. Poftquàm, ut enixis Imperatoris poftulatis fatisfaceret, Archiducem Auftriæ Carolum, Fratrem Majeftatis Suæ, titulo Hifpaniarum Regis Catholici decoraverat, non expectato conditionum adimplemento, de quibus cum Sanctitate Sua conventum fuerat: Imperatori ob oculos ponit graves ærumnas, atque pericula, quibus propterea fe objeciffe profpicit; deindè folidis, luculentifque rationibus oftendit Majeftatem Suam omninò teneri Civitatem Comaclenfem Sedi Apoftolicæ, ad quam pertinet, abfque longiori cunctatione reftituere, ac infuper graviffima damna Ditioni Pontificiæ à Cæfareis armis illata farcire; Eumque ad id Paternis monitis vehementer excitat, ac urget. p.592.

Eidem.

Argum. Quod nedum authoritate, verùm etiam infigni liberalitate, promovere decreverit conftructionem Ecclefiæ Catholicorum ufui in Civitate Hanoveranâ, Imperatori ex animo gratulatur. p.622.

IMPERATORI
Utriufque Tartariæ, & Sinarum.

Argum. Patriarcham Antiochenum Vifitatorem Apoftolicum deputatum Imperatori Sinarum commendat, & petit, ut eum illas ad partes proficifcentem liberaliter excipere, ac plenam ipfi fidem adhibere velit. p.114.

Eidem.

Argum. Sinarum Imperatorem impensè laudat, quòd Cardinalem de Tournon Vifitatorem Apoftolicum à Sanctitate Sua in illas partes allegatum honorificè primum exceperit. Deindè acerbè dolet, quod non obfcura indignationis in eum argumenta prodiderit, & quæ ipfe de ritibus, & ceremoniis Sinicis decreverat, Pontificio mandato egiffe profitetur. Petit poftmodùm, ut Chriftianis in illo Imperio degentibus honorifica officia Progenitoribus, Magiftrifque fuis eo modo perfolvere liceat, qui puritati, & fanctitati Chriftianæ Religionis non adverfetur; ac demum, ut prædictum Cardinalem in priftinum gratiæ, honorifque locum reftituere, & Chriftianos, ac præfertim Evangelicos Operarios benignè fovere velit, ab eodem Imperatore enixè flagitat. p.535.

IMPERATRICI
Romanorum.

Argum. De dimiffione Nuncii Apoftolici ab Aula Viennenfi cum Imperatrice conqueritur, ejufque pietatem, ac zelum excitat, ut animum Imperatoris ad æquiora confilia adducere, & confecutura mala avertere fatagat. p.272.

Eidem.

Argum. Imperatricis officia, ac patrocinium, implorat, ut quæ in Ducatu Mediolanenfi, & in Regno Neapolitano nomine Cæfareo illata fuerunt, Ecclefiafticæ Libertati graviffima detrimenta congruis remediis farciantur. p.465.

Eidem.

Argum. Archiepifcopum Nazarenum, quem ad Cæfaream Majeftatem pro exponendis Pontificiæ Ditionis calamitatibus allegare decreverat, Imperatricis authoritati, ac patrocinio enixè commendat. p.518.

Eidem.

Argum. Majeftatem fuam hortatur, ut agat apud Cæfarem, nè ab ejus Militaribus copiis in Italiâ verfantibus Ditioni Pontificiæ damna inferantur. p.471.

Eidem.

Argum. Præfidium Majeftatis Suæ implorat pro eximendis Catholicis in Hiberniâ à dirâ Hæreticorum perfecutione. p.544.

IMPERATRICI
Eleonoræ Viduæ.

Argum. Scandala, quæ ob licentiam Hæreticorum Militum fub Cæfareo Exercitu ftipendia facientium in pluribus Italiæ partibus contingunt, Impe-

aliis Magistratibus Laicis, tum etiam Decreta à Rege Christianissimo edita adversùs Cardinalem Bullionium Sacri Collegii Decanum, tamquam ab incompetenti Potestate profecta, irrita, ac invalida esse Majestati Suæ denunciat, quam enixè requirit, ut ea omnia revocet, & ab aliis revocari curet. Paratum deindè se Pontifex exhibet ejusdem Cardinalis causam accuratè expendere, ac ex præscripto Canonicarum sanctionum definire, & si quid ille deliquerit, Justitiæ, Pontificiique muneris debito nequaquam deesse. p.636.

REGI

Magnæ Britanniæ.

ARGUM. Assumptionem suam ad Summum Pontificatum, susceptumque ex ea dolorem Regi Magni Britanniæ significat, cujus eximium Catholicæ Religionis zelum, & parem animi constantiam honorificâ laude prosequitur. p.5.

Eidem.

ARGUM. Regis Britannici gratulationem de suâ ad Apostolicum Solium assumptione benignè excipit, eidemque Regi Pontificium amorem, atque præcipuum de ipso benemerendi desiderium confirmat. p.32.

Eidem.

ARGUM. Gratulationis officium de Summo Pontificatu, quod Britannicus Rex Jacobus per Ducem Bervicensem expleverat, perjucundum sibi accidisse profitetur, animumque ostendit ad juvandas afflictas Majestatis Suæ rationes paratissimum. p.37.

Eidem.

ARGUM. Jacobi II. Magnæ Britanniæ Regis obitum efflictim dolet; Virtutes honorificâ laudatione prosequitur; Jacobi III. ejus Nati mœrorem opportunis monitis, ac officiis lenire contendit, ipsumque ad paternarum virtutum exempla imitanda, pietatem in primis, atque constantem Orthodoxæ Religionis cultum, impensè adhortatur. p.77.

Eidem.

ARGUM. Consilium, quod injerat, allegandi Nuncios Extraordinarios ad Christianos Principes pro negotio Pacis, Regi Britannico significat, ejusque apud Deum preces hunc ipsum in scopum exposcit. p.84.

REGI

Congi.

ARGUM. Regem Congi meritâ laude prosequitur ob zelum, quo Catholicam Fidem, & Apostolicos Missionarios in suâ Ditione fovet, eique Regium Diadema, & precatoriam coronam Sacris Indulgentiis ditatam dono mittit. p.328.

REGI

Nubiæ.

ARGUM. Regem Nubiæ ad Catholicam Religionem amplectendam hortatur, & duos Missionarios, quos hunc in scopum ad ipsum ablegat, benignè excipi, & accurate audiri ab eo poscit. p.64.

REGI

Persarum.

ARGUM. Regi Persarum nonnullos Missionarios Ordinis S. Dominici Aspahamum proficiscentes enixè commendat. p.47.

Eidem.

ARGUM. Archiepiscopum Naxivanensem, & Catholicos omnes in Perside commorantes Persarum Regi diligenter commendat. p.155.

Eidem.

ARGUM. Regem Persarum, quòd amicitiam cum Christianis Principibus fovere cupiat, & Apostolicos Missionarios in suâ Ditione benignè habeat, multis prosequitur laudibus. Ipsi deindè commendat Episcopum Aspahamensem illuc ab Urbe redeuntem, per quem nonnulla munuscula in argumentum Pontificiæ benevolentiæ ad eumdem Regem mittit. p.241.

Eidem.

ARGUM. Regi Persarum Israelem Ory, & Christianos in illius Ditione commorantes, qui à Regiis Administris acerbè vexabantur, quàm enixè commendat. p.261.

Eidem.

ARGUM. Cum aliquot ante annos ad Regem Persarum literas dedisset, quibus Catholicorum in ejus Ditione versantium rationes; & Israelem Ory earum latorem, de quo supra, magnopere commendaverat: ipse verò Israel, statimàc ad illas partes pervenit, Catholicos omnes acerbè exagitandos suscepisset; eidem Regi fraudem significat à præfato Israele adhibitam, quem nullâ honoris significatione dignum esse ostendit, & ab iniquis contra Catholicos attentatis Regiâ authoritate revocari, & cohiberi postulat. p.523.

REGI

Poloniæ.

ARGUM. Assumptionem suam ad Summum Pontificatum Regi Poloniæ significat; Eumque ad Catholicam Religionem tuendam impensè hortatur. p.6.

Eidem.

ARGUM. Metum imminentis belli inter Catholicos Principes ob successionem in Regnis Hispaniarum, ac officia ad illud arcendum adhibita, Regi Poloniæ significat; Eumque adjutorem poscit, nè pax inter eosdem Principes perturbetur. p.16.

Eidem.

ARGUM. Poloniæ Regem, ut se, aliosque ejus authoritati subjectos retrahat à tribuendo Regios honores Friderico Marchioni Brandeburgensi, qui inscìâ Sede Apostolicâ Regis Prussiæ nomen publicè usurpare præsumpserat, vehementer hortatur. p.42.

Eidem.

ARGUM. Regem Poloniæ hortatur, ut Ruthenorum unionem cum Romana Ecclesia impensè promoveat, & Episcopo Rutheno Szumlanski à Schismaticis exagitato opitulari velit. p.49.

Eidem.

ARGUM. Postulat à Rege Poloniæ, ut Lutheranæ Sectæ exercitia Varsaviæ apud Acatholici Principis Administrum instituta impediat, publicoque Catholicorum scandalo occurrat. p.52.

Eidem.

ARGUM. Regem Poloniæ paternè arguit, quòd Puerum natum suum Acatholicis Hominibus instituendum tradiderit, eorumque in locum ut probatos, Catholicosque Institutores sufficiat, Majestatem Suam graviter admonet, ac hortatur. p.67.

Eidem.

ARGUM. Regi Poloniæ petita officia pollicetur apud illius Reipublicæ Ordines, & Senatores, ut insidiis eorum, qui Regnum simul, ac Religionem illic convellere nitebantur, fortiter obsistant. p.74.

Eidem.

ARGUM. Consilium, quod inierat, allegandi Nuncios Extraordinarios ad Imperatorem, & alios duos Reges, ut pacem inter eos conciliare satagerent, Regi Poloniæ significat, ejusque eumdem in scopum studia, ac officia iterum exposcit. p.83.

Eidem.

ARGUM. Pro Catholicis Orientalibus, Armenis præsertim, in Civitate Constantinopolitana, atque in Universâ Turcicâ Ditione in odium Christianæ Fidei multifariam divexatis, à Poloniæ Rege opem, ac patrocinium implorat. p.90.

Ca-

RE-

REGINÆ
Matambæ.

Argum. Reginam Matambæ, quòd Christianæ Religioni in illis Ditionibus propagandæ Regium favorem libenter præstare audiverit, meritâ laude prosequitur, & ad sanctum propositum piè fovendum paternè adhortatur. p.384.

REGINÆ
Viduæ Poloniæ.

Argum. Detestabile Sacrilegium ab hæreticis Militibus Exercitus Cæsarei in finibus Mantuanæ Civitatis admissum Reginæ Poloniæ Mariæ Casimiræ significat, ab ea petens, ut illud ad Imperatricis notitiam perferre curet. p.103.

Eidem.

Argum. Cum ad Sanctitatem Suam allatum esset, Ducem Bavariæ S. R. I. Principem Electorem in Civitate Neoburgi nonnulla admisisse adversùs Ducissam Neoburgensem, & Episcopum Augustanum, ea Reginæ Poloniæ Socrui prædicti Electoris significat, ut quatenùs vera sint, congruè sarciri curet. p.145.

REIPUBLICÆ
Genuensi.

Argum. Officia cum Imperatore, aliisque Catholicis Principibus adhibita ad componendum ex æquo dissidium de successione in Regnis Hispaniarum, nè in exitiale bellum erumperet, Reipublicæ Genuensi significat, & per ipsam quoque id sedulò curari exposcit. p.23.

Eidem.

Argum. Gratulationem de sua ad Apostolicum Solium evectione benignè excipit. p.28.

Eidem.

Argum. Susceptum consilium allegandi Nuncios Extraordinarios, qui pacis negotium inter Christianos Principes strenue promoveant, Reipublicæ Genuensi significat, ejusque ad eumdem scopum studia, atque officia postulat. p.85.

Eidem.

Argum. Explicatis gravissimis scandalis in Monasterio Monialium S. Claræ de Albaro Civitatis Januensis exortis, tum etiam remediis, quæ Sanctitas Sua ad ea è medio tollenda adhibuerat, ac demùm nonnullarum Monialium temeritate, & contumacia, quæ Episcopi Savonensis Delegati Apostolici Decreta, & Censuras contemnere ausæ fuerant, Ducis, & Gubernatorum illius Reipublicæ brachii auxilium exposcit, quatenùs idem Episcopus Delegatus officii sibi commissi partes impigrè obire valeat. p.226.

Eidem.

Argum. Subsidia, quæ Magno Magistro Ordinis Hierosolymitani suppeditaverat ad repellendos Turcarum conatus, ubi Melitam Insulam ab illis oppugnari contingeret, Genuensi Reipublicæ significat, ab ea petens, ut suas Triremes, & quidquid ampliùs posset, ad ejusdem Insulæ tuitionem, sub conditione mutui auxilii, prædicto Hierosolymitano Ordini conferre velit. p.457.

Eidem.

Argum. Catholicos Hiberniæ ab Hæreticis Magistratibus dirè afflictos Reipublicæ Genuensis patrocinio commendat. p.588.

REIPUBLICÆ
Ragusinæ.

Argum. Gratulatur Reipublicæ Ragusinæ imminutum annuum Tributum, quod Turcarum Tyranno pendere cogitur, datamque intermissæ per aliquot annos solutionis veniam. Subsidium deindè pollicetur pro reparatione Ecclesiæ in Adrianopolitanâ Civitate incendio consumptæ. p.163.

Eidem.

Argum. Cùm Reipublicâ Ragusinâ ejectionem Vicarii Generalis Archiepiscopi illius Civitatis, & plura alia contra Ecclesiasticam Immunitatem admissa graviter expostulat; Eidemque Reipublicæ significat se Archiepiscopo mandasse, ut adversus ejusmodi delictorum Reos,& conscios ex normâ Sacrorum Canonum procedat; ipsamque tandem hortatur, ut Judicii Ecclesiastici districtionem antevertat, & publicæ in Ecclesiam, Sanctamque Sedem reverentiæ testimonia desiderari non sinat. p.653.

REIPUBLICÆ
Venetiarum.

Argum. Suam ad Summum Pontificatum assumptionem, susceptumque ex ea dolorem Venetæ Reipublicæ significat. Plura etiam, quæ ab ipso paternæ benevolentiæ, gratique animi significationes erga camdem Rempublicam reposcunt, honorificè commemorat. p.7.

Eidem.

Argum. Venetæ Reipublicæ gratulationem de sua ad Apostolicum Solium assumptione benignè excipit, ejusque apud Deum precibus, ut gravissimum munus dignè obire possit, juvari enixè flagitat. p.8.

Eidem.

Argum. Venetæ Reipublicæ significat Paterna officia cum Imperatore, aliisque Regibus, & Principibus Catholicis adhibita, ut rejectis belli consiliis, amicabiles tractationes pro successione in Hispaniarum Regnis amplecti velint. Ubi verò ad arma deveniatur, commendatissima sibi esse ait Italiæ tranquillitatem, ac Ecclesiastici præsertim Dominii ab omni discrimine tuitionem, prædictæque Reipublicæ ope, ac officiis utrumque in scopum juvari postulat. p.16.

Eidem.

Argum. Venetam Rempublicam, ut Marchioni Brandeburgensi, qui insciâ Sede Apostolicâ, Regis Prussiæ nomen publicè usurpare præsumpserat,Regios honores nequaquam tribuat, quàm enixè adhortatur. p.43.

Eidem.

Argum. Susceptum consilium allegandi Nuncios Extraordinarios, qui apud Christianos Principes Pacis negotium strenuè agant, Venetæ Reipublicæ significat, ejusque ad eumdem scopum studia, atque officia exposcit. p.84.

Eidem.

Argum. Pro Catholicis Orientalibus, Armenis præsertim, in Civitate Constantinopolitanâ, atque in Universâ Turcicâ Ditione in odium Christianæ Fidei, immaniter divexatis, Venetæ Reipublicæ opem, ac patrocinium efflagitat. p.91.

Eidem.

Argum. Orientalium Catholicorum in Turcicâ Ditione degentium; ibique summopere afflictorum rationes iterùm Venetæ Reipublicæ commendat, ac petit, ut Religioso Viro Davidi à S. Carolo, quem ad curanda eorumdem Fidelium solatia Constantinopolim mittit, præsto esse, opportunamque opem præbere velit. p.109.

Eidem.

Argum. Venetæ Reipublicæ, insignium ejus meritorum intuitu, indulget, ut ab ipsa Præsentati ad Metropolitanas, vel Cathedrales Ecclesias in Regno Peloponnesi, examen in Urbe subire, ibidemque consecrationis munus suscipere minimè teneantur; ità tamen, ut super qualitatibus, & requisitis Præficiendorum consuetus Processus à Nuncio Apostolico Venetiis pro tempore existente conficiatur. p.127.

S

V

inju-

F I N I S.

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCC.



NON SEMETIPSUM GLORIFICAVIT UT PONTIFEX FIERET. Hebr. C. 5. n. 5.

ARGUMENTUM

Quàm invito, ægroque animo impositam sibi gravissimam Summi Pontificatus sarcinam susceperit, Augustissimo Imperatori Leopoldo significat, & gratam erga Ipsum mentem profitetur, quòd assumptionem suam benignè provexerit. Cæsareo deinde patrocinio Catholicæ Fidei rationes, & Ecclesiasticorum Jurium tutelam enixè commendat.

Charissimo in Christo Filio Nostro Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS P.P. XI.



Harissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Sapendo Noi quanto gravi sollecitudini porti seco il Supremo Pontificato, non habbiamo lasciata opera intentata per distorre il Sagro Collegio de' Cardinali dal pensare alla nostra elezzione, supplicando nello stesso tempo con calde, e profuse lagrime il Signore à liberarci da un sì gran peso: mà havendo la Divina Providenza per suoi imperscrutabili giudizj non solo indurato gl' animi degli Elettori, rendendoli sordi alle nostre preghiere; mà di più anche mosso il generoso cuore di Vostra Maestà à desiderare, che una Dignità tanto superiore alle nostre forze venisse appoggiata alla nostra debolezza, siccome hanno con soprabbondanti finezze dimostrato i Cardinali di Lambergh, de' Medici, e Grimani, assieme col Conte di Lambergh suo Ambasciatore, non lasciamo di raccomandarci al Sommo Padre de' Lumi, perche rischiarando

la nostra mente, ci dia vigore da poter adeguatamente sodisfare alle nostre parti; e nel rimostrare alla Maestà Vostra il nostro più sincero, e vivo riconoscimento, bramiamo con tutto l'ardore, che alla felicità del Nostro Apostolato cospirino i consigli di Pace, & il zelo per la Santa Religione negl'animi de' Prencipi Cattolici. E poiche ben conosciamo per le tante prove, che Vostra Maestà hà sempre date della sua insigne Pietà, qual premura Ella habbia per il bene, e quiete della Christianità tutta, e qual' interesse giustamente prenda non meno per i vantaggi, e propagazione della Fede Ortodossa, di cui è degnissimo Difensore, che per il mantenimento de' diritti Ecclesiastici, preghiamo il Cielo, che custodisca lungamente la Maestà Vostra, che da Noi viene stimata, come un validissimo mezzo ad esaltar la Divina Gloria ne' presenti tempi; e confidiamo che habbia à godere del modo, con cui indirizzeremo tutte le nostre intenzioni à promuoverla. A questi sensi siamo persuasi che Vostra Maestà verrà facilmente indotta dal proprio zelo, e dalle dimostrazioni efficaci, che non le mancaranno mai dal canto nostro, d'una piena Paterna tenerissima affezione; onde bramosi di darlene le prove nell'occasioni, che ci si presentaranno, benediciamo per fine con parzialissima cordialità la Maestà Vostra, e tutta la sua Casa Augustissima. Datum Romæ apud S. Petrum die nostræ Consecrationis 30. Novembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimo in Christo *Filio* Nostro Josepho Hungariæ Regi *Illustri*, in Romanorum Regem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Hà voluto Dio Sig. Nostro promuoverci all'alto Grado di suo Vicario in Terra, e l'hà voluto in guisa, che per quanto i Sagri Elettori conoscessero molto prima la nostra insufficienza, e Noi medesimi l'habbiamo in quel punto protestata con vive lagrime, poste fuori dal più profondo dell' animo, per difenderci dalle violenze di tutto il Sagro Collegio, ciò non è bastato per sottrarci da un peso, che sempre più ci riesce formidabile. Nella confusione, in cui ci troviamo per sì inaspettato successo, adempiamo il debito, che ci corre, di recarne la notizia alla Maestà Vostra con questa lettera scritta di nostro pugno, sperando, che sarà per gradirla, secondando la generosa bontà del suo Augustissimo Padre, che hà tanto desiderata la nostra esaltazione. Dovendo però professarne una special riconoscenza alla Maestà Vostra, può ella ripromettersi de più teneri sentimenti del nostro cuore, e dell'affetto nostro veramente Paterno. Questo, come ci fà risentire vivissima allegrezza d'ogni sua felicità, così ci muove anco à pregare il Cielo per le continue maggiori grandezze della Maestà Vostra; essendo Noi persuasi, ch'Ella pienamente se le concilii con imitare i suoi gloriosissimi Antenati in promuovere i vantaggi della nostra Santa Fede, & il bene della Chiesa. A' tal fine s'indirizzeranno à Dio i nostri più ferventi Voti; e frattanto concediamo alla M. V. di tutto cuore la nostra Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die nostræ Consecrationis 30. Novembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Eſſendoſi degnato Dio Signor Noſtro valerſi della noſtra Perſona per riempire queſta S.Sede, hà voluto rendere al Mondo una nuova evidente teſtimonianza, che il Governo di Chieſa Santa è aſſolutamente un' opera del ſuo profondo giudizio;poiche praticando il coſtume dell'alta ſua Providenza, hà ſcelto il Soggetto più debole per inalzarlo contro l'aſpettazione, & il giudizio degl'Uomini à un sì ſublime Miniſtero. Quindi conoſcendo Noi le proprie graviſſime imperfezioni, ed incerti ancora della volontà Divina, habbiamo con forza di copioſe lagrime paleſata lungamente la noſtra ripugnanza: ritardando il conſenſo ſin à quel punto, che contraſtato dalla coſtanza degli Elettori, cominciava à paſſare per colpa d'oſtinazione nel reſiſtere allo Spirito Santo;ed allora fù che convinti voler Dio medeſimo nelle grandi opere non ſolo eſſere, mà comparire ancora l'Autore, ci laſciammo condurre al Soglio Pontificio. Nel recarne la notizia alla Maeſtà Voſtra in queſta lettera ſcritta di noſtro pugno, confeſſiamo con umiliazione di ſpirito queſta condotta, per darne gloria à Quello, di cui è ſtato principalmente il maneggio in Cielo, e per chiamarci in ſtretto, e ſpecial' debito di quanto in particolariſſima maniera vi hanno contribuito i Cardinali della ſua Nazione, e à lei più divoti, non già per il ſucceſſo, che tuttavia ſi conſidera da Noi con indicibile terrore, mà per l'intenzione, che hanno havuta di far' coſa, che poteſſe eſſere gradita dalla M.V. Tanto Noi ci ripromettiamo veramente, anzi pieni d'una Paterna confidenza nella ſua filial divozione, e animati da quel magnanimo zelo, che ſempre hà havuto per i vantaggi della Cattolica Religione, prendiamo un grand'argomento di ſollievo dal credere fermamente, che Ella, come tanto può, tanto vorrà anche felicitare dal canto ſuo il noſtro Miniſtero, ſegnalando la grandezza dell'animo ſuo in tutte le congionture toccanti il decoro della Chieſa, e la quiete del Chriſtianeſimo. Noi all'incontro l'aſſicuriamo eſſer riſoluti di volere dal canto noſtro porre ſempre ogni ſtudio, per farle conoſcere con le opere l'amor noſtro Paterno, e la ſtima ben' diſtinta, e dovuta, che habbiamo per la M.V.; e frattanto pregandole da Dio con tutto l'affetto la pienezza delle maggiori felicità terrene, e celeſti, diamo à Voſtra Maeſtà, e à tutta la ſua Real Caſa, la noſtra Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die noſtræ Conſecrationis 30. Novembris 1700. ſuſcepti à Nobis Apoſtolatus Officii Anno Primo.

ARGUMENTUM

Reginæ Catholicæ mærorem explicat, quem tum ex Illius Regii Conjugis obitu, tum etiam ex suâ ad Apostolicum Solium evectione perceperat. Gratum insuper declarat animum erga Majestatem Suam ob ea, quæ ab Hispanis Cardinalibus in Conclavi gesta fuerant. Commemoratis tandem extincti Principis laudibus Reginam consolatur, eique præcipua Pontificiæ charitatis argumenta omni tempore pollicetur.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissima in Christo Filia Nostra salutem, & Apostolicam Benedictionem. Appunto ci trovavamo immersi nel colmo dell' afflizione per l'infausta nuova pervenuta alle nostre orecchie del passaggio all'altra vita del Rè Cattolico Consorte della M.V., quando il Sagro Collegio ci raddoppiò il dolore, destinandoci al Supremo Ministero di S. Chiesa. Noi confondemmo all'ora le nostre lagrime nella riflessione per una parte di così funesto accidente, e per l'altra della propria insufficienza; e poiche non era nelle nostre mani il riparar quello, ci sforzammo almeno di manifestar' questa con tante prove della nostra interna ripugnanza, quante bastassero per tenerci lontani dal Soglio Pontificio. Ci convenne nondimeno sottometterci alle Divine Disposizioni, confidando ugualmente, che essendo la nostra esaltazione opera tutta di Dio, à lui appartenga di renderla opportuna alla sua maggior gloria, e che la morte del Rè habbia accelerato à quella Grand'Anima il premio, che le hanno meritato in Cielo l'eroiche sue virtù. Questa istessa confidenza sollievi l'animo addolorato della Maestà Vostra, siccome mitiga la nostra somma passione; e noi recandolene affettuosamente il motivo con questa lettera di nostro pugno, desideriamo renderla in maniera distinta non solo persuasa del nostro amore Paterno verso di Lei, mà certa ancora, che della Dignità Pontificia ci approfitteremo sempre per incontrare le sue Regie soddisfazioni, e per implorare in grado di Sommo Sacerdote dal Datore d'ogni bene à V. M. una compensazione adeguata alla gran perdita. Tanto esigge dalla nostra gratitudine il zelo de Cardinali di cotesta Nazione, i quali con particolar finezza hanno fatto à gara di promuoverci con la mira d'eseguire ciò, che credevano poter piacere à cotesta Corte, ed in specie alla bontà de' Regnanti; onde il nostro riconoscimento riguarda ora la M. V., à cui lo professiamo sinceramente, concedendole in fine con pienezza di spirito l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die nostræ Consecrationis 30. Novembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

ARGUMENTUM

Assumptionem suam ad Summum Pontificatum, susceptumque ex eâ dolorem Regi Magnæ Britanniæ significat, cujus eximium Catholicæ Religionis zelum, & parem animi constantiam honorificâ laude prosequitur.

Charissimo in Christo Filio Nostro Jacobo Magnæ Britanniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Appena ci vediamo collocati nel supremo Grado dell'Apostolico Ministero, che volgendo gli occhi, e le nostre prime cure al Mondo Christiano, ci si fà incontro la Maestà Vostra, che con zelo sì magnanimo, & intrepido hà tanto operato, & opera, e tanto altresì hà sofferto, e soffre per la Cattolica Religione. Riguardandola, perciò, come un Eroe della Nostra Fede, l'abbracciamo con la maggior tenerezza dell'affetto nostro Paterno. Era già molto prima radicato nell'animo Nostro un' amore pieno di stima, e di compatimento verso la Maestà Vostra; onde non deve ispirarcelo il Trono Pontificio, nè l'esempio del Nostro Antecessore. Desideriamo bensì, ch'egli in Cielo c'impetri dalla Divina Beneficenza forze bastanti à palesarlo con gl'effetti alla M. V., e ne sentiamo nell'interno quella santa confidenza, che viene puramente da Dio, poiche essendo interamente opera sua la nostra esaltazione, non havendoci Noi contribuito altro del nostro, che prima una forte, e giusta ripugnanza, manifestata lungamente con vive lagrime, e superata in fine dal costante, & unanime consenso del Sagro Collegio, e dopo una inesplicabile afflizzione di spirito nell'accettare un sì gran peso, speriamo che Dio medesimo sia per consolare la nostra passione, esaltando la sua Chiesa con i felici successi della Maestà Vostra, come col più intimo del cuore ne supplichiamo la Divina Bontà; E frattanto con li più affettuosi sentimenti dell'animo diamo alla Maestà Vostra la nostra Apostolica, e Paterna Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die nostræ Consecrationis 30. Novembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimo in Christo Filio Nostro Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Allorche Dio Sig. Nostro fece intendere colla voce di tutto il Sagro Collegio di haverci destinato al Grado sublime di suo Vicario in Terra, e che la nostra ripugnanza palesata largamente con vive lagrime, non bastò ad autenticare la cognizione, che Noi habbiamo, della nostra insufficienza à sostenere un sì gran peso; sentimmo ispirarci nell' animo una certa fiducia, che essendo la nostra esaltazione opera della Divina providenza, à

que-

questa toccava di renderla non inutile alla Chiesa. Tiene in essa un sì alto Grado la Maestà Vostra, ed è tanto interessata ne' vantaggi della medesima, che subito rivolta à Lei la nostra confidenza, habbiamo voluto recarlene la notizia con lettera di nostro pugno, per renderle una qualche testimonianza dell' affetto Paterno, e della stima ch'è sì altamente radicata in Noi verso la sua Real Persona: assicurandola nel medesimo tempo, che siccome siamo persuasi dell'eroica Pietà, e zelo della Maestà Vostra, col quale vorrà sempre dal suo canto contribuire alle nostre Pastorali sollecitudini, ed alla quiete del Christianesimo, così dalla nostra parte saremo sempre disposti à concorrere nelle sue Regie soddisfazioni; E frà tanto pregandole da Dio con tutto l'affetto la pienezza delle maggiori felicità, diamo à V. M., e à tutta la Sua Real Casa, la nostra Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die nostræ Consecrationis 30. Novembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

IDEM ARGVMENTVM

Charissimo in Christo Filio Nostro Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Nell'angustia *gravissima*, in cui ci hà costituito la Divina Providenza, elevandoci per suoi imperscrutabili giudizj al Supremo Pontificato, all'esercizio del quale ben conosciamo quanto siano insufficienti le nostre forze; non poco ci sollieva la riflessione del godimento, che V. M. potrà concepire di tal successo, che con la presente lettera scritta di nostro pugno le partecipiamo, mentre sà con quali sentimenti di stima habbiamo sempre riguardato il suo gran merito, e con quali viscere di Paterno amore bramiamo la sua vera gloria, con la felicità di cotesta inclita Nazione, anzi di tutta la Christianità, che tanto si promette dal suo acclamato valore. La più viva parte delle nostre cure sarà certamente l'implorare da Dio benedizioni, e prosperità continue alla M. V., che siccome speriamo, vorrà conciliarsele col mostrarsi sempre più attenta à promuovere i vantaggi della Nostra Santa Religione, così potrà restar sicura, che dal canto nostro non ometterremo occasione alcuna di manifestarle la nostra affettuosa corrispondenza in tutto ciò, che conosceremo potere riuscire di sua soddisfazione; e frattanto co i più teneri sentimenti dell'animo diamo alla M. V. la nostra Paterna, e Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die nostræ Consecrationis 30. Novembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Non ci siamo così tosto rihavuti dall'interna gravissima commozione cagionata in Noi per vederci esaltati alla suprema Dignità della Chiesa, che subito frà nostri primi pensieri hà havuto luogo quello di renderne consapevole la Serenità Vostra con lettera di nostro pugno; e tanto richiedevano da Noi e la somma stima, che sempre habbiamo fatta di cotesta inclita Republica, e la nostra filiale riconoscenza verso Papa Alessandro VIII. di felice ricordanza nostro Benefattore, e il tenero amore, che portiamo accompagnato dalla dovuta gratitudine al Cardinal Ottobono suo Pronipote, e alla sua Casa, senza escludere gl'altri Cardinali Veneziani, che unitamente coll'istesso Cardinal'Ottobono tanto si sono adoprati per collocarci nel Soglio Pontificio. Noi crediamo veramente, che poco merito habbiano acquistato con il Mondo Cattolico, adossando alla nostra debolezza un peso sì grave, e ce ne siamo protestati con profusissime lagrime, contrastando Noi soli al giudizio universale del Sagro Collegio, fino à tanto che la nostra ripugnanza passava, al sentir de' Teologi, per condannabile; mà non per questo possiamo chiamarci meno tenuti alla loro intenzione, anzi stimiamo cosa ragionevole rendere in vantaggio de medesimi questa sincera testimonianza, assicurando nell'istesso tempo Vostra Serenità, che havremo sempre in particolar considerazione, anche sù tal motivo le convenienze d'una Republica tanto benemerita della Cattolica Religione, e della Sede Apostolica, al felice governo della quale tanto contribuisce la singolar prudenza, e pietà insigne della Serenità Vostra, alla quale con tutto l'affetto del nostro cuore diamo per fine la nostra Apostolica Benedizione. Dat. Romæ apud S. Petrum die nostræ Consecrationis 30. Novembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

ARGUMENTUM

Regem Christianissimum laudat, quod in negotio Principis Monaci ejus Oratoris insignem animi moderationem, ac benignitatem ostenderit, debitamque vicem Majestati Suæ effusè pollicetur.

Charissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Dopo scritta alla M. V. altra lettera di proprio pugno ragguagliandola della nostra esaltazione per motivo del nostro distinto, e Paterno affetto verso di Lei, riceviamo impulso da Lei medesima, e dalla sua insigne magnanimità, d'aggiungerle anche la presente; ma non havremo forse espressioni atte à rimostrarle pienamente i nostri sensi interni, & il godimento, che proviamo per questa eroica virtù sua. Il ritorno del Corriero spedito alla

M.V.

M.V. dal Sagro Collegio, hà portata la risoluzione, ch'Ella hà voluto prendere con tanta equità, e moderazione, quanta poteva sperarsene solo dalla grandezza dell'animo suo. Si è degnata V. M. d'accogliere con stima le sincere, e riverenti rappresentanze dell'istesso Sagro Collegio: Hà manifestata la volontà sua con benignità senza pari: Hà ordinato il ritorno in Roma del Principe di Monaco suo Ambasciadore; & in somma hà dato à conoscere, che il suo zelo per la quiete di questa Corte, e per contribuire à una degna elezione del Vicario di Giesù Christo, hà potuto superare ogni altro riguardo. Mà quanto il fine della M.V. è stato pieno dello Spirito del Signore, e meritevole di plauso, e di gloria, tanto più il successo della nostra esaltazione ci rattrista, e ci confonde, fortemente temendo, ch'Ella insieme con tutti gl'altri non ne rimanga delusa, se non che speriamo vorrà la Divina Misericordia premiare l'intenzione retta di chi ci hà eletto, dando vigore alle nostre debolezze per corrispondere adeguatamente all'alto Grado, in cui ci hà collocati. Noi dal canto nostro c'impiegheremo ogni studio, & in tanto tirando sopra di Noi soli le obligazioni, che tutto il Sagro Collegio doveva, e deve principalmente professare alla M.V., ce ne chiamiamo in stretto, e preciso debito, restando fissi nella disposizione di renderle buon cambio della sua Real Clemenza, e di contestarle colle opere quanto nella congiontura presente habbia Ella meritato colla Sede Apostolica, e con Noi. Le prime testimonianze risulteranno dagl'atti d'una rigorosa giustizia, che si userà con quelli, quali dopo le diligenze, che ora di nostr'ordine si fanno esattissime, saranno rinvenuti colpevoli, e dalle rimostranze di stima, che riceverà da Noi il sudetto Principe di Monaco, come suo Rappresentante, e d'amorosa parzialità ciascun'altro, che gode il suo Regio Patrocinio; onde veda il Mondo tutto, che un Figlio tanto divoto, e tanto benemerito della Chiesa, trova in essa un Padre, che sà distinguerlo, e corrispondergli: E qui abbracciando con tutta la svisceratezza del nostro cuore la M. V., le concediamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 2. Decembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

ARGUMENTUM

Venetæ Reipublicæ gratulationem de suâ ad Apostolicum Solium assumptione benignè excipit, ejusque apud Deum precibus, ut gravissimum munus dignè obire possit, juvari enixè flagitat.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri salutem &c. Cùm inter præcipua Christiani Orbis ornamenta inclyta ista Respublica meritò recenseatur, utpotè quæ præter eximia decora, spectatæque sapientiæ, consilii, ac æquitatis laudem, præclaræ in primis pietatis studio, ubique commendetur, & firmissimum Catholicæ Religionis propugnaculum contra Fidei hostes ab omnibus Jure habeatur, non est cur Nobilitatibus vestris explicemus, quàm peculiari paternæ charitatis sensu complexi simus vestra in nos studia, & filialem erga hanc Sanctam Sedem observantiam, quam literis Vestris omni officio refertis, & à dilecto Filio Equite Nicolao Erizzo Oratore apud Nos vestro redditis, ac profectò disertè explicatis profitemini; hoc enim per se satis Vobis,

qui

qui tam præclarè de humilitate nostra sentitis, persuasum esse arbitramur. Illud potius mutuas omnimodæ erga Vos benevolentiæ nostræ significationes, & Paterni cordis vices expostulat, quod scilicet luculentum gaudium ex nostrâ ad Apostolicum Solium assumptione percepisse declaretis, & quòd inde multa rei Christianæ Nobis, licèt immerentibus, ac trepidantibus, commissæ bona, & commoda auspicari non dubitetis. Atqui Ii sanè non sumus, qui amplissimæ Procurationis partes dignè obire valeamus, nisi congrua splendidis auspiciis vestris à Deo præsidia, junctis nobiscum precibus, infirmitati nostræ comparare satagatis. Alacritatem itaque in Nobis quamdam, & spem in Domino non modicam ex egregia vestra in Nos voluntate desumimus, rati, quòd pietatis officio non destituetis, quem judicio vestro tam amanter extollitis. Pro explorato interim Vobis esse cupimus Nos sedulò curaturos esse, ut opinioni, ac lætitiæ, quam hac occasione testati estis, Apostolicæ nostræ charitatis magnitudo semper respondeat. Et Nobilitatibus Vestris in solidæ felicitatis omen Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Decembris 1700. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Mentre eravamo in procinto di partecipare à V.A. la notizia della nostra esaltazione al Supremo Pontificato, ci fù presentato il suo cortese foglio, con il quale hà voluto manifestarci il giubilo, che ne hà provato l'animo suo. Noi leggiamo in esso espressioni così tenere, e sincere dell'interno suo sentimento, che confermatici nel primo pensiero di rimostrarle in maniera distinta la stima, e la cordialità, che habbiamo per Lei, lo facciamo con questa lettera di nostro pugno; confessando che la singolar sua divozione verso questa Santa Sede, e la bontà praticata da sì lungo tempo, e in tante occasioni verso di Noi, meritano tutta la corrispondenza del nostro affetto Paterno. Questa bontà medesima hà havuta anticipatamente gran' parte nel successo, poiche passata già prima ad unirsi con il zelo del Cardinale de' Medici suo Fratello, fece nel cuor' di Lui tanta impressione, che impegnandolo doppo, possiam dire, pertinacemente à volere vederci collocati nel Trono Pontificio, hà lasciato ingannarsi dall'opinione di credercene meritevoli, poco curando le copiose lagrime, con le quali la nostra giusta ripugnanza s'affaticò lungamente per disingannarlo. Riguardando però Noi con debito, e gradimento l'intenzione, non già l'effetto, che ci è riuscito, e tuttavia riesce sommamente penoso, ce ne chiamiamo strettamente tenuti à Lui medesimo, e del pari all' A.V. Sappia però, che mettendo ora insieme tutte le antiche, e le nuove benemerenze d'Ambidue, faremo valerle à continuo eccitamento del nostro tenerissimo amore per l'uno, e per l'altro di Loro, in maniera che habbiano à renderne piena testimonianza le opere in ogni congiontura; ed in tanto con tutto l'affetto del nostro cuore le diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 14. Decembris 1700. suscepti à Nobis Apostolatus Officii Anno Primo..

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Doppo che la M. V. ſi è compiaciuta congratularſi tanto benignamente con Noi della noſtra eſaltazione, le ſarà ſtata preſentata una lettera di noſtro pugno, con cui le ne recavamo la notizia. Se però non habbiamo ſaputo in quella ben eſprimere i ſenſi di ſtima, e d'affetto, co' quali appena ſaliti ſul Trono Pontificio ſiamo venuti ſubito ad abbracciare la M. V., havrà almeno potuto queſt'atto della noſtra tenerezza Paterna verſo di Lei eccitare il ſuo alto intendimento à comprendere il noſtro amore. Noi vediamo bene quanto degnamente ſia impiegato nella Sua Real Perſona; onde volendo, che ſempre più ſi conſervi, e ſi accreſca, non laſciaremo di diſtinguere in ogni occaſione la M. V., come Figlio Primogenito, e benemerito della Chieſa, intereſſato ne' vantaggi della Santa Sede, e nella tranquillità del noſtro Pontificato. Queſti ſono appunto i ſentimenti di V. M., queſti ci obligano infinitamente, ed à queſti applaudendo, le ne rendiamo grazie ſincere, ed affettuoſe; aſſicurandola di haverli accolti con giubilo interno, da cui ci viene iſpirata una piena, e ferma fiducia di vederli meſſi in pratica dall'eroica magnanimità ſua. Preghiamo in tanto Dio inceſſantemente, che ſecondi con le ſue celeſti influenze la noſtra giuſta confidenza, ed i generoſi penſieri della M. V., alla quale con la pienezza del noſtro Paterno affetto concediamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S.Petrum die 22. Decembris 1700. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Raynaldo Eſtenſi Duci Mutinæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Eò gratior Nobis accidit Nobilitatis tuæ ob injunctum Nobis, licèt immerentibus, Eccleſiæ regimen gratulatio, quò eamdem non ex literarum tuarum ſignificatione, etſi ſatis, ſuperque luculentâ, deſumimus, ſed à conſuetâ, Nobiſque admodùm perſpecta tuæ in Nos voluntatis magnitudine metimur. Etſi autem eidem in Nos voluntati indulgendum eſſe ſciamus, quòd præclaram nimis de Nobis foveas opinionem; hanc tamen non ita accipimus, quaſi prolatum de humilitate noſtra judicium, ſed quaſi auſpicium eorum, quæ ad tanti muneris partes rectè obeundas in Nobis amanter, & filiali prorsùs ſtudio requiris. Verùm fulciantur oportet tuæ apud Deum pietatis præſidio tantæ omina felicitatis, ut ſin minus pares votis tuis, & amplitudini miniſterii eſſe valeamus, ſaltem non ſegnes, aut prorsus deſides reperiamur. Atque hæc Nos angit aſſidua cogitatio, quia ſcilicet infirmitatis noſtræ conſcii oneris gravitatem perpendimus, & reformidamus, & niſi Is, qui ſolus noſtræ aſ-

ſumptionis fuit Author, ſuâ Nos ope confirmaret, eâ demum in cogitatione deficeremus. Levaminis deindè non modici loco apud Nos fuit memoratum officium, quod Dilectus Filius Ludovicus Comes de Marciano tuo Nobis nomine appoſitè, atque diſertè explicavit, cui Nos viciſſim latè expoſuimus gratos, memoreſque animi noſtri ſenſus erga Te, quem ob eximia tum tua, tum inclytæ Domus Eſtenſis decora, egregiaſque virtutes, Pontificiâ charitate unicè proſequimur. Ejuſdem verò ſolidum pignus, Nobilitati Tuæ, Filiiſque tuis, quibus propitium bonorum omnium largitorem precamur, Apoſtolicam Benedictionem peramantèr impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Decembris 1700. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Victorio Amedeo Duci Sabaudiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Quàm præclara ſint virtutum ornamenta, quibus præter avita decora præſtat Nobilitas Tua, dudum ſanè novimus; neque enim Nos præterire poterant ea, quæ communi, conſtantique omnium laude efferuntur. Quemadmodum itaque voluntatem Tibi noſtram eximiæ animi tui dotes ſingularem in modum jampridem conciliaverant, ita eam in præſens omninò erga Te propenſam reddit tum Paternum nomen, quo Pontificia Dignitas Nos auxit, tum ſtudium erga Nos tuum officioſiſſimis tuis literis, nec non vivâ voce Dilecti Filii Comitis Granerii, quem libenter excepimus, deque tuis negotiis in poſterùm differentem pari ſemper voluntate audiemus, Nobis luculenter declaratum. Sanè Pontificiæ noſtræ charitati nequaquam ſatis eſt intimi cordis ſenſus his verbis Tibi explicaſſe, niſi Nobis contingat, prout cupimus, eoſdem re ipſa teſtari Nobilitati Tuæ, cui interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. Pontificatus noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Imperatorem Leopoldum impensè hortatur ad rejicienda belli conſilia, pronaſque præbendas aures tractationibus de ſucceſſionis formâ à Carolo II. Hiſpaniarum Rege Catholico in ſuis extremis tabulis conſtituta, ac ubi Illi, cum quibus Majeſtati Suæ res eſt, conſentiant, ad Conciliatoris, ſeu Mediatoris partes aſſumendas ſe, ut communem Patrem decet, paratum exhibet.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Magnum ſanè Pontificiæ noſtræ ſolicitudini, injunctiſque Nobis graviſſimis curis ſolatium accederet, ubi Ejus exemplo, cujus vices, (licèt immerentes) gerimus, Orbe in pacem compoſito, Apoſtolicum munus exordiremur. Verùm non

parùm tanti boni ſpem imminuit id, quod ad Nos publico rumore perfertur: Videlicèt Majeſtatem Tuam ob eam ſucceſſionis formam, quam claræ memoriæ Carolus Secundus (dum viveret) Hiſpaniarum Rex Catholicus moriens præſcripſit, extremiſque tabulis conſignavit, in alias, ac profectò longè diverſas, quàm quæ pacis ſunt, cogitationes abire, multaque ſecum meditari, quæ, ſi ad exequutionem demandarentur, Chriſtianæ Reipublicæ pacem poſt tot bellorum calamitates nuper non ſine multa difficultate initam interturbarent. Nos itaque, quibus meritò ejuſdem Chriſtianæ Reipublicæ ſalus, potiſſimùm verò Italiæ tranquillitas, pro commiſsâ Nobis Eccleſiaſticâ Ditione, quam omni prorsùs ſtudio, labore, atque vigilantiâ cuſtodiendam, ſervandamque ſuſcepimus, cordi eſt, ac eſſe debet, quò majori poſſumus Paterni cordis ſenſu hortamur, atque obteſtamur Majeſtatem Tuam, ut ſalutaribus, pietatique tuæ conſonis conſiliis noſtris, præcipuè ab amantiſſima Tui voluntate depromptis vocibus aures adhibeas, nè malis, atque flagitiis, tum etiam Orthodoxæ Religionis detrimento per turbulentos armorum motus denuò aditus aperiatur: neve indè perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis nova, atque exitioſa moliendi opportunam nactum ſe eſſe occaſionem glorietur; Cæterùm, ut planè conſtet nihil Nos, quod Dignitati, Juribuſque tuis obeſſe poſſit, officiis, precibuſque noſtris urgere, ubi eas, quæ in hoc rerum ſtatu Tibi competere rationes arbitraris, non dubio belli eventu decerni, ſed ad veritatis, atque æquitatis trutinam expendi malueris, ac proindè temperare ſtatuas ab iis omnibus, quæ motus bellicos excitare valeant, atque in hoc ipſum Illi, quibuſcum Tibi res eſt, conſentiant (quod non minori ſedulitate curabimus) ad Conciliatoris, ac Mediatoris partes aſſumendas (quemadmodùm communem Patrem decet) paratiſſimi erimus, ſicuti Venerabilis Frater Joannes Antonius Archiepiſcopus Ariminenſis, quem ut libenter, ac benignè audire velis, enixè à Te petimus, fuſiùs explicabit Majeſtati Tuæ, cui interim proſpera cuncta à Domino precamur, ac Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ Regi Illuſtri, in Romanorum Regem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Innititur præclaræ opinioni, quam de ſingulari, atque eximiâ Majeſtatis Tuæ pietate fovemus, ſpes noſtra, qua gratam tibi benemerendi de universâ Chriſtianâ Republicâ, ac de Pontificiâ voluntate occaſionem fore arbitramur. Perſenſimus ſiquidem non levis moleſtiæ cauſam præbuiſſe Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Leopoldo Romanorum Imperatori electo inclyto Genitori tuo ſupremam claræ memoriæ Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis Catholici diſpoſitionem, ac propterea de aſſerendis bello eiſdem rationibus Eum ſeriò cogitare. Quià verò ſatis compertum, recentique exemplo nimis comprobatum eſt, quantam Populis calamitatum ſeriem, quantam etiam Divino cultui, ac Catholicæ Religioni perniciem afferre poſſint Chriſtianorum Principum diſcordiæ, ac bella, ex quibus etiam ſuas, & quidem exitioſas, occaſiones hoſtes Fi-

dei

dei captare possint, vehementèr Cæsaream Majestatem literis nostris hortati sumus, ut mitioribus consiliis locum dare velit, rationesque, ac Jura sua, adhibitis Conciliatoribus, expendi sinat, atque componi, nostram idcircò Eidem operam, atque mediationem polliciti. Paternâ itaque charitate Nos impellente, & de communi bono, ac pace, quemadmodùm oportet, soliciti, à Te non minori curâ exposcimus, ut studia, opemque tuam, quæ multùm huic causæ prodesse possunt, apud eumdem inclytum Genitorem tuum hortatibus nostris adjicias, satagasque, nè armorum judicio, quod dubium, nec satis æquum Tribunal esse solet, hujusmodi negotium definiendum, tanto publicæ tranquillitatis, ac sacrarum, humanarumque rerum dispendio committat. Hoc Filialis erga hanc Sanctam Sedem, præcipuæque in Nos voluntatis testimonio benevolentiam omnimodam nostram magis, magisque demereberis. Plura super hoc argumento accipies à Venerabili Fratre Joanne Antonio Archiepiscopo Episcopo Ariminensi, dum Nos in multarum felicitatum auspicium Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Dat. Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Leopoldo tit. Sancti Hieronymi Illyricorum S. R. E. Presbytero Cardinali à Kolonitz nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Ut præclaram tuam operam in iis omnibus, quæ ad pietatem pertinent, Nobis polliceamur, faciunt profectò eximiæ tuæ virtutes, quarum tùm multa, tùm insignia extare monumenta novimus. Cumulabis autem eas laudes, benevolentiamque nostram uberiùs demereberis, ubi omni curâ, ac diligentiâ apud Cæsaream Majestatem egeris, nè viribus, ac potentiâ, vel demum aperto bello prosequi sua Jura velit, quibus illatum per Catholici Regis nuper defuncti dispositionem Austriacæ Domui præjudicium fuisse arbitratur, sed potiùs amicabili tractatu negotium cognosci, atque componi patiatur, quemadmodum Nos eidem Majestati hortatores fuimus, nostrâ etiam Ipsimet, ubi è re fore censebit, mediatione oblatâ. Perpendimus enim, quod in magnum tùm publicæ salutis, atque tranquillitatis, tùm Divini Cultus, atque Catholicæ Religionis detrimentum cederet, ac prætereà ampla hostium Fidei insidiis patefieret occasio, si Christiani Principes, pace vix actâ, atque obsignatâ, iterùm inter se diffiderent: Cui quidem periculo cùm occurrere Paternâ vigilantiâ, quantùm in Domino possumus, debeamus, tuæ etiam egregiæ voluntatis studiis in hunc scopum juvari exposcimus, dum Tibi, Dilecte Fili noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Cùm mutuam animorum inter Supremos Chriſtianæ Reipublicæ Reges concordiam fovere, atque ſemper magis conſtabilire non poſtremam eſſe Pontificiæ vigilantiæ curam intelligamus, ubi primùm publico rumore ad Nos allatum eſt Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Leopoldo in Romanorum Imperatorem electo gravem admodùm accidiſſe extremam claræ memoriæ Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis Catholici voluntatem, ac propterea meditari, quò pacto rebus ſuis conſulere poſſet, itaùt præſentem rerum ſtatum, publicamque tranquillitatem quamprimùm perturbatum iri plerique cenſerent, muneris noſtri eſſe duximus ſtatim ad eumdem Imperatorem literas dare, quibus vehementer ipſum hortati ſumus, ut quæ Jura hac occaſione ſibi obvenire arbitraretur, ea pacato animo cognoſci pateretur; nihil autem, quod paci obeſſe poſſet, aggredi vellet. Præterea operam eidem noſtram, & quæcumque à communi Patre prodire poſſunt, officia obtulimus, parati etiam Mediatoris, atque Conciliatoris partes, munuſque ſubire; ubi verò alitèr deliberaret, Nos, neceſſitate quadam impellente, ea inituros eſſe conſilia, quæ ad reddendam ab exterorum Militum incurſu immunem Italiam, in quâ cuſtodiendæ modis omnibus Eccleſiaſticæ Ditionis cura Nobis incumbit, expedire magis arbitrabimur. Quæ omnia eatenùs ad Majeſtatem Tuam deſcribimus, quatenùs confidimus Te pro eximio illo zelo, quo tantâ nominis tui laude eamdem Catholici Regis voluntatem (poſthabitis omnibus) ob bonum Chriſtianæ Reipublicæ, ac Univerſæ Europæ tranquillitatem, complexus es, ſedulò curaturum eſſe, ac per Te ipſum effecturum, ut noſtra hujuſmodi conſilia ſuum aſſequantur effectum, & Italia eâ prorsùs, qua in præſens gaudet, quiete ſubindè fruatur. Cætera uberiùs à Venerabili Fratre Philippo Antonio Archiepiſcopo Athenarum percipiet Majeſtas Tua, cui à Largitore bonorum omnium proſpera omnia enixè precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

ARGUMENTUM

Bellum, quod inter Catholicos Principes ob ſucceſſionem in Regnis Hiſpaniarum metuendum erat, arcere peroptans, à Rege Portugalliæ petit, ut officia à Sua Sanctitate adhibita in ſcopum adducendi ipſos Principes ad viam potius æquitatis, quàm armorum, ineundam authoritate, conſiliiſque ſuis diligenter urgere velit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ut intelligeremus, non minùs oneris Nobis injunctum, quàm honoris fuiſſe collatum in Pontificia Dignitate, ad quam, licèt immerentes, evecti ſumus, graviſſimæ Nobis curæ in ipſo Apoſtolici miniſterii exordio occurrunt, dum multorum teſtimonio admonemur proximum imminere periculum, nè pax inter Chriſtianos Principes poſt tot, tamque diuturnas Populorum calamitates, tandem inita quamprimùm evertatur. Cùm enim per obitum claræ memoriæ Caroli Secundi Catholici Regis ampliſſimæ Regnorum, quæ eidem viventi obtigerant, ſucceſſioni factus ſit locus, metuendum eſt, nè Principes ad arma confugiant, ut ſibi ipſis fortè belli eventus adjudicet, quod ſuis freti rationibus aſſequi contendunt. Quod quia in magnum diſcrimen Chriſtianæ Reipublicæ verteretur, Nos, quemadmodum Paterna charitas expoſtulat, ſoliciti, omnes Catholicos Principes vehementer literis noſtris hortamur, ut viam potius æquitatis, quàm armorum, ineant, quò res ſuas componant, nè fideles Populos recentibus malis attritos denuo in diſcrimen adducant: non recuſantes communis Patris, ac Mediatoris partes aſſumere, ubi in id pariter omnes conſentiant. Cùm verò de eximiâ Majeſtatis Tuæ pietate, ac prudentiâ plurimùm Nobis polliceamur, utramque in præſidium officiorum noſtrorum advocamus, ut hoc idem urgeat conſiliis ſuis, quod Nos enixis precibus expoſtulamus. Confidimus autem, quòd præclaram hanc laudis apud homines, meritique apud Deum Tibi comparandi occaſionem non ſis dimiſſurus. Demereberis hoc etiam nomine magis, magiſque benevolentiam noſtram, quam reipsâ declarare Tibi parati ſumus. Plura ſuper hoc tanti momenti negotio percipies à Venerabili Fratre Michaele Angelo Archiepiſcopo Tarſenſi, quem ut libenter audias, admodùm cupimus. Majeſtati interim Tuæ uberem à Deo Optimo Maximo bonorum copiam apprecamur, ac Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Vigilantia, quâ crediti Nobis Dominici Gregis omnimodæ felicitati, quantùm in Domino possumus, prospicere debemus, Nos admonet, ut de temporali ejusdem tranquillitate, in qua spiritualis salus magna ex parte continetur, soliciti indesinenter simus. Quocirca cùm publico rumore ad Nos perlatum sit, per obitum claræ memoriæ Caroli Secundi Catholici Regis magna inter nonnullos ex Supremis Christianæ Reipublicæ Regibus, atque Principibus excitari posse dissidia, imò etiam bella, prout jam ex armorum apparatu conjicere datur: Nos eâ, quæ communem Patrem decet, molestiâ affecti ad Majestatem Tuam, quemadmodum ad reliquos Reges, ac Principes Orthodoxos, timoris, ac doloris nostri causas deferimus, ut singulorum animos ad studium pacis convertamus. Rati autem in rem fore mediationem nostram apud eos, inter quos hujusmodi controversiæ suboriri, aut subortæ in bella, ut præfertur, erumpere possunt, non gravati sumus eisdem exhibere operam nostram ad ineundum tractatum, per quem dissensiones omnes procul ab armorum strepitu componantur. A' Te autem, de cujus propensâ in bonum publicum voluntate admodum confidimus, accuratè exposcimus, ut sedulò consiliis, atque officiis tuis agere velis, atque contendere, ne pax inter eosdem Reges, ac Principes perturbetur. Erit id quàm maximè Deo, qui supremus pacis est Author, gratum, & communi bono salutare, præsertim, ne ulla hostibus Fidei detur occasio odia, insidiasque suas in perniciem Christianorum proferendi. Majestati interim Tuæ uberem à Deo bonorum copiam precamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

ARGUMENTUM

Venetæ Reipublicæ significat Paterna officia cum Imperatore, aliisque Regibus, & Principibus Catholicis adhibita, ut rejectis belli consiliis amicabiles tractationes pro successione in Hispaniarum Regnis amplecti velint. Ubi verò ad arma deveniatur, commendatissimam sibi esse ait Italiæ tranquillitatem, & Ecclesiastici præsertim Dominii ab omni discrimine tuitionem, prædictæque Reipublicæ ope, ac officiis utrumque in scopum juvari postulat.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Perspectum esse eximiæ Nobilitatum Vestrarum prudentiæ arbitramur, quòd cum per se satis magna sit claræ memoriæ Caroli Secundi Hispaniarum Catholici Regis, pii, religiosique Principis jactura, tum eò etiam nomine gravis accidit Christianæ Reipublicæ, quia meritò timendum est, ne inde multæ discordia-

rum

rum inter Supremos Reges emergat occasio, eversâque pace inter eos nuper initâ, luctuosis iterum bellorum incendiis universa flagret Europa. Quibus quidem malis, ut publicus fert rumor, jam jam imminentibus omnino, quantùm in Nobis est, occurrere cupientes, muneris nostri esse duximus gravibus, solidisque officiis, enixis etiam precibus, tum Cæsaream Majestatem, tum Charissimos in Christo Filios Nostros Reges, cæterosque Catholicos Principes hortari, ut mutuam animorum concordiam retinentes, rationes, ac Jura sua non viribus, atque potentiâ urgeant, sed veritatis viâ expendi patiantur, ne luctuosis illis calamitatibus, Deique offensis, quarum ferax bellum esse solet, nondum planè obducto Christiani Populi vulnere, novus iterum aditus aperiatur. Quin etiam eisdem, ubi unanimiter in hoc consentiant, atque ab excitandis hujusmodi motibus abstinere velint, Conciliatoris, ac Mediatoris partes, quemadmodum Pastoralis Officii nostri ratio exigit, non ægrè Nos suscepturos esse declaravimus. Verùm non ideò liberi sumus ab eâ cogitatione, gravissimâque curâ, quam Christianæ quidem Reipublicæ saluti, atque incolumitati, præsertim verò Italiæ tranquillitati, impendere omnino debemus; ita enim exposcere videtur demandata Nobis Ecclesiasticæ Ditionis custodia, quam nequaquam prætermittere possumus, sed imò nullo non studio, labore, atque conatu Ditionem eamdem ab omni prosus discrimine eximere, immunemque reddere tenemur, atque profectò volumus. Satis autem constat nihil tam Catholicæ Religionis cultui, pacificoque Civitatum, ac Locorum tum præfatæ nostræ, tum finitimarum Ditionum statui officere posse, quàm exterorum Militum intra fines Italiæ admissa semel impressio. Quia verò in hac ipsâ sententiâ esse Vos, atque in hoc salutari consilio Inclytæ istius Reipublicæ, ac Dominii vestri securitatem, ac felicitatem magnâ ex parte contineri existimamus, intimos animi nostri sensus, quos Dilecto Filio Equiti Nicolao Erizzo Oratori apud Nos Vestro aperuimus, Vobis explicare hisce etiam nostris literis æquum esse duximus, ut quoties in hunc ipsum scopum studia, atque actiones vestras re ipsâ dirigere statuatis, quid apud Nos constitutum sit, planè Vobis innotescat, sicuti fusiùs percipietis à Venerabili Fratre Augustino Archiepiscopo Amasiæ Nuncio istic nostro. Nobilitatibus interim Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Cùm nuper ad Nos publico rumore delatum sit, quantùm Cæsaris animum commoverit morientis Caroli Secundi claræ memoriæ Catholici Regis postremis tabulis declarata voluntas, quotque inde bellorum tumultus ad Italiæ tranquillitatem labefactandam facilè possint exoriri, illicò gravi meditatione perpendimus, quæ Pontificem consilia, quæ Principem decerent, ut scilicet Catholicam Religionem ab omni prorsus labe servaremus innoxiam, populorumque securitatem nostro studio, ac nostris conatibus custodiremus. Verùm utramque

ſummoperè periclitari quis non videt, ſi fortè, quod Deus avertat, parva, quæ circumferri fama eſt, bellorum ſcintilla in incendium erumpat, Italiæve fines conſueto armorum impetu concutiat. Venienti ſanè malo occurrere noſtrum eſſe duximus; ideòque ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Leopoldum in Romanorum Imperatorem electum, literas dedimus, plenas equidem amoris noſtri, ac quam in ejuſdem perſpectâ pietate collocatam habemus, fiduciæ ſignificationibus refertas, ejuſque Majeſtatem ſeriò hortati ſumus, ac etiam enixis precibus expoſtulavimus, ut à periculoſis conatibus vellet abſtinere, & ſi quid per eamdem Caroli Regis ultimam voluntatem ſuis Juribus detractum eſſe credat, noſtro potius, paterno ſanè, ac nulla animi affectione præoccupato, quàm incerto armorum judicio, reparari ſtudeat: Ideò Nos Illi Mediatores,ac Conciliatores exhibuimus, illud pariter admonentes, quòd ſi ſtudium, officiumque noſtrum renuat, malitque per arma Jus ſuum experiri, Nobis non adſcribendum putet, ſi publicæ quietis amor, ſi noſtræ Ditionis tutela Nobis cordi cum maximè ſit, ac eſſe debeat, ea meditari cogemur, quæ à Dignitate Pontificis, ac Principis authoritate ſejungi minimè poſſe exiſtimamus. Hos ipſos animi noſtri ſenſus Regibus Catholicis aperuimus, illos plurimùm rogantes, ut quoquo poſſent modo ſedulitati noſtræ ſuffragari, mentemque Cæſaream, ſuâ quidem ſpontè ad ſaniora conſilia propenſam, ad pacis ſtudia revocare conentur. Demum hæc ipſa Venetiarum Rempublicam, vicinoſque Principes, quibus eadem, ac Nobis, tutandæ Italiæ cura ſit, oportet, cum eadem ſit diſcriminis ratio, non latere voluimus, eoſdemque per noſtras literas in conſortium curarum noſtrarum advocavimus. Nobilitatem idcircò Tuam pro eo, quem inter eoſdem Principes inſignem tenet, loco excitandam pariter arbitramur, ut poſtquam ſingulari, quâ pollet, prudentiâ, ac Religionis zelo, hæc rerum momenta libraverit, unâ Nobiſcum Italiæ tranquillitati ſuis officiis, apud quos profutura eſſe cognoverit, conſultum velit. Nobis apprimè rem gratam facies, nec non Chriſtiano Principe dignam, rebuſque tuis perutilem, & neceſſariam; Quippè qui planè intelligis, quantùm vel Regionibus, Populiſve, quos regis, malorum immineat, niſi bellum arceatur, ideoque à pluribus abſtinentes, Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Decembris 1700. &c.

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCCI.



NARRAVIT POPULO VERBA DNI CONGREGANS SEPTUAGINTA VIROS DE SENIBUS ISRAEL. Num. Cap. XI. u. 24.

ARGUMENTUM

Sabaudiæ Ducem certiorem facit de officiis, quæ cum Catholicis Regibus, & Principibus ad amoliendum imminentis belli periculum, & publicam tranquillitatem custodiendam adhibuerat, Ejusque opem exposcit, ut Vota Pontificia optatum ad exitum perducantur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Victorio Amedeo Duci Sabaudiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Constans multorum fama ad Nos pertulit Universæ Christianæ Reipublicæ pacem, potissimum verò Italiæ tranquillitatem, in magnum discrimen adduci, ex quo Charissimus in Christo Filius Noster Leopoldus in Romanorum Imperatorem electus meditatur bellico apparatu Sibi, Austriacæque Domui asserere ea Jura, quibus cl. me. Caroli II. Hispaniarum Regis Catholici mortem locum fecisse arbitratur. Quod ubi accepimus, Pastoralis nostræ vigilantiæ munus esse duximus omni prorsus studio, atque officio datis ad eum literis agere, atque contendere, ut ipsum ad mitiora, ac planè pietati suæ magis consona consilia revocaremus; in quem scopum Nos etiam ad subeundas Mediatoris partes paratos fore eidem explicavimus; subinde verò latè prosequuti sumus tum malorum, tum calamitatum seriem, tum etiam à communi hoste pericula, quæ secum armorum motus, non sine magno Divini Cultus, & Catholicæ Religionis detrimento, afferre posset, & profectò afferret; ac demum illud adjunximus, ne præterire omninò nostra videremur, Nobis, ubi Majestas Sua aliter, quàm paternè hortabamur, statueret, additum iri illam

pla-

planè moleſtam neceſſitatem, quâ Eccleſiaſticæ Ditionis indemnitati conſulere tenebamur. Paria pro cujuſcumque ratione officia ad Chariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Reges, cæteroſque Catholicos Principes direximus, eoſque ſimiliter hortati ſumus ad conſervandam tum per ſe ipſos, tum authoritate ſuâ apud alios pacem ſemel initam, mutuamque concordiam. Cùm autem exploratum apud Nos ſit quantâ, & quàm eximiâ prudentiâ præſtet Nobilitas Tua, quàm etiam probè momenta rerum expendat, Eidem hos Paterni animi noſtri ſenſus explicandos eſſe duximus, ut quo flagrat communis boni zelo, eodem ſatagat, ut Vota noſtra, hortatuſque præfati ad optatum exitum deveniant, præſenſque rerum ſtatus, atque tranquillitas omnino cuſtodiatur, quemadmodum fuſiùs à Venerabili Fratre Alexandro Archiepiſcopo Neocæſareæ percipiet Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1701. Pontif. Noſtri Anno I.

Ducibus Mantuæ, & Parmæ eod. exem. mut. mutand.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Raynaldo Eſtenſi Duci Mutinæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Conſtans multorum fama ad Nos pertulit univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ pacem, potiſſimum verò Italiæ tranquillitatem, in magnum diſcrimen adduci, ex quo Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Leopoldus in Romanorum Imperatorem electus, meditatur bellico apparatu Sibi, Auſtriacæque Domui aſſerere ea Jura, quibus claræ memoriæ Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis Catholici mortem locum feciſſe arbitratur. Quod ubi accepimus, Paſtoralis noſtræ vigilantiæ munus eſſe duximus omni prorſus ſtudio, atque officio datis ad eum literis agere, atque contendere, ut Ipſum ad mitiora, ac planè pietati ſuæ conſona conſilia revocaremus, in quem ſcopum Nos etiam ad ſubeundas Mediatoris partes paratos fore eidem explicavimus. Subinde verò latè proſequuti ſumus tum malorum, tum calamitatum ſeriem, tum etiam à communi hoſte pericula, quæ ſecum armorum motus non ſine magno Divini Cultus, & Catholicæ Religionis detrimento, afferre poſſet, & profectò afferret. In hunc fermè ſenſum ad Chariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Reges officia noſtra direximus, eoſque ſimiliter hortati ſumus ad conſervandam tum per ſe ipſos, tum authoritate ſuâ apud alios pacem ſemel initam, communemque concordiam, ac demum illud adjunximus, ne præterire omnino noſtra videremur, Nobis, ubi aliter, quàm paternè hortabamur, eveniret, additum iri illam planè moleſtam neceſſitatem, quà Eccleſiaſticæ Ditionis indemnitati conſulere tenebamur. Cùm autem exploratum apud Nos ſit, quantâ, & quàm eximiâ prudentiâ, præſtet Nobilitas Tua, quàm etiam probè momenta rerum expendat, Eidem hos Paterni animi noſtri ſenſus explicandos eſſe duximus, ut quò flagrat, communis boni zelo, eodem ſatagat, ut Vota noſtra, hortatuſque præfati optatum ad exitum deveniant, præſenſque rerum ſtatus, atque tranquilitas omnino cuſtodiatur. Nobilitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datùm Romæ &c. die 1. Januarii 1701. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Invaluit publicus rumor, quòd Charissimus in Christo Filius Noster Leopoldus, in Romanorum Imperatorem electus, perceptis iis, quæ claræ memoriæ Carolus Secundus Hispaniarum Rex in extrema sua voluntate demandavit de excitandis belli motibus, & fortè etiam de immittendis in Italiam copiis cogitet, ut vi, ac armis afferat, quæ Sibi, atque Austriacæ Domui competere Jura per ejusdem Catholici Regis mortem arbitratur. Nos itaque non modò pro eâ, quâ mutuæ Christianorum Principum concordiæ prospicere debemus, Pastorali vigilantiâ, verùm etiam pro singulari curâ, quæ à Nobis impendenda est in custodiendâ Italiæ tranquilitate, ut videlicet innoxia ab omni prorsus discrimine commissa Nobis Ecclesiastica Ditio servetur, accuratas, atque omni officio refertas ad Imperatorem præfatum dedimus literas, quibus Eumdem sedulò hortati sumus, ut pacatis potius consiliis (in quem scopum mediationem Eidem nostram etiam obtulimus) quàm vi, & armis Jura sua prosequi velit; consonum enim esse, tum suæ ipsius, tum avitæ pietati ab iis omnibus temperare, quæ innumeris Populorum calamitatibus, tum etiam flagitiis, ac Dei offensis causam prębere possunt. In eumdem fermè sensum ad reliquos Charissimos Filios Nostros Reges scripsimus, quibus pariter suadere curavimus, ut Christianæ Reipublicæ pacem, tamquam commune bonum, custodire omnino vellent; Nec tamen illud omisimus, quod ubi aliter, quam hortabamur, ac profectò sperabamus, eveniret, ad expendendum quo pacto non minus rebus nostris, quàm Italicæ quieti consuli possit, necessitate quadam compellemur. Quia verò non ambigimus, quin Nobilitates Vestræ, quarum perspecta sanè est prudentia, probè intelligant, quantum communi bono expediat memoratorum Principum animos in concordià retinere, & eos, qui fortè diffidant, ad pacis studia revocare, quantùm pariter Italiæ rebus salutare sit, nihil intentatum relinquere, quò omnes armorum motus, Militumque incursus ab hac Provinciâ avertantur, animi nostri sensus, & quæ hac occasione à Nobis gesta sunt, Vobis aperienda esse duximus, ut studia etiam vestra in hunc scopum, quemadmodum facturos Vos esse confidimus, dirigere satagatis. Et Nobilitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1701. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis Scultetis, Landamannis, & Senatui octo Pagorum Helveticorum Catholicorum, videlicet Lucernæ, Uraniæ, Subsilvaniæ, Svitii, Tugii, Friburgi, Salodori, & Abbatiscellæ, unà cum Catholicis Claronensibus, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus,

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Confidimus spectatam vestram prudentiam probè jam cognovisse, nihil tam Christianæ Reipublicæ felicitati proficuum esse, quàm si pax inter Reges, ac Principes nuper inita diù vigeat, atque servetur; è contra verò quantùm communi bono obesse possint armorum motus, & præfatorum Principum contentiones, ubi iterum in apertum bellum erumpant. Proinde Pontificiæ vigilantiæ partes esse duximus statim iis malis occurrere, quæ ob claræ memoriæ Caroli Secundi Hispaniarum Regis Catholici mortem, demandatamque ab eo successionis formam, Fidelibus Populis appropinquare, aut propè impendere non obscuro rumore vulgatur. Accuratas itaque singulis Charissimis Filiis Nostris Regibus, cæterisque Catholicis Principibus literas dedimus, quibus efflagitavimus, ut mutuam inter se voluntatem imminui non sinant, sed imò suis invicem officiis, atque authoritate agant, & curent, ut quæ fortè in nonnullorum animos immissa sunt, discordiarum semina, ea quàm celerrimè intereant. Majestatem verò Cæsaream omni Paterni cordis studio hortati sumus, ut Jura, quæ Sibi, & Austriacæ Domui hac occasione deberi censet, pacatis consiliis, & pro æquitate expendi, Nobis etiam, ubi è re fuerit, Mediatoribus, patiatur, nullamque bellorum viam ineat, ne scilicet Populorum ærumnis, atque calamitatibus, potissimum verò Dei offensis, causam præbuisse videatur. Italiæ demum tranquillitatem ita Eidem commendatam esse volumus, ut omnino Nobis cordi esse pro injunctâ Nobis Ecclesiasticæ Ditionis tutelâ intelligeret. Ab eximiâ etiam animi vestri pietate Nobis pollicemur, quòd studia in publicum bonum vestra dirigere non sitis omissuri, ut amplam à Deo mercedem, ab hominibus laudem demereamini: quo pariter nomine cumulabitur nostra erga Vos benevolentia, sicuti fusiùs percipietis à Venerabili Fratre Julio Archiepiscopo Rhodiensi. Vobis interim, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Perspecto Nobilitatis Tuæ zelo, eximiæque pietati significandum esse ducimus, quòd Nos, ubi publico rumore accepimus universæ Christianæ Reipublicæ pacem, in primis verò Italiæ tranquillitatem, periclitari, ex quo Charissimus in Christo

Fi-

Filius Noster Leopoldus in Romanorum Imperatorem electus meditatur bellico apparatu Sibi, & Austriacæ Domui asserere ea Jura, quibus locum fecisse claræ memoriæ Caroli Secundi mortem arbitratur, ad eumdem Imperatorem literas Paternis officiis refertas dedimus, quibus eumdem ad Pacis studia revocare omni prorsùs studio curavimus. Operam prætereà Eidem nostram, ubi per Mediatorem, atque Conciliatorem res expendenda sit, obtulimus, parati nullis profectò laboribus parcere, quò inita inter Christianos Principes Pax subsistat, & Italia ab omni prorsùs armorum incursu reddatur immunis, quemadmodùm custodiendæ omninò Ecclesiasticæ Ditionis injunctaNobis cura exposcere videtur. Sedulò pariter reliquos Charissimos in Christo Filios Nostros Reges, Catholicosque Principes ad habendam publicæ felicitatis rationem hortati sumus, ab eisque flagitavimus, ut ab excitandis Armorum motibus tùm ipsi temperare vellent, tùm alios salutaribus consiliis averterent. Hæc ad Te perferimus rati, quod satis sit Tibi indicare,& si res satis per se explorata sit, in hoc Pacis conservandæ studio, atque proposito commune bonum, Votaque nostra contineri, ut à perspectâ tuâ prudentia omnia consilii, & authoritatis tuæ præsidia, quibus officia nostra juventur, luculenter Nobis polliceamur. Plura super hoc tanti momenti negotio à Venerabili Fratre Horatio Philippo Archiepiscopo Thebarum accipiet Nobilitas Tua, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano Emanueli Duci Bavariæ, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Ea est Nobilitatis Tuæ æquitas, atque prudentia, ut planè Nobis persuasum sit Te probè intelligere nihil tàm Christianæ Reipublicæ saluti, atque felicitati proficuum esse, quàm quod Pax inter Reges, ac Principes nuper inita diù vigeat, atque consistat; è contrà verò quantùm communi bono obesse possint Christianorum Principum contentiones, ubi iterùm in apertum bellum erumpant. Pontificiæ itaque vigilantiæ partes esse duximus statim iis malis occurrere, quæ ob claræ memoriæ Caroli Secundi Hispaniarum Regis Catholici mortem, demandatamque ab eò successionis formam appropinquare, ac propè imminere Fidelibus Populis non obscuro rumore percepimus. Accuratas itaque ad Charissimos in Christo Filios Nostros Reges Orthodoxos literas dedimus, quibus vehementer expostulavimus, ut mutuam inter se voluntatem imminui non sinant, sed immò suis invicem officiis, atque authoritate agant, & curent, ut quæ fortè in nonnullorum animos immissa sunt, discordiarum semina, ea quàm celerrimè intereant. Majestatem verò Cæsaream omni Paterni cordis studio hortati sumus, ut Jura, quæ Sibi, & Austriacæ Domui hac occasione competere censet, ea pacatis consiliis, ac prò æquitate expendi, atque componi, Nobis etiam intervenientibus, atque Mediatorem agentibus, patiatur, nullatenùs verò bellorum viam ineat, nè Populorum ærumnis, atque calamitatibus, Deique offensis causam præbuisse videatur; Italiæ demùm tranquillitatem ita ei-

dem commendatam esse voluimus; ut eam omninò Nobis cordi esse, pro injunctâ Nobis Ecclesiasticæ Ditionis tutelâ, intelligeret. Nobis itaque pollicemur, quod Tu ingenitæ tuæ pietatis ductu, consilii, atque authoritatis tuæ præsidia in publicum bonum, quod profectò in custodiendâ pace continetur, sis collaturus, ut tua apud Deum promerita, apud homines gloriam cumules, & omnimodam Pontificiæ nostræ erga Te voluntatis propensionem demerearis. Et Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vuilhelmo Comiti Palatino Rheni, Duci Neoburgi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quemadmodum ad Pontificiam vigilantiam summoperè pertinere arbitramur Christianorum Principum pacem, & concordiam tueri, atque sedulò custodire, ita non alienum à Munere nostro esse ducimus singulari quâdam, ac præcipuâ curâ Italiæ tranquillitati prospicere ob demandatam Nobis Ecclesiasticæ Ditionis custodiam. Quocirca multorum testimonio admoniti Cæsaream Majestatem bellicos apparatus meditari, ut Sibi, & Austriacæ Domui afferat Jura successionis per supremam claræ memoriæ Caroli Secundi Hispaniarum Regis Catholici voluntatem alteri adjudicata, statim validis tum officiis, tum precibus Eam paternè hortati sumus, atque obtestati, ut ab hujusmodi consilio, quod universam Christianam Rempublicam in discrimen adduceret, mentem revocare velit, & adhibitis Conciliatoribus (in quem scopum mediationem eidem nostram obtulimus) eadem Jura expendi, atque componi patiatur. Exoptare Nos inprimis, ne hujusmodi motus Italiæ fines attingant, ex quò custodiendæ Ecclesiasticæ Ditionis cura Nobis omnimoda incumbit. Cæteris autem Regibus, atque Catholicis Principibus suadere conati sumus, ut publicam pacem omnino contineant, eamque magis, magisque obfirmare, atque constabilire tum per se, tum mutuis officiis curent, & satagant. Verùm in tanti momenti negotio, quod apprimè Nobis cordi est, nequaquam dimittere possumus eam spem, quam præ cæteris in eximia æquitate, ac pietate Nobilitatis Tuæ, tum etiam in singulari erga Nos studio jampridem Nobis perspecto, meritò collocamus. A' Te itaque vehementer expetimus, ut pro eo, quo apud Cæsaream Majestatem tum authoritatis, tum propinquitatis es loco, diligenter agas, ut petitiones nostræ præfatæ optatum exitum assequantur, memorataque animorum concordia non perturbetur; quibus sanè consiliis à supremo bonorum omnium, & pacis Auctore mercedem præclaram, à rectis autem, probisque Viris laudem eximiam referes, & nostra in te cumulabitur benevolentia, quam profectò præcipuis argumentis declarare cupimus Nobilitati Tuę, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Neapolitanæ Civitatis gratulationi ob Summum Pontificatum benignè respondet.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Electis Civitatis Neapolitanæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Etsi Nobis infirmitatis nostræ probè consciis assiduæ trepidationis argumentum præbeat illa ipsa Pontificiæ Dignitatis magnitudo, quam Nobilitates Vestræ multâ studii in Nos vestri significatione gratulantur, libenti tamen animo hujusmodi officia percepimus, quia filialem vestram in hanc Sanctam Sedem observantiam Nobis luculenter testantur. Ceterùm præclaræ vestræ de exiguitate nostrâ opinioni nequaquam respondere posse præsumimus, nisi exoratus vestris quoque precibus Deus, adjutor fortis, mittat Nobis auxilium de Sancto. Illud interim compertum Vobis esse cupimus gratas semper Nobis fore occasiones Vobis explicandi, quanti faciamus inclytam istam Civitatem, & singulares etiam Personas Nobilitatum Vestrarum, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1701. Pontif. Nostri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Francisco Farnesio, Parmæ, & Placentiæ Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Avita decora, & præclaras animi dotes jampridem in Nobilitate Tua inspeximus, & præcipuâ semper existimatione, atque amore prosecuti sumus; nunc verò Paterni nominis accessione cumulari singularem nostram erga Te charitatem percipimus. Quo fit, ut luculenta gratulationis officia ob commissum Nobis, licèt immerentibus, Ecclesiæ regimen, & felicitatis auspicia, quæ tuis ad Nos literis una cum filialis tuæ in hanc Sanctam Sedem, Nosque ipsos observantiæ significatione ad Nos detulisti, grata supra modum Nobis acciderint, & benevolentiam Tibi nostram magis, magisque conciliaverint. Hanc itaque præclaris documentis Tibi explicare cupimus; interim verò læta omnia precamur Nobilitati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 8. Januarii 1701. Pontif. Nostri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Quòd nostra in Pontificem Maximum electio, quæ, inscrutabili Dei judicio, nullo sanè meritorum nostrorum suffragio, contigit, singulare gaudium Nobilitatibus Vestris attulerit, tribuendum est egregiæ vestræ in Nos voluntati, quam literæ ad Nos vestræ luculenter testantur, & Dilectus Filius Philippus Cataneus, qui eas reddidit, disertè Nobis explicavit. Quòd autem tam uberes in bonum Christianæ Reipublicæ fructus ex eadem electione Vobis polliceamini, id vestris potius votis pro spectatâ pietate, & filiali in hanc Sanctam Sedem observantiâ vestrâ expetendum est, quàm ab imbecillitate nostrâ sperandum. Ut itaque difficillimi muneris partibus, & præstantissimis Prædecessorum nostrorum exemplis, & præclaræ expectationi vestræ respondere valeamus, juvari vestris apud Deum precibus vehementer exposcimus. Ceterùm Paternæ charitatis, quâ inclytam istam Rempublicam prosequimur, præcipua documenta, ubi suppetent occasiones, reddere cupimus Nobilitatibus Vestris, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 8. Januarii 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiscopo Trevirensi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Evecti non sine gemitu cordis nostri ad Apostolicæ Dignitatis fastigium, dum oculos, quasi ex speculâ, ad universum Christianum Orbem convertimus, & præsentem temporum conditionem, mox autem virium nostrarum infirmitatem, & Ministerii debitum expendimus, vehementius cogimur dolere. Non tamen animo concidimus, sed omnem spem in Eo constituimus, qui sperantes in se confundi non patitur. Quocirca præmissâ uberi Pontificiæ nostræ charitatis responsione gratulationibus à Fraternitate Tua officiosè prorsus ad Nos delatis, à Te diligenter expetimus, ut consociatis Nobiscum precibus Patrem misericordiarum exores, ut nostra ad crediti Nobis Gregis salutem dirigat consilia, eamque humilitati nostræ virtutem reddat, quâ fulcire labantem Christianæ Reipublicæ tranquillitatem valeamus. Ut autem tuæ pietatis præsidia advocemus, facit perspecta Nobis tuarum virtutum præstantia, tum etiam zelus, quo flagras in administratione insignis istius Ecclesiæ, ac tua demum in hanc Sanctam Sedem egregia voluntas, ac singularis prorsus observantia, quæ omnia propitium, ac pronum in tua vota Deum facilè reddituta esse confidimus. Quę interim sit nostra erga Te benevolentia, frequenti ejus usu, & præclaris documentis, ubi suppetent occasiones, explicabimus Fraternitati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 12. Januarii 1701. Pontif. Nostri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quod effusæ lætitiæ publica testimonia ediderit Nobilitas Tua, ubi accepit nostram ad Apostolicum fastigium assumptionem in eum diem auspicato incidisse, qui Divo Clementi sacer, ac solemnis præcipuo in honore à Te meritò habetur, singularis tuæ pietatis argumentum est, nec non tui in Nos studii specimen præclarum. Conciliatur Tibi proinde hoc etiam nomine Pontificia nostra benevolentia, quam luculentis documentis explicare Tibi cupimus, dum Nos iis votis, quibus uberes, anno ineunte, felicitates Nobis precaris, vices ex intimo cordis rependimus, & propensæ in Te voluntatis nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 12. Januarii 1701. Pontif. Nostri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano Emanueli Duci Bavariæ, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Habent pretium sanè ingens apud Nos gratulationis officia à Nobilitate Tua ob collatam Nobis, licèt immerentibus, Pontificiam Dignitatem ad Nos delata; cum enim per se luculenta sint, & filialis tuæ in hanc Sanctam Sedem observantiæ significationibus referta, ab ejus præterea animo prodeunt, qui in se uno universa inclytæ Bavariæ Domus in eamdem Sedem promerita complectitur. Compertum Tibi itaque omnino esse volumus veterem illam benevolentiam, quâ Te ob insignia tua decora, singularesque virtutes prosequebamur, Paterni nominis accessione mirificè cumulatam esse, quemadmodum fusè explicavimus Dilecto Filio Abbati Pompejo Scarlatto, quem suismet dotibus Nobis admodum probatum, hoc præsertim nomine libenter excipiemus, quia tuæ apud Nos voluntatis interpres, & quidem sedulus, & accuratus à Te designatus est. Superest, ut pares votis nostris emergant occasiones, quibus omnimodam propensionem charitatis Nostræ declarare possimus Nobilitati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 12. Januarii 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Francisco Archiepiscopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Apostolici Muneris, ad quod obeundum (meritis licèt impares) evocati sumus, etsi amplissima sit Dignitas, adeò tamen reformidandum est onus, ut consolationis potius, quàm gratulationis officia, mentem nostram jure trepidantem oblectent. Si quod autem solatium Nobis, quibus omnium Ecclesiarum cura incumbit, obvenire potest, illud sanè non aliunde, quàm à zelo, & vigilantiâ eorum, qui in partem solicitudinis nostræ venire debent, præstolamur. Quo fit, ut Fraternitatis Tuæ literæ omni prorsus erga Nos studio refertæ, eo potissimùm nomine gratæ Nobis acciderint, quia eximium singularis tuæ in hanc Sanctam Sedem observantiæ specimen præseferunt, cui non ambigimus, quin Pastoralis tua in istius insignis Ecclesiæ administratione sedulitas, ac cura respondeat; Satis enim perspectæ tuæ prudentiæ compertum est, quòd quò præclarior est locus, quem in Ecclesia Dei obtines, eò præstantius pietatis exemplum in custodiendo, atque tutando credito Tibi grege exhibere debes. Nos sanè propensæ nostræ in Te voluntatis pignus aliquod tibi reddere cupientes, impedimenta secundi gradus Consanguinitatis, quæ obstabant, quominùs matrimonium à Dilecto Filio Barone Francisco Ervvino de Schonborn cum Dilecta pariter in Christo Filia Comitissa de Dernbach contrahi posset, libenter removimus, sicuti fusiùs intelliges ab Abbate Melchiore. Fraternitati interim Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 15. Januarii 1701. Pontif. Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Cleri secundarii Civitatis Leodiensis rationes, & Ecclesiasticæ Immunitatis tutelam Electo Coloniensi, S. R. I. Principi Electori diligenter commendat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Compertum est Nobilitati Tuæ, quod ex universo Grege solicitudini nostræ commisso illa potissimùm portio, quæ in sortem Domini vocata est, primas vigilantiæ nostræ partes ad se trahit, ut scilicet ab omni seculi curâ, atque molestiâ exempta Deo vacare, & liberiori servire valeat ministerio. Proinde non satis explicare possumus magnitudinem doloris nostri, ubi admonente Nos officii debito mentis oculos convertimus ad vexationes graves utique, ac diuturnas, quas nullâ Ecclesiasticæ Immunitatis ratione habitâ, sed eâ prorsus despectâ, ac sæpè sæpiùs violatâ à Statibus, seu Ordinibus Laicalibus Civitatis Leodiensis perpessus est multis ab hinc annis Clerus secundarius ejusdem Civitatis; qui

sanè

ſanè Clerus præter illam, quam ſingulis Eccleſiaſticis tum Univerſitatibus, tum Perſonis, Apoſtolica Sedes impertitur opem, atque tutelam, ſpeciali quodam jure ob ſingularem in ipſam Sedem reverentiam foveri ab Eadem ſemper promeruit. Cùm itaque nihil tam enixè optemus, quàm ut mala hujuſmodi, atque ſcandala de medio tollantur, & juſta hæc amaritudinis cauſa ab animo noſtro removeatur, ita ut à dura neceſſitate provehendi ulterius cogitationes noſtras liberemur, à Te, quo majori poſſumus ſtudio expetimus, ut Dei honorem in Sacerdotali Ordine zelari velis, & pro eâ, quà apud eoſdem Status, & Ordines, Dignitate præſtas, & authoritate polles, ſedulò cures, & omnino efficias, ut præfatæ diſſenſiones ita componantur, ut ſarta tecta ſerventur Eccleſiaſticæ Immunitatis Jura, & idem Clerus iis privilegiis, atque prærogativis frui tandem poſſit, quæ Sacrorum Canonum diſpoſitioni, & concordiis inter eaſdem Partes initis, ac inconcuſsè pridem cuſtoditis innituntur, ac demum, ut priſtinam pacem, & tranquillitatem (Te firmiter rem urgente) aſſequatur. Nihil ſanè æquitati, ac pietati tuæ magis conſonum, nihil aptius ad conciliandam Tibi magis, magiſque benevolentiam noſtram, nihil verò (quod præcipuum eſt) gratius Deo præſtare poteris, quàm Eccleſiæ jura tueri, & ſicubi læſa fuerint, integritati ſuæ reſtituere; Fuſius autem mentem in hac re noſtram à Venerabili Fratre Horatio Philippo Archiepiſcopo Thebarum percipiet Nobilitas Tua, cui peramanter Apoſtolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 15. Januarii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Pietatem, ac zelum Cardinalis à Kolonitz, qui multorum Fidelium Byzantii captivorum redemptionem officiis, & liberali pecuniarium ſubſidio curaverat, meritis laudibus effert, eumque, ut religioſum hoc opus exequi pergat, hortatur.

Dilecto Filio Noſtro, Leopoldo tit. Sancti Hieronymi Illyricorum S. R. E. Presbytero Cardinali à Kolonitz nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Et ſi probè ſciamus Te in exercendis pietatis officiis nihil aliud, quàm Dei Omnipotentis gloriam, præclaro ſanè propoſito, inquirere, Paterni tamen cordis abundantiam cohibere non poſſumus, quin debitis in Domino laudibus efferamus teſtimonium illud eximiæ charitatis à Te exhibitum in juvando, atque promovendo tum validâ ope, tum ingenti liberalitate, nuperam redemptionem multorum Fidelium, qui Byzantii ſub dura hoſtium Fidei captivitate detinebantur. Quod ſanè pium munus, ubi etiam corpora tantùm in libertatem vindicaret, miſeroſque illos homines ab iis ſolùm eximeret terrenis ærumnis, atque calamitatibus, quas ſecum præſtitâ Barbaris, atque efferatis gentibus ſervitus involvit, laudabile admodum eſſet; in eò autem, quod animas ipſas quodammodo eximit quas, certum eſt in magnum diſcrimen adduci, ubi Fidelibus commorandum eſt inter eos, qui nihil tam oderunt, quàm Chriſtianum nomen, atque Inſtitutum, omnem humanam laudem ſupergreditur, quia ipſius Reparatoris noſtri exempla imitatur. Ob zelum itaque Perſonâ, quam geris in Eccleſia Dei, planè dignum à Te hac occaſione explicatum, Te amanter

com-

complectimur, ac hortamur, ut plenum hoc Religionis opus exequi pergas, amplam ab æterno Retributore mercedem recepturus, dùm benevolentiæ Nostræ hoc etiam nomine cumulatæ perpetuum pignus Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Januarii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regis Britannici gratulationem de suâ ad Apostolicum Solium assumptione benignè excipit, eidemque Regi Pontificium amorem, atque præcipuum de Ipso benemerendi desiderium confirmat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Jacobo Magnæ Britanniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Se la M. V. prima di rimostrarci, come hà fatto, con espressioni di sì eccedente bontà il suo godimento per la nostra esaltazione al Supremo Pontificato, havesse ben' ponderata l'insufficienza delle nostre forze à un sì gran' peso, sarebbe più tosto concorsa à rammaricarsene con Noi medesimi, e Noi allora haveressimo trovato forse nel suo magnanimo compatimento qualche sollievo alla nostra inesplicabile afflizzione; mà prevenuta dal suo antico affetto verso la nostra Persona, e dalla certezza, che havea, quali fossero in altro stato i nostri sentimenti verso di Lei, non hà potuto V. M. riguardare il successo, che come di maggior impegno per Noi à interessarci in tutto ciò, che la riguarda, ed à meglio corrispondere in avvenire all'amor suo. Confidiamo veramente d'essere à questo singolarmente tenuti; e conosciamo pure, che essendo la causa della M. V. inseparabile da quella della nostra Santa Religione, siamo obligati di considerarla ora per la più grave frà tutte le Cure Pontificie. Ci sforzeremo per tanto di soddisfare al nostro dovere, ed alla giusta fiducia della M. V., allora solo meno afflitti, anzi consolati della nostra assunzione, quando potrà divenire opportuno instromento della sua Reale grandezza. Il nostro Nunzio in Parigi potrà farsi con Noi tanto maggiormente merito delle sue applicazioni, quanto più si studierà di eseguire in questo proposito i nostri ordini, ponendo ogni suo studio in coltivare il generoso zelo del Rè Christianissimo, e in eccitarlo bene spesso in nostro nome à non preterire quelle congionture, che in tempo opportuno potranno presentarsi favorevoli agl'interessi della M. V. Piaccia à Dio di secondare le nostre premure, quanto Ella merita, e retribuisca all'eroica sua sofferenza ricompensa adeguata; mentre Noi intanto con tutta la pienezza della nostra Paterna cordialità le concediamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 24. Januarii 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

AR-

IDEM ARGVMENTVM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Mariæ Magnæ Britanniæ Reginæ Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. E' piaciuto alla Maeſtà Voſtra di ſignificarci con termini sì eſpreſſivi, e ricolmi di tanta bontà il ſuo godimento per la noſtra eſaltazione, che nel foglio, con cui ce lo rappreſenta, ben' vediamo l'interno dell'animo ſuo. I ſentimenti ſinceri del ſuo Regio cuore fanno forza alla cognizione, che Noi medeſimi habbiamo della noſtra inſufficienza, e danno qualche alleggerimento alla giuſtiſſima afflizzione provata per il ſucceſſo. Queſta ci accompagnerà nondimeno in tutto il tempo del noſtro Pontificato, e potrà ſolo eſſer diminuita à miſura, che Dio Benedetto ſi degnerà per ſua miſericordia eſaudire i noſtri voti, e ſecondare con braccio forte le noſtre premure in ſollievo della M. V. Anche avanti la noſtra aſſunzione era queſto il maggiore de noſtri deſideri; queſto venne il primo con Noi ſul Soglio Pontificio; e queſto ne partirà l'ultimo ancora, eſſendo riſoluti di conſervarlo, e di sforzarci à renderlo fruttuoſo per contribuire al noſtro privato compiacimento, per ſodisfare all'obligo della Dignità noſtra, e per corriſpondere alla fiducia di Voſtra Maeſtà. Intanto con tutto l'affetto noſtro Paterno diamo à Lei, & alla ſua Real Prole l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 24. Januarii 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Ordinis Carthuſianorum, cujus Protectorem egerat, Inſtitutum laudibus ornat. Miniſtri Generalis officioſam de Summo Pontificatu gratulationem benignè excipit, eique, ac univerſo Ordini priſtinam voluntatem, & Apoſtolicum Patrocinium amanter pollicetur.

Dilecto Filio, Innocentio Priori Magnæ Carthuſiæ, Ordinis Carthuſiani Miniſtro Generali.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Propenſam ſemper geſſimus voluntatem erga Carthuſianorum Ordinem ob ſingularem, & æternæ felicitati comparandæ planè accomodatam vivendi rationem ab ejuſdem Profeſſoribus initam, qui procul ab hominum frequentiâ, ac veluti excuſſo mundano pulvere, cæleſtium rerum contemplationi vacantes diu, noctuque miſericordias Domini pſallendo concelebrant. Hunc autem potiori affectu complexi ſumus, cum Protectorem ejuſdem Ordinis in Collegio Apoſtolico ageremus; nihil enim tam optavimus, quàm illius incrementa, atque amplitudinem promovere. Nunc verò, ex quo inſcrutabili Dei judicio, nullo autem meritorum noſtrorum ſuffragio, ad Pontificatus faſtigium evecti ſumus, Te, univerſamque iſtam Religioſam Familiam, quæ ſupremam hanc Dignitatem No-

bis gratulatur, & gravibus curis, quibus circumdamur, ſolatia afferre ſatagit, præcipuâ charitate, & amanter prorſus excipimus. Verùm dolor noſter, qui ab expensâ virium noſtrarum infirmitate, & oneris Nobis injuncti magnitudine exoritur, vix umquam deficeret, niſi cæleſti admoneremur Oraculo, ut non ſimus fidentes in Nobis, ſed in Deo, à quo proinde præſidia imbecillitati noſtræ, adjuvantibus etiam Vobis in oratione, humiliter expetimus. Cæterùm in iis omnibus, quæ ad felicem, ac quietum memorati Ordinis ſtatum pertinent, præcipuè circa negotium Cœnobii de Paular, opem profectò noſtram à Te deſiderari non patiemur; de his autem differentem Dilectum Filium Joannem Mariam Roccaforte Ordinis Veſtri Procuratorem Generalem Nobis apprimè charum libenter audiemus, dum Patrem miſericordiarum precamur, ut ſpiritualia bona largiatur Tibi, nec non reliquis Religioſis Viris, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 25. Januarii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Hiſpaniarum Reginæ Mariæ Annæ Viduæ rationes Regi Chriſtianiſſimo quàm enixè commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ea potiſſimùm officia grata Majeſtati Tuæ accidere arbitramur, per quæ explicandi ſpectatam animi tui magnitudinem, atque pietatem præclara Tibi pateat occaſio. Nos itaque, qui pro ſingulari noſtrâ erga Te benevolentiâ cumulari in dies tuas laudes, atque promerita cupimus, perpendentes, nihil à Te Inclyto Rege dignius præſtari poſſe, quàm ſi Dignitatem, atque fortunas Chariſs. in Chriſto Filiæ Noſtræ Mariæ Annæ Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ tuendas, atque fovendas ſuſceperis, etſi id apud Te jam ſtatutum eſſe exiſtimemus, paternis tamen hortatibus tam illuſtre propoſitum urgemus, ut quod ſpontè facturus eſſes, Nobis etiam ſuadentibus, atque enixè petentibus, libentius exequaris, interpoſitis etiam officiis tuis apud Regis Catholici Majeſtatem. Sanè poſt ingentem jacturam, quam Ipſa ob mortem Regis Conjugis ſui amantiſſimi perpeſſa eſt, nullum ei, niſi in tua æquitate, ſupereſt perfugium, atque ſolamen, per quod ſibi, rebuſque ſuis conſultum eſſe agnoſcat, & liberali amoris teſtimonio, quo Rex in extremis conſtitutus eam auxit, pacificè potiri valeat. Tu quidem religioſæ ejuſdem Regis voluntati apprimè gratificaberis, ubi Reginam, quam ille decedens in viduitate, atque in ſummo mærore reliquit, præſtantiſſimis cæteroquin moribus, atque virtutibus præditam, deſtitui validâ tuæ authoritatis, atque favoris ope numquam patieris. Quo facto non ambigimus, quin à Deo, mærentium conſolatore, rerum eventus ſemper proſperiores ſis Tibi conciliaturus, quos Tibi ex animo precamur; dumque fuſius animi noſtri ſenſus percipies à Venerabili Fratre Philippo Antonio Archiepiſcopo Athenarum, Nos Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 25. Januarii 1701. Pontif. Noſtri Anno Primo.

AR-

ARGUMENTUM

Gratulationi Hiſpaniarum Regis Catholici ob Summum Pontificatum benignè reſpondet.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Poiche la Divina Providenza ſi era degnata ſciegliere nell'isteſſo tempo la Perſona della Maeſtà Voſtra per il Governo di coteſta Monarchia, e la Noſtra per quello della Chieſa Univerſale, Noi attendevamo dalla Regia ſua bontà eſpreſſioni di compatimento, e non di congratulazione, riflettendo che già hà potuto la M.V. coll'alto ſuo diſcernimento miſurare dal ſuo peſante incarco la maggior gravezza del noſtro. Mà Ella hà riguardato con occhio di filial divozione anzi il ſucceſſo, che la noſtra debolezza, e però ſi è compiaciuta rimoſtrarci il ſuo gradimento in termini sì obliganti. Noi però, che ben conoſciamo le noſtre forze diſuguali al peſo medeſimo, non poſſiamo per anco riſcuoterci dalla noſtra giuſtiſſima afflizzione, ſe non quanto ci luſinghiamo, che il concorſo di queſti due avvenimenti ſia ſtato diſpoſto da Dio per darci un anticipato argomento di conſolazione. Sù queſto fondamento, e molto più sù quello dell'inſigne Virtù della M. V., confidiamo che Ella ſia per contribuirvi à tutto potere, ſeguendo gl'inſtituti dell'innata pietà ſua, ed'imitando gl'eſempi de ſuoi glorioſi Maggiori; onde uniformi à queſta noſtra giuſta fiducia ſono le grazie, che rendiamo à V. M. dell'ufficio paſſato con Noi, e per meglio corriſponderle, pregheremo Quello, nelle cui mani ſono i cuori de' Regnanti, che conſervi, ed'accreſca in quello della M. V. tutti i ſentimenti di rettitudine, e di Religione, che vi hà impreſſi la ſua generoſa educazione. E rimettendoci à quel di più le ſarà in noſtro nome rappreſentato dall'Arciveſcovo di Lariſſa noſtro Nunzio, con tutta la tenerezza del noſtro Paterno amore le concediamo la noſtra Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 7. Februarii 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Principiſſæ Bipontinæ gratulationis officium de Summo Pontificatu perhumaniter excipit, eique viciſſim converſionem ad orthodoxæ Religionis cultum effusè gratulatur, ac ut in ſuſcepto conſilio perſiſtat, & alios etiam ab erroribus ad rectam veritatis, & juſtitiæ viam revocare ſtudeat, hortatur.

Dilectę in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Mariæ Eliſabethæ Ludovicæ Principiſſę Bipontinę.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, ſalutem &c. Siquæ gratulationis officia vim habent abſtergendi mędorem, quo afficimur, perpendentes demandatum eſſe infirmitati noſtræ graviſſimum Apoſtolicæ ſervitutis Miniſterium, ea profectò ſunt, quæ à Nobilitate Tua ad Nos deferuntur. Quemadmodum enim non poſſumus non trepidare, qui ſuſcepimus

onus, quod ipsi Angelici humeri reformidarent, ita lætari Nos oportet de eo, quod coram ipsis Angelis Dei gaudium inferre potest in Cœlum. Hoc autem attulerunt Nobis litterę tuæ, quæ filialis in hanc Sanctam Sedem, Nosque ipsos reverentiæ notis refertæ, certiores Nos reddiderunt Te, ejurato hæreticæ pravitatis errore, in sinum Catholicæ Matris Ecclesiæ, afflante Divini Spiritus aurâ, feliciter confugisse. Quod enim majus lętitiæ argumentum Pastorali nostræ solicitudini obvenire potest, quàm Ovem, quæ perierat, invenire, eamque ad salutaria pabula ultrò reducem excipere. Æquius proinde Tibi paterno animo gratulamur, & Misericordiarum Patri humiliter gratias agimus, qui Tibi dedit agnoscere, tum etiam excutere, laqueum divisionis, quo tenebaris. Satage autem piis operibus dignè ambulare in eâ vocatione, quâ vocata es, & secundùm eum, qui vocavit te, Sanctum, & ipsa Sancta sis, fierique in dies magis contende, ut immarcescibili, & incontaminatâ coronâ, quam præparavit Deus diligentibus se, aliquando perfruaris. Cumulabis autem meritum tuum, si eos, qui adhuc sunt in invio, & non in viâ, & in tenebris usque modò aberrant, ad lucem orthodoxæ veritatis exemplo tuo revocare curaveris. Nos quidem Pontificiæ charitatis officiis numquam deerimus Tibi, quam interim hortamur, ut quoniam in Portum te recepisti æternæ salutis, nullis te seculi malis, aut calamitatibus concuti sinas, sed fidenter in Eum respice, qui non patitur justum esse derelictum, nec destituit sperantes in se. Propensæ autem erga Te voluntatis nostrę pignus Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuę peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 8. Februarii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Propositis calamitatibus Italiæ impendentibus à duplici formidato flagello, belli, & pestis, Imperatorem Leopoldum à consilio immittendi militares Cæsareas copias in ipsam Italiam avertere conatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ben' ci accorgiamo, che non fù solo il conoscimento della nostra insufficienza, che ci rendeva si fortemente alieni dal sottoporci al grave incarco del ministero Apostolico. Il nostro straordinario abborrimento à sì gran peso forse anche nasceva da un'occulto presagio delle tante calamità, che vanno à render funesto il nostro Pontificato. E come possiamo Noi mai non temerlo tale, quando sul principio di esso veggiamo la Destra Onnipotente di Dio armata delli due più spaventevoli flagelli, cò quali egli sia solito di scaricare sopra de Popoli la sua indignazione? E appunto nel tempo istesso, in cui con estrema nostra afflizzione consideriamo l'infelice Italia vicina à divenir Teatro d'una orribil Guerra, e in conseguenza deploriamo il poco frutto di quella mediazione, che habbiamo offerta con tante lagrime, e con tanti sospiri, e che tuttavia non lasciamo d'inculcare colle più efficaci rimostranze per mezzo de nostri Ministri nelle altre due Corti; ci sorprende l'infausto avviso giuntoci da

Venezia, che i ſoſpetti di Peſte provenienti dalla Croazia ſiano giunti à ſegno di obligare l'attenzione di quel Governo à bandirne il commercio, e in oltre à ſoſpenderlo in molti luoghi de Lidi Auſtriaci con tutte l'Iſole del Quarner. In mezzo à sì gravi anguſtie, dopo aver portati à Dio, accompagnati dalle publiche, e univerſali preghiere della Chieſa, i gemiti più profondi del noſtro ſpirito, per implorare in contingenze tanto pericoloſe gli effetti della Sua Miſericordia, non habbiamo ſaputo qual'altro partito prendere, che rivolgere alla M. V. cò più intimi ſentimenti del noſtro cuore le noſtre Paterne voci, pregandola, come facciamo inſtantiſſimamente, con la preſente lettera ſcritta di noſtro pugno, e ſpeditale per Corriere eſpreſſo, à non permettere, che le ſue Truppe habbiano ad eſſere apportatrici all'Italia di sì formidabili ſciagure. Meritano queſti Popoli, che la M. V. conceda loro in tal'occaſione la ricompenſa di quella paſſione, che hanno ſempre tutti manifeſtata negl'avvenimenti della Sua Auguſtiſſima Caſa: merita la Santa Sede, merita la Chieſa, merita Iddio, che la M. V. ſeguendo gl' impulſi di quella eroica pietà, che ella hà ereditata da ſuoi incliti Maggiori, e che hà tanto ſegnalata colle ſue magnanime azzioni, preferiſca la ſalvezza publica ad ogni altro riguardo, con ſicurezza di fortemente impegnare la liberalità Divina à contracambiarle con il centuplo de più fortunati ſucceſſi una sì glorioſa moderazione. Così Noi ſperiamo, che ſia per ſeguire; così Dio efficacemente c'inſpira di ſcrivere alla Maeſtà Voſtra, alla quale con tutta la ſuiſceratezza del noſtro Paterno amore concediamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 7. Martii 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Gratulationis officium de ſummo Pontificatu, quod Britannicus Rex Jacobus per Ducem Bervicenſem expleverat, perjucundum ſibi accidiſſe profitetur, animumque oſtendit ad juvandas afflictas ejuſdem Regis nationes paratiſſimum.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Jacobo Magnæ Britanniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Nullum ſanè præſtantius tum filialis in Apoſtolicam Sedem reverentię, tum ſingularis erga Nos ſtudii argumentum exhibere poterat Majeſtas Tua, quàm ubi animi ſui Interpretem Nobis eſſe voluit Dilectum Filium, Nobilem Virum, Ducem Bervicenſem, quem Nos eâ Paterni Cordis alacritate, & charitate excepimus, quę profectò Tibi, cujus nomine liberale ad Nos gratulationis officium detulit, & Illi ipſi debebatur, cujus eximias virtutes non ita pridem, dum in Urbe eſſet, ſuſpeximus, & præcipuâ quadam animi noſtri propenſione complexi ſumus. Nec ambigimus, quin idem Dux, quemadmodum gaudium à Te de noſtrâ exaltatione perceptum, & vota, quæ pro incolumitate noſtra amanter nuncupas, disertè Nobis expoſuit, ita viciſſim Tibi fusè explicet magnitudinem amoris in Te noſtri, & quantum Paternæ noſtræ menti adhæreat, ac penè infixa ſit ea cogitatio, quâ ut priſtino aliquando ſplendori, & Dignitatis tuæ amplitudini reſtituaris, indeſinenter optamus. Quocirca perſuaſum Te omninò eſſe volumus nullam ex humanis rebus, nec hanc ipſam vitam, quâ miſerentis Dei be-

neficio utimur, tanto in pretio apud Nos esse, cujus dispendio jacturas tuas, ubi facultas esset, statim, ac libentissimè non redimeremus. Quod ideo Tibi significamus, ut intelligas, ea omnia, quæ à Pontificia charitate, atque ab hujus Sanctæ Sedis Dignitate prodire poterunt, paratissima Tibi semper fore. Omnipotentem interim Deum in humilitate cordis rogare non desistemus, ut fortem, invictamque constantiam, quam in hac rerum vice, sive potius vertigine, quam perpessus es, hucusque perhibuisti, & flagrantissimum illud Divini honoris, & Catholicæ Religionis studium, quod semper præfers; solari demum lætis successibus in Terris velit, quemadmodum indeficienti præmio proculdubio est remuneraturus in Coelis. Officiis interim tuis tantâ observantiæ erga Nos tuæ significatione explicatis benevolentię nostræ abundantiâ respondentes, Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 20. Martij 1701. &c.

ARGUMENTUM

Principis Vvalliæ gratulationis Officium ob Summum Pontificatum benignè excipit; deinde illius præstantem indolem, & Catholicæ præsertim Religionis zelum laudat, Pontificiæque charitatis argumenta Ei numquam defutura pollicetur.

Dilectissimo in Christo Filio Nostro, Jacobo Principi Vvalliæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilectissime in Christo Fili noster, salutem &c. Ut pares amplissimo Muneri, ad quod inscrutabili Dei judicio vocati sumus, effici ejusdem ope mereamur, eâ profectò emulari Nos oportet Charismata, quæ à sublimioribus Prædecessorum nostrorum exemplis expetita, inesse humilitati nostræ (singulari in nos studio animum tuum præveniente) arbitraris. At quamvis in absolutum illum virtutis Gradum, quem requirit Officii ratio suscepti, Vota nostra contendant, quia tamen ad eum quàm maximè accedere non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, præclarè Nobis Filialem tuam pietatem explicabis, ubi consociatis Nobiscum precibus propitium eum reddere, & ejus opem nobis satagas conciliare. Coeterùm, ut gratum prorsus, atque jucundum Nobis accideret tuarum ad Nos literarum officium, non tam fecit egregiæ tuæ in Nos voluntatis significatio, quàm quod in eisdem literis animi tui Divino cultui semper magis addicti, & Catholicæ Religionis zelo flagrantis specimen præclarum agnovimus. Adolescant itaque in Te cum ætate, promovente inclytorum Parentum institutione, & exemplo, Deo autem incrementum dante, dotes tam eximiæ, ut quemadmodum tuæ indolis præstantia maximam in omnium animis Tui spem, atque expectationem excitavit, ita aucti in Te simul cum annis virtutum, ac meritorum tituli in Tui admirationem, ac laudem æquos rerum æstimatores adducant. Nos sanè solicitis precibus bonorum omnium Largitorem Deum rogare numquam intermittemus, ut pia, ac justa animi tui desideria secundis eventibus solari velit, parati præterea Pontificiæ nostræ in Te omninò propensæ voluntatis argumenta exhibere, ut intelligas Te, atque ea omnia, quæ ad tuam Dignitatem pertinent, Nobis omninò cordi esse; dum Tibi, Dilectissime in Christo Fili Noster, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Martii 1701. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Duci Mantuæ Pontificium patrocinium, tum etiam militare præsidium ab ipso petitum pro Mantuanæ Civitatis tuitione pollicetur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Carolo Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Auditis iis omnibus, quæ Nobilitatis Tuę nomine Dilectus Filius Marchio Berettus, quem ad Nos ablegasti, Nobis disertè exposuit tum de præsenti rerum tuarum conditione, tum de periculis, quæ Urbi isti, ac Ditioni tuæ impenderent, ubi Italiæ tranquillitas per armorum motus, & exterarum Nationum incursus, quemadmodum timere est, perturbaretur, gravissimam ceteris, quibus premimur, curis molestiam, Deo ita disponente, additam esse persensimus; negotii tamen gravitatem eâ, quâ par est, consilii maturitate perpendentes, & omninò cupientes Tui ipsius, & Populorum Nobis creditorum, tum etiam finitimorum discrimini pro Paternâ nostrâ charitate, quantum in Nobis est, prospicere, opem, quam efflagitasti, Tibi quantocyus impertiri apud Nos statutum est. Ad communiendam itaque opportuno præsidio Mantuæ Civitatem, militum nostrorum manum ad Te mittere decrevimus; ea verò, quæ ad hanc rem pertinent, Dilectis Filiis nostris Cardinalibus Bononiæ, & Ferrariæ Legatis injunximus, prout eidem Marchioni latius explicavimus, à quo proinde sensus super hac re nostros, ac præterea multa nostræ benevolentiæ in Te testimonia percipiet Nobilitas Tua, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 4. Aprilis 1701. &c.

ARGUMENTUM

Pro Pastoralis Officii debito Mantuanum Ducem seriò admonet, ut honestioris vitæ exempla suis Subditis præbere velit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Carolo Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Benche dalla risoluzione, che abbiamo presa nelle correnti emergenze per il bene dello Stato dell'A. V., e da quel più, che le verrà significato dal Marchese Beretti suo Inviato Straordinario, della di cui prudente condotta siamo restati infinitamente soddisfatti, Ella possa abbastanza raccorre l'amore distinto, e paterno, con cui la rimiriamo; tuttavia crediamo ora di dargliene una molto più evidente riprova, palesandole, come facciamo, con la presente segretissima lettera scritta di nostro pugno, la somma passione, che proviamo in udire da tante parti, come l' A.V., tuttoche arrichita dalla Divina beneficenza di tante, e sì rare prerogative, pure manchi di dare co'suoi costumi quel'buon essempio, che li Prencipi, come posti da Dio sopra il Candeliere, sono tenuti con sì strette obligazioni di dare à proprii Sudditi. Considerando però Noi da una parte il debito indispenzabile, che ci corre, di adempire coll'A.V. in quest'occasione le parti di Padre

per

per non soggiacere à quei tremendi castighi preparati dalla divina giustizia à chi tace, & hà obligo di parlare, e stimando dall'altra, che l'A. V. ci farà la giustizia di credere non ad altro fine diretti li nostri uffizi, che al bene della di Lei anima, per la di cui salvezza ben' volontieri spargeressimo quanto sangue abbiamo nelle vene, la preghiamo con tutto lo spirito à volere generosamente rompere quei legami, che ritardandole il corso nelle vie della legge del Signore, sono anche si improprii al suo gran spirito. Credaci l'A. V. che così facendo (come Noi per somma nostra consolazione ci auguriamo di sentirne ben presto il riscontro) non solo assicurerà la partita, che tanto importa, dell' eterna salute, mà chiamerà sopra di sè, e della sua Casa tutte le celesti, e terrene felicità, quali augurando all'A.V., con tutta la pienezza del nostro affetto le diamo l'Apostolica Benedizzione. Datum Romæ &c. die 7. Aprilis 1701. &c.

ARGUMENTUM

Duci Mantuæ molesto animo tulisse rescribit, quod ipse consilium Mantuanam Civitatem Pontificio præsidio communiendi immutaverit, idque deinceps se deliberaturum profitetur, quod publicæ tranquillitatis, ac ejusdem Principis rationes exegerint.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Carolo Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Non secùs, ac debuimus, animo commoti sumus lectis Nobilitatis Tuę literis sextâ decurrentis Aprilis datis, ex quibus immutatum esse rerum istarum statum percepimus, simùlque agnovimus Nos ab ea spe decidisse, quà confidebamus non leve ad avertenda, saltem aliqua ex parte, mala Italiæ impendentia, attulisse remedium, ubi per Nos Mantuæ Civitas valido præsidio communiretur; quà in re etiam iis precibus, quas nuperrimè ab Ablegato tuo Nobis porrigi curasti, opportunè, ac sanè nullâ interpositâ morâ annuisse putabamus, quemadmodùm ex aliis ad Te nostris literis agnoscere potuisti. Ad alias itaque prò diversâ temporum conditione cogitationes animum convertere coacti, numquam tamen Paternam charitatem, quà publicum bonum indesinenter respicimus, imminuentes, nec ejus, quà Te prosequimur, benevolentiæ obliti, ab utriusque Regis Administris, quę super hoc negocio ad Nos perferent, audiemus, ea semper, quantùm in Nobis erit, promoturi, quæ ad publicam tranquillitatem, Tuique ipsius commoda pertinere posse arbitrabimur, dùm Nobilitati Tuæ lætiores rerum eventus à Deo precamur, & Apostolicam Benedictionem peramantèr impertimur. Dat. Romæ &c. die 10. Aprilis 1701. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Facinus improbat Friderici Marchionis Brandeburgensis, qui Nomen, & Insignia Regis Prussiæ, insciâ Sede Apostolicâ, sibi arrogaverat; & Imperatorem Leopoldum vehementer hortatur, ut nullam illi deferre velit ex iis honoris significationibus, quibus ritè instituti Reges gaudere solent, neque ab aliis Cæsareæ authoritati subjectis eidem Marchioni deferri patiatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Perlatum est ad aures nostras, imò & Terrarum ubique jam fama percrebuit, Fridericum Marchionem Brandeburgensem Nomen, & Insignia Regis Prussiæ, inaudito fortè hactenus apud Christianos more, nec sine gravi antiqui juris, quod in ea Provincia Sacro, & Militari Teuthonicorum Ordini competit, violatione, sibi publicè arrogasse. Id ipsum verò pro majori Ecclesiasticæ Potestatis contemptu in frequenti hominum Coetu, eâque celebritate, quæ etsi nihil sacrum in se contineret, simulato tamen cœremoniarum usu, pravoque Ministrorum delectu, ad Ritum, quo Ecclesia in consecrandis Regibus utitur, quàm proximè videretur accedere; gestum fuisse. Quod sanè factum cum Apostolicæ Sedis, ac ipsius Ecclesiæ auctoritati æquè injuriosum sit, SacrisqueCanonibus, quibus hæreticum Principem antiquis potius cadere, quàm novis augeri honoribus, est constitutum, summoperè adversetur, muneris nostri esse duximus rem tanti momenti diutius non præterire silentio; sed imò gravem molestiam, quam inde meritò percepimus, apertè explicare Majestati Tuæ, quam novimus singularem zelum in iis, quæ Ecclesiæ Dignitatem, ac Jura quoquomodo respiciunt, fovere. Quocirca Te, quo majori possumus studio, hortamur, ut pro eâ Dignitatis amplitudine, ac Gradus sublimitate, quam in Christianâ Republicâ obtines, in primis verò pro accuratâ tuâ in hanc Sanctam Sedem observantiâ, nullam velis præfato Marchioni ex iis honoris significationibus, quibus ritè instituti Reges gaudere solent, deferre, neque ab aliis, qui auctoritati tuæ subsunt, eidem tribui patiaris. Quid enim inposterum non audeant Principes ab Orthodoxâ Religione dissidentes, ubi præeunte hujusmodi exemplo, necquicquam verò reclamante Apostolicâ Sede, Venerabilem, Sacramque Regiam Dignitatem, quæ, ut Dei singulare munus agnosci, veræque columen Religionis, atque ornamentum esse debet, pro suo quisque libitu sibi valeat vindicare? Hæc verò à Te pro spectata tuâ æquitate, ac prudentia expendi cupimus, confisi interim, quòd tum hortatibus, ac petitionibus nostris, tum ingenitæ Tuæ pietati sis adhæsurus. Plura hac in re à Venerabili Fratre Joanne Antonio Archiepiscopo Episcopo Ariminensi Nuncio apud Te nostro intelliget Majestas Tua, dum Nos propensæ majorem in modum erga Te voluntatis nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem Tibi amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 16. Aprilis 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Etſi nobis perſuaſum ſit Majeſtatem Tuam nullo modo probare conſilium, deterrimo in Chriſtianâ Republicâ exemplo, à Friderico Marchione Brandeburgenſi ſuſceptum, dum Regium Nomen publicè uſurpare præſumpſit; in eo tamen, quod factum hujuſmodi Apoſtolicarum Sanctionum diſpoſitioni contrarium, & hujus Sanctæ Sedis authoritati injurium eſſe dignoſcitur, ex quo ſcilicet Sacræ Regalis Dignitatis inſignia ab Acatholico Principe, non ſine Eccleſiæ contemptu, aſſumuntur, & idem Marchio ſe Regem dicere non dubitat ejus partis Pruſſiæ, quæ ad Militarem Teuthonicorum Ordinem antiquo jure pertinet, Nos rem ſilentio præterire non poſſumus, ne Muneri noſtro deeſſe videamur. Quod itaque à perſpectâ animi tui magnitudine alienum eſſe ſatis, ſuperque cognoſcimus, ab hoc ut noſtro quoque hortatu temperare velis, expetimus, ne videlicet Regios honores Illi tribuas, qui illorum numero nimis incautè ſe junxit, quos increpat ſimul, & reprobat ſermo ille Divinus: *Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*. Senſus autem ſuper hac re noſtros Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiſcopus Athenarum noſtro nomine fuſiùs explicabit Majeſtati Tuæ, cui felicitatum uberem copiam à Deo precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Aprilis 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem &c. Spem, quam meritò in egregiâ Majeſtatis Tuæ virtute inclyta iſta Reſpublica conſtituit, ubi Te Regno tunc maximè inaugurandum eſſe cenſuit, cum edi à Te ſynceræ erga Catholicam Religionem voluntatis teſtimonia cognovit, eam in præſens illuſtri argumento adhuc magis confirmare Te oportet, temperando ab omni prorſus actu, per quem Fridericus Marchio Brandeburgenſis præſumere poſſit Te aut probare velle, aut rata habere ea poſſe, quæ Ipſe in magnâ hominum frequentiâ geſſit, ut ſcilicet Rex proclamaretur, ejuſque Dignitatis titulo Pruſſiæ præſideret. Quâ enim ratione ab Orthodoxæ veritatis Sectatoribus Regio honore dignus habendus eſt, qui electam ejus Sponſam, à quo omnis eſt poteſtas, contemnit? Tu verò Filialem tuam in hanc Sanctam Sedem reverentiam luculentius explicabis, ubi Te nullo arctiori vinculo obſtringi, quàm eo, quo Eccleſiæ jungeris, oſtendes, ac proinde non tam tuæ conſtantiæ exemplo, quàm tuæ auctoritatis pondere, eos retrahes, qui fortè præſumptæ Dignitatis gradum in Illo obſequiis, ac officiis agnoſcere non dubitarent;

Quod

Quod Te facturum esse confisi cupimus, ut sensus super hac re nostros fusiùs à Venerabili Fratre Francisco Archiepiscopo Tarentino Nuncio apud Te nostro percipias, dum Majestati Tuæ uberem bonorum copiam à Deo precamur, eidemque Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum &c. die decima sexta Aprilis 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Etsi planè Nobis polliceamur perspectam Nobilitatum Vestrarum prudentiam non adhęsuram esse consilió à Friderico Marchione Brandeburgensi suscepto, per quod se Regem Prussiæ publicè proclamari curavit: Nos tamen, qui pravum induci in Christianam Rempublicam exemplum advertimus, ubi Acatholicis Principibus Regiæ Dignitatis nomen usurpare, & Insignia præferre, ac sacris Ecclesiæ ritibus per simulatam inaugurationis formam liceat illudere; perpendentes insuper jura, quę Militari Teuthonicorum Ordini competunt in eâ Prussiæ parte, cui modò idem Marchio, quasi legitimi Regis auctoritate præfici affectat, Muneris nostri esse duximus Orthodoxos Principes admonere, ut quò magis filialem in hanc Sanctam Sedem reverentiam explicent, tum ipsi abstineant, tum alios, quibus præsunt, retrahant ab omni prorsus actu, per quem memoratus Marchio eorum assensum se aucupatum esse censere possit. Quod pluribus à Venerabili Fratre Augustino Archiepiscopo Amasiæ accipient Nobilitates Vestræ, quibus læta omnia precamur, & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimâ sextâ Aprilis 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Joanni Philippo tituli S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbytero Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Ut tibi, quem singulari prudentiâ, & eximiâ pietate præstare novimus, ea innotescant, quæ Dignitatem respiciunt Apostolicæ Sedis, cui non tam Gradus honore, quàm filiali cordis affectu, & reverentiâ conjungeris, explicandum Tibi esse ducimus, quod cum Orthodoxorum Regum decori minimè congruere, Sacrorum autem Canonum dispositioni omninò repugnare intelligeremus, quòd Acatholicus Princeps Regium nomen, & Insignia publicè, ac profano more assumere, atque usurpare non dubitasset, illorumque proinde numero nimium incautè se junxisset, quos increpat simul, & reprobat Sermo ille Divinus: *Ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi*: Nos eo, quò par est, zelo incensi dedimus Regibus præfatis literas, quibus eos vehe-

menter hortati sumus, ne Regios honores Friderico Marchioni Brandeburgensi, quem tale aliquid ausum fuisse publico rumore acceperamus, nequidem officii gratiâ tribuerent, viderentque quantâ Ecclesiæ Dei injuriâ idem Marchio, hac etiam tituli accessione, præesse illi parti Prussiæ præsumeret, quam veteri jure ad se pertinentem Militaris Teuthonicorum Ordo tuendam susceperat, ut contra hostes Fidei perpetuum esset Catholicæ Religionis propugnaculum. Hæc ipsa, eodem Pontificiæ vigilantiæ debito Nos admonente, coram Apostolico Senatu à Nobis exposita, Tibi hisce nostris communia esse volumus, ut Tu, ubicumque è re fore cognoveris, consilium, propositumque nostrum satagas promovere; dum Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Aprilis 1701. &c.

Card. de Portocarrero eod. exem.

IDEM ARGVMENTVM

Dilecto Filio Nostro, Michaeli tituli S. Mariæ de Pace S.R.E. Presbytero Cardinali Radzieouski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Etsi dignam sublimitate Gradus, quem in Apostolico Senatu obtines, de Te opinionem gerentes, arbitremur Te probè intelligere in magnum Catholicæ Religionis dedecus verti indebitos honores, qui Acatholicis Principibus deferuntur, cum eorum, qui à verâ Fide diffident, consortium frequentare, nedum ambitum fovere, ab Ecclesiasticæ disciplinæ legibus districtè prohibeatur; Tibi tamen reticere nequaquam debemus, quod coram ipso Cardinalium Collegio in proximè habito Secreto Consistorio, Pontificiâ vigilantiâ Nos admonente, duximus esse explicandum: Nos videlicet pro muneris nostri ratione dissimulare nequaquam posse illud, quod publicè attentatum fuerat à Friderico Marchione Brandeburgensi, qui se Regem Prussiæ dicere, tantæque Dignitatis, quæ, ut singulare Dei munus agnosci, veræque columen Religionis, atque ornamentum esse debet, nomen, & insignia assumere, atque usurpare præsumpserat; deinde verò, prout rei momentum exposcebat, latè prosequuti sumus, quanta inde orthodoxo nomini, & Apostolicæ Sedis Dignitati illata fuisset injuria. Quæ omnia in præsens satis esse arbitramur spectatæ tuæ prudentiæ indicare, ut illos, qui significationes honoris erga alios Reges adhiberi consuetas eidem Marchioni deferre vellent, ab incæptis eâ auctoritate, quàm Tibi in Regno isto eximia tua decora conciliant, retrahas, quemadmodum fusiùs à Venerabili Fratre Francisco Archiepiscopo Tarentino Nuncio istic nostro percipies; dum Tibi cum multę felicitatis auspicio Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Aprilis 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano Emanueli Duci Bavariæ, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Officii nostri ratio, & Prædecessorum exempla Nos admonent, ut, quantùm in Nobis est, Hæreticorum Principum ausibus obsistamus, juncto Nobis eorum studio, atque præsidio, qui dignitate, atque authoritate in Christianâ Republicâ præstant, & Catholicæ Religionis zelo summoperè flagrant. Cùm itaque Nobis publico rumore innotuerit, quòd Fridericus Marchio Brandeburgensis se Regem Prussiæ asserere non dubitat, reclamantibus licèt Sacrorum Canonum Decretis, quorum vi hæreticæ pravitatis Sectatores ab omni Magistratu, nedum à Supremis Dignitatibus arceantur: æquum esse duximus Nobilitatem Tuam hortari, ut Ecclesiasticæ Disciplinæ regulis eâ, quâ solet, pietate hac etiam occasione custoditis, nequaquam Regii Nominis appellationem, aut honores, nequidem officii causâ, eidem Marchioni tribuat, imò eos, qui talia attentarent, ab indebito hujusmodi proposito omni studio retrahere conetur. Id quod singularia tua in Orthodoxam Religionem promerita cumulabit, dum Nos in auspicium felicitatis Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romę &c. die 16. Aprilis 1701. &c.

Electori Palatino eodem exemplo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiscopo Trevirensi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ad omnes quidem Principes, qui Catholicæ Religionis zelo flagrant, ad Eos verò in primis pertinet, qui sacris, præcipuisque Dignitatibus in Ecclesiâ Dei decorantur, omni studio, atque animi constantiâ obsistere, & tamquam murum pro Domo Israel se opponere, ne Hæretici Principes in vanitate sua prævaleant, & novis honorum gradibus (quod Sacrorum Canonum authoritate vetitum est) augeantur. Hoc itaque consilio à Fraternitate Tua, quæ præter singularia decora, quibus præstat, sublimem adeò in Ecclesiastico Ordine locum obtinet, enixè petimus, ut ab omni prorsus actu satagat abstinere, per quem Fridericus Marchio Brandeburgensis arbitrari possit Te eum, tanquam Prussiæ Regem, qualem se asserere non dubitat, & publicè proclamari curavit, agnoscere; perniciosum enim exemplum in Christianam Rempublicam inveheretur, ubi talia moliendi Acatholicis Principibus per Fidelium assensum præberetur occasio. Supervacaneum autem esse ducimus Tibi explicare, quantùm id Orthodoxæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis Dignitati officiat, cum satis assequi hæc omnia, atque intelligere possit eximia prudentia Fraternitatis

Tuæ,

Tuæ, quam profectò confidimus spectatæ suæ pietati hac etiam occasione responsuram esse, & Apostolicam eidem Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Aprilis 1701. &c.

Eadem die de hoc ipso argumento conscripta fuere Brevia consimilia plurimis aliis Catholicis Principibus, nec non Archiepiscopis, & Episcopis Germaniæ, & Poloniæ, quæ brevitatis gratia omittuntur.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis Sculteti, Landamannis, & Senatui octo Pagorum Helveticorum Catholicorum, videlicet Lucernæ, Uraniæ, Subsilvaniæ, Svitii, Tugii, Friburgi, Salodori, & Abbatiscellæ, unà cum Catholicis Claronensibus, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Injuncti Nobis Muneris ratio, & Prædecessorum exempla Nos admonent, ut quantùm in Nobis est, Hæreticorum Principum ausibus, juncto nobiscum eorum studio, qui Catholicæ Religionis zelo flagrant, obsistamus. Cùm itaque perlatum sit ad Nos Fridericum Marchionem Brandeburgensem Regis Prussiæ nomen, institutâ solemni quâdam suæ inaugurationis pompâ, usurpasse; idque summoperè adversetur Ecclesiasticæ Disciplinæ, & dispositioni Sacrorum Canonum, per quos constitutum est, ut Acatholici Principes antiquis potius cadant, quàm novis honoribus augeantur, æquum esse duximus Vos vehementer hortari, ut ab omni prorsus actu abstineatis, per quem idem Marchio rata à Vobis haberi, quæ ab Eo hac occasione gesta sunt, præsumere valeat. Quod fusius nostro nomine Venerabilis Frater Julius Archiepiscopus Rhodiensis explicabit Vobis, Dilecti Filii, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima sexta Aprilis 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Officium Regis Christianissimi, qui Sanctitati Suæ effusas egerat gratias de Hospitio in Civitate Avenionensi liberaliter præstito Ducibus Burgundiæ, & Bituricensi, benignè excipit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Le rimostranze del benigno gradimento, che ci palesa la M.V. per gl'ordini da Noi dati, ed eseguiti in Avignone nel passaggio, che di là hanno fatto li Dilettissimi Figli Nostri in Christo Duchi di Borgogna, e di Berry, provengono unicamente dalla Regia Magnanimità Sua, e però so-

no ſtate accolte da Noi con la dovuta rifleſſione alla maniera diſtinta, con la quale Ella ſi è compiaciuta di eſprimerle, e di farcele pervenire. Ne proteſtiamo in tanto alla M. V. un pieniſſimo riconoſcimento, e ſentendoci ſempre più eccitati ad autenticarle colle opere la ſviſceratezza del noſtro amore Paterno, l'aſſicuriamo, che non ſolo godremo ce ne ſiano ſomminiſtrate le opportunità, mà Noi ſteſſi molto volontieri le anderemo ricercando; e frattanto le concediamo con tutta la pienezza del noſtro affetto l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 19. Aprilis 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Regi Perſarum nonnullos Miſſionarios Ordinis S. Dominici Aſpahamum proficiſcentes enixè commendat.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Regi Perſarum.

CLEMENS P.P. XI.

ILluſtris, ac Potentiſſime Rex ſalutem, & lumen Divinæ Gratiæ. Cùm ad amplificandam inclyti Regis famam ſummoperè pertineat liberaliter excipere, & humaniter fovere eos, qui ab exteris, atque remotis Regionibus ad ſua Regna, Ditioneſque honeſto aliquo fine ducti properant, Nobis profectò pollicemur Celſitudinem Tuam glorię Sibi ducturam eſſe Regium Patrocinium impertiri Dilectis Filiis Religioſis Viris, Petro Martyri de Parma, Corradino de Valletelina, Archangelo à Brixiâ, Antonino Poſchiavano, & Joſeph Mariæ Armeno, Ordinis Sancti Dominici, Congregationis Sanctæ Sabinæ de Urbe Miſſionariis, qui non alio conſilio, aut propoſito iſtuc adveniunt, quàm ut Evangelicæ, Catholicæque veritatis lumen volentibus, atque optantibus oſtendant. Quia tamen confidimus Te præcipuam etiam rationem habiturum eſſe hujus noſtri officii, atque commendationis, à Te, quo majori ſtudio poſſumus, expetimus, ut intuitu noſtro, & ut gratam rem Nobis facias, eoſdem Religioſos Viros libertate, ac Privilegiis, quibus anteactis temporibus gaviſi ſunt, in præſens etiam uti, ac frui permittas, itaut nulla eiſdem neque quoad Perſonas, neque quoad res inferatur moleſtia; & præterea domum, atque habitationem, quam in Suburbiis Aſpahami Regiæ Tuæ Civitatis antea poſſidebant, retinere, actuque poſſidere, ac pacificè inhabitare poſſint. Perſuaſum autem Tibi eſſe volumus Nos viciſſim ſemper paratos fore noſtræ erga Te voluntatis præclara teſtimonia deferre Celſitudini Tuæ, quam, ut Deus uberi temporalium bonorum copiâ augeat, & ſpiritualium participem efficiat, vehementer cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ Aprilis 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri Nahabiet totius Nationis Armenorum Patriarchæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Opportunam explicandæ singularis illius erga hanc Sanctam Sedem observantiæ, quam Fraternitas Tua uberi significatione aliàs testata est, occasionem Tibi in præsens exhibebunt Dilecti Filii Religiosi Viri, Petrus Martyr de Parma, Corradinus de Valletelina, Archangelus à Brixiâ, Antoninus Poschiavanus, & Joseph Maria Armenus ex Ordine Sancti Dominici, Congregationis Sanctæ Sabinæ, qui in Persiam à Nobis non alio fine allegantur, quàm ut Nationi Armenæ, quæ Nobis apprimè cordi est, spiritualia deferant præsidia. Confidimus itaque Te, pro egregia tua in Nos voluntate, libenter esse excepturum præfatos Evangelicæ veritatis Præcones, ac Dominici Agri Operarios, quos Tibi etiam, atque etiam commendatos esse volumus, quatenus eos fovere, & omni prorsus charitate, ubi res exposcet, intuitu nostro tueri velis. Erit id planè Nobis gratum, Tibique perpetuò conciliabit benevolentiam nostram, quam, ubi suppetent occasiones, explicare non omittemus tum Tibi ipsi peculiaribus documentis, tum iis omnibus ex ista Natione, qui Romam fortè advenient, quos certè Paterno amore (quod hucusque fecimus) semper recipiemus; nam præter illam animi propensionem, quam pridem erga ipsos gessimus, peculiaris in præsens ratio ejusdem præferendæ Nobis incumbit, ex quo, licet immerentes, præsidemus Ecclesiæ Dei, piissimæ videlicet Matri, quæ cum libenter excipiat omnes ad se accurrentes, tum maximè Nationis Vestræ Populos lætanter complectitur, quos memorat, sedente piæ memoriæ Beato Silvestro, Evangelici lactis ubertate fuisse potatos per ea felicia tempora, quibus in fronte Regum lucere cæpit Crux Redemptoris. Accedit ad Paternæ nostræ pietatis excitamentum tum consideratio malorum, quæ tot jam seculis eandem Nationem premunt, à quibus, ut ipsam relevari aliquando possit, enixè cupimus. Vota autem nostra in eo in primis versantur, ut singuli ejusdem Nationis, qui Christiano nomine censentur, ad antiquam unitatem cum Romanâ Ecclesiâ omnium Magistrâ, ac Parente revertantur, Te præsertim adlaborante, cui pignus Pontificiæ Dilectionis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 20. Aprilis 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regem Poloniæ hortatur, ut Ruthenorum unionem cum Romanâ Ecclesiâ impensè promoveat, & Episcopo Rutheno Szumlanski à Schismaticis exagitato opitulari velit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ad Apoſtolici muneris curas animum convertentes, atque in ejus Perſonâ, cujus Miniſterium, licèt immerentes, gerimus, edocti, nihil tam cupimus, quàm laxatis, ductiſque in altum traditæ Nobis cæleſtis doctrinæ retibus, eos omnes, qui fluctibus jactantur errorum, ad veritatis portum, benedicente Domino, perducere. Deſtitui itaque ſolicitudo noſtra non debet Fidelium ope, eorum præcipuè, quorum authoritas votis, ac labori noſtro prodeſſe admodum poteſt. Hinc reputantes Nobiſcum quàm ingens piiſſimæ Matri Eccleſiæ adderetur lætitia, ubi Rutheni ab ea diſſidentes, abrupto diviſionis laqueo, in ipſius gremium accurrerent, ad quod ſe eſſe propenſos non obſcurè quandoque innuerunt, hortamur Majeſtatem Tuam, ut Catholico zelo incenſa, eorum unionem, quo majori poterit ſtudio, ſatagat promovere. Interim verò, ne dum lucrifacere Fratres quærimus, eorum, qui Nobis adhærent, moleſtiis torqueamur, à Te enixè petimus, ut Venerabili Fratri Szumlanski Epiſcopo Rutheno in eâ, quam à Schiſmaticis patitur, oppoſitione pro retinendâ Sede in Confraternitate Ruthena Leopolis opitulari velis, inſpecto maximè valido præſidio, quo in ejuſmodi controverſiâ ipſius Adverſarii fulciri gloriantur. A' Venerabili Fratre Franciſco Archiepiſcopo Tarentino fuſiùs idipſum noſtro nomine intelliget Majeſtas Tua, cui ſecundos rerum eventus à Deo precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Aprilis 1701. &c.

ARGUMENTUM

Quæ à Magno Conſilio Mechlinienſi in Belgio adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem, & Epiſcopalem Dignitatem attentata fuere, debitâ reparatione hactenus caruiſſe dolet, & ad eam diutius non protrahendam Regem Catholicum enixè hortatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Non verbis explicare poſſumus intimum dolorem, quo afficimur, ubi perpendimus, quod ea, quæ in Belgio à Magno Conſilio Mechlinienſi contra Immunitatem Eccleſiaſticam manifeſtâ illius violatione, nec ſinè Epiſcopalis Dignitatis contemptu, attentata fuerunt, debitâ adhuc, congruâque reparatione indigeant, non obſtantibus enixis, ac ſæpè ſæpius noſtro nomine iteratis Venerabilis Fratris Franciſci Archiepiſcopi Lariſſenſis, Nuncii apud Te noſtri hac

ſuper re petitionibus. Admonet itaque Nos Pontificii muneris ratio, quâ Eccleſiæ juribus adeſſe omninò tenemur, his literis à pietate, ac æquitate tua ſedulo expetere, ut ſarciri quamprimùm per eos, qui talia auſi ſunt, læſam, tanto Fidelium ſcandalo, præfatam Immunitatem ita mandes, ut executio diutius non protrahatur. Id autem fuſiùs à memorato Venerabili Fratre percipiet Majeſtas Tua, cui Largitorem bonorum omnium propitium uſque precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Maii 1701. Pontif. Noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Cum Cardinali Portocarrero eamdem proſequitur expoſtulationem, ejuſque opem expoſcit, ut Rex Catholicus Edicta à Magno Conſilio Mechlinienſi in manifeſtum Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, & Epiſcopalis Dignitatis contemptum, promulgata reſcindi, atque penitus abrogari mandet.

Venerabili Fratri Noſtro, Ludovico Epiſcopo Præneſtino, S. R. E. Cardinali de Portocarrero nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater Noſter, ſalutem &c. Aſſiduam, ac profectò gravem animo noſtro moleſtiam ingerit ſcandalum violatæ nimis audacter in Belgio per Magnum Conſilium Mechlinienſe Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, eòque magis augetur dolor noſter, quò deſtitui quodammodo videmus optato, ac ſperato fructu petitiones noſtro nomine Catholici Regis Majeſtati à Venerabili Fratre Franciſco Archiepiſcopo Lariſſenſi ſæpius delatas, per quas huic malo conſultum iri arbitrabamur. Non enim idonei remedii vim habent ea, quæ ad tempus, & providendi gratiâ ab ipſo Rege mandata fuerunt, cum illatis Eccleſiæ præjudiciis non modò non occurrant, ſed novis potiùs occaſionem præbere videantur. Cum itaque Jura, quæ Eccleſiæ favent, tam perſpicua ſint, ut deeſſe muneri noſtro videremur, ſi ea ulteriùs ſilentio præteriremus, memorato Venerabili Fratri injunximus, ut Regi ipſi explicet rationes, ob quas ſuſceptæ ab eo deliberationi acquieſcere non poſſumus, curetque omninò, ut ſtatim Rex mandet reſcindi, atque deleri Edicta ab eodem Magno Conſilio tam manifeſto Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, & Epiſcopalis Dignitatis contemptu promulgata. Super quibus omnibus, quoniam ab eodem Nuncio conſulenda eſt, Nobis pariter mandantibus, perſpecta tua prudentia, ac pietas, confidimus Te ejus zeli, quo flagras, magnitudinem hac etiam occaſione explicaturum eſſe, & quâ conſilio, quâ ope tuâ, felicem hujus negotii exitum promoturum, ut Nos à durâ neceſſitate intendendi ulteriùs eam in rem cogitationes noſtras exolvas. Nec exiguam ſpem collocamus in præſtantiâ indolis, atque pietate ingenitâ ejuſdem Regis, cui non dubitamus, quin cordi ſint illuſtria Prædeceſſorum ſuorum exempla, itaut eorum virtutes, ac in primis Religionis cultum, & Filialem in hanc Sanctam Sedem obſervantiam velit æmulari. Quo facto magnam apud homines laudem, apud Deum verò mercedem procul dubio conſequetur. Tibi interim, Venerabilis Frater Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die prima Maii 1701. Pontificatus noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Homines loci Ponzoni in Ducatu Montis Ferrati, quibus Dux Mantuæ vehementer ſuccenſuerat, eidem Duci commendat, ac petit, ut illis benignè parcere velit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Carolo Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Non debent Paternæ noſtræ charitatis viſcera iis occludi, qui in ſummâ tribulatione conſtituti, ac ingenti calamitate oppreſſi precibus, ac lachrymis officia noſtra ſolicitant. Cùm itaque homines Ponzoni, qui locus ſub Ditione Nobilitatis Tuæ in Ducatu Montis Ferrati ſitus eſt, probè agnoſcant, atque ultrò fateantur multa ſe, ac gravia dudum perpetraſſe delicta, quibus juſtam animi tui indignationem provocarunt, cumque iidem duram ab eo tempore, ac laborioſam vitam à propriis ædibus exules, ac profugi egerint, à Nobis ſuppliciter, magniſque fletibus nuper contenderunt, ut Tecum ſedulò ageremus, quatenus ingenitæ Tibi lenitati tandem indulgere velles, & ſin minùs ipſos, qui eſſe ſe veniâ indignos (adeò eos pœnitet facti) profitentur, eorum ſaltem filios nulla prælibatorum criminum reitate fœdatos in gratiam, fidemque tuam reciperes. Pervaſit itaque uſque ad cor noſtrum humilis hujuſmodi, ac demiſſa ſupplicatio, deque tuo in Nos ſtudio confiſi à Te expetimus, ut erga præfatos homines eâ manſuetudine utaris, quam ipſos præſenti dolore, & admiſſi criminis deteſtatione, atque execratione promeruiſſe cognoveris. Qua in re Dominum ipſum, qui delinquentium non vult interitum, ſed pœnitentiam, fueris imitatus, remque Nobis, qui, pietate ſuadente, hæc ad Te perſcribimus, gratam feceris; dum Nobilitati Tuæ propitium Deum precamur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 7. Maii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regi Chriſtianiſſimo gratias agit, quòd poſtulatis ſuis pro Cardinali Bullionio benignè annuerit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. In ricevere dal Cardinale di Gianſon la notizia recataci in nome della M. V. degli ordini, che Ella à noſtro riguardo hà giudicato di dare in favore del Cardinale di Buglione, prendiamo ſubito la penna, per renderne alla M. V., come facciamo, le dovute grazie; aſſicurandola, che, ſi come ben' conoſciamo le finezze di bontà, che in queſta, e in tante altre occaſioni la M. V. hà voluto praticare verſo di Noi; così non laſceremo d'incon-

trare con sommo nostro contento tutte le opportunità, nelle quali ci venga permesso di spiegarle con le opere la nostra più distinta, e sincera riconoscenza. In tanto pregando Dio à ricolmare di sempre più felici successi la Persona della M. V., e tutta la sua Real Discendenza, le diamo con tutta la pienezza del nostro Paterno affetto l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 7. Maii 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Postulat à Rege Poloniæ, ut Lutheranæ Sectæ exercitia Varsaviæ apud Acatholici Principis Administrum instituta impediat, publicoque Catholicorum scandalo occurrat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Pontificiæ nostræ vigilantiæ curas tunc potissimum intendere debemus, cùm apertè deprehendimus, quòd inimici nostri non dormiunt. Nuper itaque, non sine multâ animi nostri molestiâ, accepimus, quòd Varsaviæ nonnulli, qui hæreticæ pravitati adhærent, apud Acatholici Principis Administrum damnatis Lutheranæ Sectæ exercitiis publicè vacare non dubitent. Quæ licentia cum non tam ad fovendum, quàm ad amplificandum errorem tendat, tempestivè compesci debet, ne ulterius progrediatur. Majestatem proinde Tuam seriò hortamur, ut tanto scandalo, in eo præsertim, quòd notoriè nimiùm admittitur, opportunis remediis, pro spectatâ suâ prudentiâ occurrat, & Venerabilem Fratrem Franciscum Archiepiscopum Tarentinum nostro nomine de ea re fusiùs differentem libenter audiat; dum Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 7. Maii 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli S.Marię de Pace S.R.E. Presbytero Cardinali Radzieouski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Eò usque processit, ut accepimus, nonnullorum hominum hæreticæ pravitati adhærentium in istis Regionibus audacia, ut Varsaviæ apud Acatholici Principis Administrum publicè conventus suos agere, ac Lutheranæ Sectæ exercitiis operam palàm dare non vereantur. Quæ res Paternæ nostræ charitatis viscera, ut par erat, commovit, ac perculit, cùm indignum esse arbitremur, quòd impietas suos veluti triumphos agere in ipso Catholicæ veritatis conspectu præsumat. Perspectam itaque pietatem tuam in præsidium nostræ vigilantiæ adhibemus, ac vehementer a Te petimus, ut omni studio nobiscum contendas, ut hujusmodi licentia omninò coerceatur. Pluribus autem eâ in re supersedemus, cum

ſenſus noſtros uberius ſis percepturus à Venerabili Fratre Franciſco Archiepiſcpo Tarentino, cui injungimus, ut prudentię, ac zelo tuo in promovendo memorati ſcandali remedio admodum innitatur, dum Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 7. Maii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Principi Franciſco Ludovico Comiti Palatino Rheni, Ordinis Teuthonicorum Magno Magiſtro ſignificat quàm ſtrenuo, fortique animo obſtiterit, & obſiſtere intendat Marchioni Brandeburgenſi, ne uſurpatus Regis Pruſſiæ titulus illi à quoquam ex Catholicis Regibus tribuatur; eumdemque Magnum Magiſtrum laudat, & hortatur, ut Jura ſui Ordinis in eâ Cauſâ ſtrenuè tueri pergat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Franciſco Ludovico Comiti Palatino Rheni, Adminiſtratori Eccleſiæ Uratislavienſis, Ordinis Teuthonicorum Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Paternâ illa charitate, quâ Nobilitatem Tuam, & Militarem Teuthonicorum Ordinem, cui pręficeris, unicè proſequimur, Nos admonente, ac propè impellente, prævenimus preces tuo nomine ad Nos delatas, quibus enixè à Nobis petebas, ut illatæ eidem Ordini per Fridericum Marchionem Brandeburgenſem novæ, gravique injurię auctoritate noſtrâ occurreremus. Ubi enim certò Nobis innotuit eundem Marchionem Regis Pruſſiæ nomen publicè, ac ſolemniter uſurpaſſe, quaſi præſumeret ſpecioſâ hujus tituli acceſſione jura legitimæ auctoritatis acquirere in eâ Provinciâ, quam memoratus Ordo ab Infidelium manibus ſtrenuâ virtute olim receptam, tanquam firmiſſimum murum pro Domo Iſrael, quæ eſt Eccleſia Dei, contra ejuſdem perpetuos hoſtes opponere ſtatuerat; dedimus ad Orthodoxos Reges accuratas literas, quibus ipſos vehementer hortati ſumus, ne ullâ Regii honoris ſignificatione Acatholici Principis ambitum fovere vellent, ac rejecto prorſus erga eumdem omni officiorum conſortio, propriæ Dignitati, ac Religioni proſpicerent. Mox autem coram Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Collegio liberâ, ac Sacerdotali voce factum hujuſmodi improbavimus, & latè proſecuti ſumus, quanto Eccleſiæ Dei contemptu infectus hæreticâ labe Princeps, reclamante Apoſtolicarum Sanctionum auctoritate, Regię Dignitatis Inſignia profano ritu occupata præferret: quàm etiam incautè eorum numero ſe junxerit, quos increpat ſimul, ac reprobat ſermo ille Divinus: *Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*. In primis autem ob oculos omnium poſuimus læſa Militiæ veſtræ jura, quod in magnum univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ dedecus vertebatur; ex quibus omnibus confidimus Te pro ſpectatâ tuâ prudentiâ facilè intellecturum eſſe, Nos, quantum in Nobis erat, tantæ obſtitiſſe licentiæ, ac Pontificiâ vigilantiâ adfuiſſe, nec defuturos eſſe in poſterum, ubi è re fore arbitrabimur, piæ ęquè, ac juſtæ cauſæ, quam meritò omni ſtudio tueri curat Nobilitas Tua, cui in multæ felicitatis auſpicium Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę &c. die 14. Maii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Jubilæi Secularis exemplar mittit ad Episcopum Cononensem in Sinarum Imperio Provinciæ Fokiensis Vicarium Apostolicum, & populo illius curæ commisso consuetas Indulgentias benignè elargitur, quæque ab eodem Episcopo, & Apostolicis Missionariis eâ occasione præstanda sint, ipsum accuratè monet.

Venerabili Fratri Carolo Episcopo Cononensi, Provinciæ Fokiensis Vicario Apostolico.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ad Petri Sedem, licèt immerentes, adeòque trepidantes, evecti Anno Jubilæi proximè elapso, quo tempore fel.rec. Innocentius XII. Prædecessor Noster Ecclesiæ Thesauros Christifidelibus Romam confluentibus, servato Majorum Instituto, reseraverat, inter potiores curas, quibus Pontificatus Nostri exordia consecranda esse duximus, illam Nobis incumbere intelleximus, ut easdem Spiritualium munerum divitias ad reliquas orbis Ecclesias providâ dispensatione extenderemus. Pontificiæ itaque vigilantiæ oculos ad Populum Fraternitatis Tuæ pietati, atque sedulitati commissum convertentes, ac Paternâ charitate omnes, & singulos, qui Filii Dei sunt per fidem, & Christum induerunt, complexi, eisdem præfati Jubilæi Indulgentias juxta formam editam, quam ad Te transmitti curavimus, elargimur. Ut autem spiritualium bonorum fructus per meritum obedientiæ, quæ victimis est potior, feliciùs hac occasione promoveatur, erit perspecti tui zeli curare, ut Religiosi viri, ac Sacerdotes, qui audiendis confessionibus, ac evangelizando verbo Dei operam dabunt, districtè omnes admoneant debiti, quo Sanctæ Sedis Constitutionibus, & mandatis eorum, qui auctoritate Apostolicâ in Spiritualibus præsunt, parere tenentur; Si qui verò in hoc deliquerint, conscientiæ suæ seriò consulant necesse est; dum Nos ex animo optantes, ut de sperato Sanctorum omnium profectu fiant gaudia æterna Pastorum, à Deo Optimo Maximo piorum votorum complementum, & diuturnam incolumitatem exposcimus Fraternitati Tuæ, cui benevolentiæ nostræ perpetuum pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Maii 1701. Pontif. Nostri Anno I.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Philiberto le Blanc Provinciæ Iuvan Vicario Apostolico.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, salutem &c. Providentiæ cælestis ineffabile judicium infirmitatem nostram ad Apostolicę servitutis munus evocavit eo tempore, quo fel.rec. Innocentius XII. Prædecessor Noster, decurrente Seculari Jubilæi anno, Ecclesiæ Thesauros, servato Majorum Instituto, Christifidelibus Apostolorum limina invisentibus aperuerat. Nos itaque, ne Ministerium, quod meritò trepidantes suscepimus, negligenter, quantùm patitur in-

fir-

firmitas nostra, obeamus, Pontificiæ vigilantiæ partes esse ducimus spiritualium benedictionum dona ad eas etiam regiones extendere, quæ etsi longo terrarum intervallo à Nobis dissita, fide tamen Nobiscum, & charitate in unum Corpus, quod est Ecclesia, junguntur. Perspectæ itaque Pietati Tuæ significamus, qualiter easdem Indulgentias proximè elapso anno Jubilæi Romam confluentibus concessas Nos Tibi, & Christifidelibus spirituali tuæ curæ commissis sub certâ formâ, cujus exemplar ad Te transmitti mandavimus, elargiti sumus. Dabis igitur operam, ut Concionatores Verbi Dei, & Confessarij suos auditores, ac pœnitentes instituant ad ea virtutum exercitia, quibus viam sibi muniant ad veniam, & salutem hisce remissionibus consequendam; potissimum verò incumbant in explicando debito obedientiæ, quo parere Romanorum Pontificum Constitutionibus, tum Sedis Apostolicæ Vicariis tenentur ii, qui in Christo renati ita efficiuntur parvuli, ut per obsequium Fidei in spem Regni adolescant. In quo si fortè aliqui deliquerint, ut conscientiæ suæ seriò consulant, admonendi sunt, ad hoc ut Misericordiarum Patrem hoc publicæ expiationis tempore sibi propitium reddant. Interim bona omnia à Deo Tibi precamur, Dilecte Fili, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Maii 1701. &c.

Hoc eodem exemplo scriptum etiam fuit reliquis Vicariis Apostolicis in Imperio Sinarum.

ARGUMENTUM

Duci Parmæ, qui Sanctitati Suæ gratias egerat, quòd Principem Antonium ejus Fratrem, Romam profectum, honorificè excepisset, gratum, benevolumque explicat animum, ac eumdem Principem multis laudibus ornat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Francisco Farnesio Parmæ, & Placentiæ Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. La forma, con cui abbiamo accolto il Principe Fratello di V.A., tuttoche ripiena d'amore, e di stima verso un sì degno, e riguardevole Soggetto, è stata di gran lunga inferiore al cordiale, e sincero affetto, con cui lo rimiriamo, sì per le proprie virtù, come per la sua stretta relazione all'A. V. medesima. Godiamo certamente d'aver incontrato il suo compiacimento, com'Ella hà voluto darcene testimonianza con la sua lettera. In tanto l'assicuriamo, che il sudetto Principe suo Fratello hà dato nel tempo del suo soggiorno in questa Corte tanti saggi di cortesia, e di prudenza, che in partire dalla medesima, porta seco li cuori di tutti quelli, che l'hanno conosciuto. V. A. ne ringrazii Iddio, da cui procede ogni bene; e assicurandola altresì della nostra costante Paterna benevolenza, anche in corrispondenza di quei sentimenti, che Ella ci hà espressi con detta sua lettera resaci dal Co. Felini suo Ministro, quale le rappresenterà quanto la medesima ci sia stata cara, & accetta, diamo all'A. V. con la maggior tenerezza del nostro cuore la nostra Apostolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 16. Maii 1701. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Cardinalem Radzieouski seriò admonet, ac hortatur, ut in proximis Regni Poloniæ Comitiis publicam tranquillitatem, ac orthodoxæ in primis Fidei incolumitatem, & incrementa omni ope promovere contendat.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli Sanctę Marię de Pace S. R. E. Presbytero Cardinali Radzieouski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Intellexerit intimi, assiduique nostri mæroris causas quicumque seriò perpenderit quot, & quàm graves nunc temporis Christianæ Reipublicæ impendeant calamitates, inter quas non postremo loco ob oculos nostros versantur insidiæ, quibus florentissimum Poloniæ Regnum oppetitur, dum Hæreticorum hominum audacia duplex fortè eidem bellum inferre parat, unum quidem palàm vi, & armis, quod certè minus timendum est, inspectâ eorum bellicâ virtute, quibus Rempublicam istam tueri tam facile erit, quàm familiare profectò eisdem semper fuit triumphis propriam libertatem asserere: alterum eò periculosius, quò magis occultum; novimus siquidem ab iisdem hæreticis immitti in nonnullorum animos secretas discordiarum faces, quæ in proximè habendis Comitiis in publicum incendium, quod difficulter extingui possit, erumpant. Excogitari id sine multâ solicitudine à Paternâ nostrâ charitate non potest, cùm agi de Reipublicæ istius salute, atque incolumitate, tum etiam de Catholicæ Religionis integritate videamus. Dum itaque Divinam opem enixis precibus, quatenus hujusmodi pericula amoveantur, indesinenter expetimus, Te amoris nostri magnitudine complexi, quo majori possumus studio, hortamur, ut eo, quo par est, zelo incensus hostium fidei conatibus, & publicæ tranquillitatis discrimini tempestivè occurras, ac Dei causam fortiter propugnes; quod Te feliciter assecuturum esse confidimus, si pro ea, quâ apud omnes præstas auctoritate, singulis periculum, in quo sacræ res, ac humanæ versantur, detexeris, eosque seriò monueris cælestem iram, ac spiritualium anathematum fulmina in caput suum evocare illos, qui hæreticorum hominum vocibus aures præbere, nedum consiliis adhærere præsumpserint. Erit etiam perspectæ tuæ prudentiæ inclyti istius Senatus suffragia in eam sententiam adducere, ut Charissimi in Christo Filii Nostri Augusti Poloniæ Regis studia, ac desideria in iis omnibus, quæ ad amplificandos Catholicæ veritatis fines pertinent, promoveantur, ut inde etiam celeberrimæ istius Reipublicæ splendor, & gloria augeatur. Prolixiùs autem de hac re sanè gravi disserentem Venerabilem Fratrem Franciscum Archiepiscopum Tarentinum Nuncium isthic nostrum ut libenter audias, eique tuo præsidio adesse velis, cupimus; dum Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 28. Maii 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Leopolienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Pontificiam vigilantiam nunc maximè intendere debemus, cùm Nobis apertè liquet, quod Inimici noſtri non dormiunt. Præter publicos armorum apparatus, quibus inſtructa eſt, armatur etiam occultis fraudibus hæreticorum Hominum impietas, magnamque nunc tandem Catholicæ Religioni perniciem, & ingens Poloni Regni tranquillitati exitium inferre poſſe arbitratur, dum opportunum promovendis hujuſmodi inſidiis tempus ſe nactam eſſe præſumit in proximè habendis Comitiis: rata non defuturos eſſe in tanto convenientium numero, qui pravis conſiliis aures adhibere, imò etiam corde adhærere non dubitent. Pertinet ad eos, qui præclaris in Dei Eccleſiâ, tum etiam in iſtâ Republicâ Dignitatibus decorantur, inimicorum hominum conatibus fortiter obſiſtere, nec dubitamus proinde, quin Fraternitas Tua hac etiam occaſione explicatura ſit zelum, quo plurimùm commendatur, tum detegendo ope ſpectatæ ſuæ prudentiæ hoſtium fraudes, tum etiam ſeriò Fideles omnes admonendo magnum eos animæ ſuæ detrimentum parare, & inflictis à Sacrorum Canonum auctoritate cenſuris ultrò ſe ſupponere, qui hæreticorum Hominum commercium quoquomodo admittunt, multòque deterius eiſdem laqueis ſe ipſos irretire, qui ambitu fortè ſuadente, aut lucri ſpe illecti conſilia ineunt, quibus Reipublicæ, ac Religionis ſalus in diſcrimen poſſit adduci. Nos ſanè, quibus Apoſtolici muneris ratio indeſinenter repetit illud: *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Te, cæteroſque Regni iſtius Præſules, quos Speculatores Nobiſcum Gregi ſuo Deus præfecit, & in partem ſolicitudinis vocavit, hortamur, ut opportunè, & importunè arguere, atque increpare, & obſecrare, quemadmodum è re fore duxeritis, non omittatis, & quod præcipuum eſt, ad anchoram Dei tutiſſimam, Dei videlicet præſidium, confugiatis, quatenus ipſe Vobis ſpiritum conſilii ad infringendam tantam audaciam largiatur. Non parum interim communi bono, & Reipublicæ iſtius ſaluti, ac ſplendori profuturum eſſe arbitramur, ſi Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Auguſti Poloniæ Regis ſtudia, in eo præſertim, quod ad propagandam latius Catholicam veritatem ſpectat, unanimi ſententiâ promoveantur. Senſus autem uberius hac ſuper re noſtros à Venerabili Fratre Franciſco Archiepiſcopo Tarentino Nuncio iſthic noſtro percipiet Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 28. Maii 1701. &c.

Epiſcopis Kiovienſi, Luceorienſi, Camenecenſi, Plocenſi, Chelmenſi, Culmenſi, & Vendenſi, eodem exemplo.

IDEM ARGVMENTVM

Venerabili Fratri Episcopo Uladislaviensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Quò majori zelo pro Catholicæ Religionis integritate, & communi tranquillitate custodiendâ flagrant illi, quibus administrandæ inclytæ istius Reipublicæ cura demandata est, eò audaciùs insurgunt Religionis, & Regni ipsius hostes, & insidiis, atque dolis publicam Divini Cultus observantiam, ac animorum unionem evertere meditantur. Propugnabit tamen, ut confidimus, Fidei, & Patriæ causam Fraternitas Tua, cujus Infula erit galea salutis ad propulsandos eorum conatus, quos exerere posse sibi pollicentur in proximè celebrandis Comitiis, dum maligno discordiarum gladio ad scindendum in diversa studia Senatum accinguntur. Cumulabis itaque tuas laudes, ubi ne dum eorum molimina eximiæ tuæ prudentiæ usu deteges, sed alios etiam admonebis, ut à pravis Hæreticorum consiliis, imò ab omni cum eisdem commercio, juxta sacrarum Legum auctoritatem prorsus abstineant. Quin etiam ad amplificandam Reipublicæ istius gloriam opportunum fore ducimus, ut omnes exemplo, & hortatu tuo Regias deliberationes in iis potissimum rebus, quæ ad propagandos orthodoxæ Religionis fines pertinent, unanimi consensu promoveant; de quibus omnibus Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Tarentinus fusius disseret cum Fraternitate Tua, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Maii 1701. &c.

Episcopis Posnaniensi, Samogitiensi, Vvarmiensi, & Præmisliensi, eodem exemplo.

IDEM ARGVMENTVM

Pro quatuor Nobilibus Viris in Regno Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quibus insidiis Catholicæ Religionis cultum, & florentissimi istius Regni tranquillitatem evertere Religionis, ac Regni ipsius hostes, hæreticæ pravitatis sectatores, in præsens moliantur, notius esse arbitramur, quàm ut Nobilitati Tuæ à Nobis debeat explicari; nam præter bellicos apparatus, quibus iidem fortè minus confidunt, ex quo sibi cum strenuâ, invictâque Natione rem esse probè intelligunt, timendum est, ne clandestinè animos adoriantur, & quatere malis artibus Rempublicam illam contendant, quam oppugnare posse militaribus copiis diffidunt. Etsi autem Nobilitatis Tuæ animum pro constanti, ac veteri suâ pietate, proque spectatâ suâ prudentiâ, impervium fore hujusmodi dolis pro certo Nobis pollicemur, majora tamen à Te præsens temporum conditio exposcit, ut scilicet custodiendæ publicæ pacis, & orthodoxæ Fidei servandæ apud cæteros etiam sis auctor. Hoc potissimùm præstari à Te oportet in proximè habendis Regni istius Comitiis, in quibus magnum apud Deum meritum, apud

ho-

homines laudem assequeris, ubi exemplo, ac consiliis tuis ad promovendum commune bonum reliqui incendantur. Hæc autem feliciter contingent, ubi Senatus suffragia in iis, quæ orthodoxæ veritatis incrementum, tum Reipublicæ istius amplitudinem respiciunt, Charissimi in Christo Filii Nostri Augusti Poloniæ Regis desideria unanimi studio perficient. Filialis tuæ in Nos observantiæ specimen exhibebis, libenter audiendo Venerabilem Fratrem Franciscum Archiepiscopum Tarentinum Nuncium isthic nostrum de tanti momenti negotio Tecum disserentem. Nos interim Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Maii 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Pro quatuor aliis Nobilibus Viris in eodem Poloniȩ Regno.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Reipublicæ istius gloriam constanti Catholicæ veritatis cultu amplificatam finitimorum Hæreticorum audacia invidis oculis spectat,& quoniam nihil adversus eam, quæ strenuâ virtute communita est, vi, & armis proficere posse arbitratur, dolis, atque insidiis obtinere posse non desperat, ut intestinis, mutuisque dissensionibus aliquando conflagret. Quod cum perspectum esse eximiæ Nobilitatis Tuæ prudentiæ censeamus, non dubitamus, quin Religionis, ac Patriæ zelo incensus pro eâ, quâ præstas, auctoritate caveas, ne in proximè habendis Comitiis ullæ hostium Fidei machinationibus viæ, ulli pateant aditus, ita ut deficientes deficiant in cogitationibus suis. Satis autem erit Tibi innuere, quanti momenti res sit, ut ne dum Tu ipse eorum ausibus obsistas, sed alios etiam, qui inclytæ Nobilitatis titulo gloriantur, ab audiendis pravis eorum consiliis, quod à Sacris Canonibus sub Anathematis pœna districtè vetitum est, retrahas. Quinimò confidimus Te hortatu pariter nostro ita curaturum ea, quæ commune bonum respiciunt, ut tuo, & unanimi aliorum suffragio Charissimi in Christo Filii Nostri Augusti Poloniæ Regis studia, ac desideria in iis præsertim, quæ ad orthodoxam Fidem latiùs propagandam, tum etiam ad Reipublicæ vestræ Dignitatem augendam pertinent, promoveantur. Fusiùs animi nostri sensus Tibi explicabit Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Tarentinus, quem cupimus ut libenter audiat Nobilitas Tua, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Maii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Cum Archiepiſcopus Philadelphiæ Sanctitati Suæ gratias egiſſet, quòd Eccleſiam S. Athanaſii in Urbe, die illi ſacrâ, viſitaſſet, ejuſmodi officio benignè reſpondet, & Sancti Doctoris laudes celebrat.

Venerabili Fratri, Miletio Archiepiſcopo Philadelphię.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Par erat, ut humili cordis noſtri ſenſu, ac publicâ devoti animi ſignificatione, Beati Athanaſii præſtantiſſimi Præſulis veneraremur memoriam, quæ meritò apud Fideles in laudibus, & in benedictione eſt, cum ipſius etiam viventis nomen tantæ apud Eccleſiam Religionis extiterit, ut quo tempore Orbis penè univerſus ſe à vero cultu defeciſſe ingemuit, egregio huic Doctori adhærere, tanquam Catholicæ Fidei teſſera, haberetur. In quo itaque eximia doctrinæ, pietatis, ac conſtantiæ exempla ſemper ſuſpeximus, ipſius opem nunc maximè Nobis eſſe expetendam intelligimus, quando difficillimi Miniſterii onus impari virium conditione perferimus. Confidimus interim per Sacrum Antiſtitem vota noſtra ad Deum perlatum iri in tanto rei Chriſtianę compendio, ut ſpes aliquando affulgeat reſtituendæ Græco nomini ejus gloriæ, quæ in Chriſto eſt, & in Eccleſiâ, imò etiam in bonam olivam iterum inſerendæ propaginis, quæ vitio ſeculi degeneravit in oleaſtrum. Fraternitati autem Tuæ, cujus grata admodùm Nobis tantæ felicitatis auſpicia acciderunt, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die quarta Junii 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Cenſuras ab Archiepiſcopo Aquenſi promulgatas adverſus nonnullos Regulares, & Interdictum eorum Eccleſiis ob recuſatam Paſtoralem Viſitationem appoſitum ſuſpendit ad quatuor menſes, eidemque Præſuli mandat, ut infra eumdem terminum de omnibus ad controverſiam pertinentibus Sanctitatem Suam inſtruat.

Venerabili Fratri, Danieli Archiepiſcopo Aquenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Egerunt apud Nos enixis precibus Dilecti Filii Religioſi Viri Superiores infraſcriptorum Ordinum, videlicet, Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Minorum Conventualium, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Minimorum, ac Recollectorum iſtius Civitatis, ac ejuſdem Suburbiorum, nec non Prioriſſæ, ac Moniales S. Bartholomæi Ordinis S. Dominici, & Sanctæ Claræ Ordinis Sancti Franciſci, quibus omnibus Profeſſores Ordinis Prædicatorum pro eorum Jure etiam adhæſerunt, appellantes, ac reſpectivè reclamantes adverſus ordinariam, Paſtoralemque Viſitationem, quam Fraternitas Tua peragere

fate-

ſategit menſe Octobris proximè præteriti tam Eccleſiarum, Cappellarum, Chori, Vaſorum Sacrorum, quàm aliorum in eis exiſtentium, aſſertis privilegiis, & exemptionibus præfatorum Regularium, etiam Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Conciliorum Generalium authoritate munitis minimè attentis, quatenùs mandaremus aboleri Cenſuras, ac Interdictum removeri ob hujuſmodi Viſitationis recuſationem inflictas, ac in eorum Eccleſiis reſpectivè appoſitum à Fraternitate Tua, eaque omnia irrita, ac inania eſſe declararemus. Nos itaque rei gravitatem expendentes, ac meritò ſoliciti, ne occaſione hujuſmodi Eccleſiaſticarum pœnarum ullum Divino Cultui, ac ſpirituali iſtius Populi ſaluti detrimentum inferatur, aut alia ſcandala ſuboriantur, his omnibus providè occurrendum eſſe ducimus, Te tamen prius audito, quàm ſuper eâ re quidquam definitivè ſtatuamus. Interim verò præfatas Cenſuras, memoratumque Interdictum per quatuor menſes à primâ die proximè venturi menſis Julii inchoandos, cum reincidentiâ tamen poſt illos elapſos, ſuſpendimus. Quamobrem Paſtoralis tui zeli, ac vigilantiæ erit non tam Cenſurarum, ac Interdicti inflictarum, & reſpectivè appoſiti ſuſpenſionem executioni ſtatim demandare, quàm diſtinctè intra eumdem terminum Nos de omnibus, quæ ad eandem controverſiam pertinent, inſtruere, vt rationibus ab utrâque Parte deducendis maturè penſatis, illud, quod æquitati conſonum judicabimus, cum Domino decernere valeamus; dum Nos Fraternitati Tuæ perpetuum benevolentię noſtrę pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 14. Junii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Ruthenum Szumlanski, qui ſuæ cum Apoſtolica Sede, & Romana Eccleſia Vnionis documentum miſerat, effusè laudat, eumque hortatur, ut alios aberrantes ad ejuſdem Eccleſiæ gremium revocare ſtudeat.

Venerabili Fratri N. Szumlanski Epiſcopo Rutheno.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Providè ab Authore totius conſolationis diſpoſitum fuiſſe arbitramur, ut oleum gaudii pro ſpiritu mœroris Fraternitatis Tuæ literæ tunc temporis Nobis afferrent, cum ob demandatum infirmis humeris noſtris Vniverſalis Eccleſiæ regimen gravibus, anxiiſque cogitationibus noctu, diuque detinebamur. Solidi enim gaudii argumentum Pontificio noſtro cordi fuit tuum officium, quo non tam Nobis ampliſſimæ Dignitatis ſplendorem gratulatus es, quàm liberè, ac ingenuè explicaſti Te Vicariam Chriſti in Terris poteſtatem in Perſona noſtræ humiliatis agnoſcere, initamque pridem, etſi privatim (ut res ferebant) cum Apoſtolicâ hac Sede, ac Romanâ Eccleſiâ in profeſſione Fidei unitatem publicè nunc tandem complecti: quod uberius etiam teſtatur ejuſdem Actus documentum tua manu obſignatum, quod unâ cum tuis literis ad Nos deferri curaſti. De quo ſanè ſucceſſu Nos ita lætamur, ſicut qui lætantur in meſſe; non enim, mittente Te manum ad aratrum, exigua eſt ſpes ſpiritualis proventus, quam animo noſtro concipimus, ſed imò in Domino confidimus multos ad agnitionem veritatis exemplo, & hortatu tuo (quod jam feliciter cæptum

eſſe

esse novimus) non multò post esse perducendos. Et tunc quidem gaudium nostrum nemo tollet à Nobis, cum, Te Nobiscum allaborante, dabitur Nobis desuper alligare ad comburendum zizania, quę isthic inimicus homo superseminavit, & fructum centesimum, quem ex tuâ vocatione Nobis pollicemur, in horrea cælestia tecum cum exultatione referre. Quæ sanè Paternæ nostræ charitatis vota, etsi per Orbem universum ad eos omnes, qui Nobiscum non colligunt, extendantur, speciali tamen quadam ratione respiciunt salutem Græcæ Nationis, quam Nos singulari semper animi nostri propensione prosecuti sumus, ita ut nihil tam optemus, quàm ut ipsa tandem Nobiscum in perfecta Fidei unitate, atque integritate consentiat, ut optata diu in Christo, & in Ecclesiâ animorum concordia in diebus nostris tandem conclametur. Age igitur, Venerabilis Frater, ut cumules tua in Deum promerita, lumen, quod ipse alacriter subsecutus es, præfer ubique ad illuminanda abscondita tenebrarum, dum Nos numquam piis tuis conatibus deerimus, parati Eos omnes Paternis brachiis excipere, qui, miserente Domino, à facie gladii, idest divisionis, aufugient. Fraternitati interim tuæ non interituri amoris nostri pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 18. Junii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regi Christianissimo, qui Ducis Aurelianensis Fratris sui obitum Pontifici significaverat, benignè respondet, & Defuncti virtutes, simulque Regiam in eo funere constantiam laudat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. La prima notizia, che ricevemmo, dell'improviso passaggio del Signor Duca d'Orleans Fratello della Maestà Vostra all'altra vita cagionò nell'animo nostro quell'afflizione, che suol' produrre ad un amantissimo Padre la morte d'un Figlio, per le rare sue qualità ben degno d'essere amato. Trovammo però sollievo nella considerazione delle singolarissime virtù sue, e particolarmente della sua tanto celebre divozione verso questa S. Sede, credendole ora senza dubbio premiate largamente in Cielo: e più ci consolò ancora una ferma fiducia del suo eterno riposo, concepita da Noi, allorche col maggior fervore di spirito offerimmo per Lui à Dio il Santo Sacrificio dell'Altare. Ci restava con tutto ciò un vivo dolore à riflesso di quello, che ne averebbe sentito giustamente la M. V., che sì teneramente l'amava. Ora la sua lettera ce l'hà notabilmente allegerito, assicurandoci della superiorità del suo cuore agl'umani accidenti; mentre percossa inaspettatamente da un colpo sì grave, hà pur potuto Ella medesima ragguagliarci sì generosamente del successo, e darci questo nuovo segnalato riscontro della sua bontà verso di Noi. Ci confessiamo perciò strettamente tenuti à sì obligante finezza della M. V., le ne rendiamo affettuosamente grazie, e preghiamo Dio, che somministrandole conforto, le conceda un' adeguata ricompensa di sì gran perdita; dandole Noi

in tanto con tutta la pienezza del nostro amore Paterno l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem die 5. Julii 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Quod Militares copiæ Imperatoris Leopoldi in Ditionem Pontificiam irruperint, cum Majestate Suâ vehementer expostulat, Cæsareamque fidem eâ in re implorat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Sà molto bene la Maestà Vostra quali debbano essere, e quali realmente siano le nostre premure per l'indennità di quello Stato, che, per essere proprio della Chiesa, siamo sì strettamente tenuti difendere, mentr' Ella stessa ben secondando questa nostra precisa obligazione, e insieme seguendo gl'impulsi della propria giustizia, ci hà fatto in tante maniere, e in tante occasioni assicurare, che il medesimo Stato, in congiontura delle presenti mosse delle sue armi in Italia, sarebbe restato assolutamente immune da qualunque, ancorche minima offesa; e Noi habbiamo sempre così indubitatamente creduto, non meno per ragione di quella fede, che per ogni conto dovevamo prestare alla sua inviolabile promessa, che per effetto di quella corrispondenza, che ci lusingavamo poter giustamente meritare dalla Maestà Vostra la condotta da Noi sin' ora tenuta nelle correnti gravissime emergenze. Quindi argomenti la M. V. quanto ci sorprendesse, e insieme ci amareggiasse l'inaspettato avviso giuntoci la notte del Sabbato scorso da Ferrara, che buon numero di Truppe Alemanne prima, e poi susseguentemente altre ancora fossero entrate di fatto, e con somma disattenzione verso la nostra Persona nel Dominio Ecclesiastico. Ognun' vede qual discredito risulti all'autorità nostra da un sì grave trascorso; anzi anco quanto il medesimo sia offensivo dell'insigne pietà, e giustizia della Maestà Vostra, mentre ciascuno si persuade, che tutto ciò sia seguito non solo senza sua saputa, mà con espressa trasgressione degli ordini da Lei dati à suoi Uffiziali. Tanto però maggiormente ci affligge questa loro disubbidienza, che appoggiata all'insossistente pretesto di una affettata necessità, quando non vi si dia opportuno riparo, potrebbe anco in avvenire trascorrere ad altre maggiori licenze. Nel punto istesso, che ne ricevemmo la notizia, ce ne querelammo al più alto segno col suo Ambasciadore, & anco col Cardinale Grimani, richiedendo ambidue, che ne portassero le nostre vive doglianze alla M. V., di che pure incaricammo il nostro Nunzio costì con le lettere dell'Ordinario, che in quella istessa notte partiva; mà non credendo di aver perciò sufficientemente adempite le nostre parti, ci siamo risoluti all'istesso fine di spedirle per espresso questa lettera scritta di nostro pugno, affinche quindi Ella meglio comprendendo la nostra inesplicabile sollecitudine, e quanto giustamente ci tenga inquieti il successo, e l'apprensione di quel, che mai potesse ulteriormente accadere, ci tolga ben tosto, come speriamo, da quella necessità,

nella

nella quale con nostro infinito dispiacimento potranno constituirci i suoi Comandanti di dover provedere alla salvezza del nostro Stato, & alla quiete de' nostri Sudditi, con modi diversi da quelli, che abbiamo fin'ora praticati. E con tutta la pienezza del nostro Paterno amore diamo alla M. V. l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 6. Julii 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Regem Nubiæ ad Catholicam Religionem amplectendam hortatur, & duos Missionarios, quos hunc in scopum ad Ipsum ablegat, benignè excipi, & accuratè audiri ab eo poscit.

Illustri, ac Potentissimo Regi Nubię.

CLEMENS P.P. XI.

ILlustris, ac Potentissime Rex, salutem, & lumen divinæ gratiæ. Apostolici Ministerii, quod nuper, nullis quidem meritis nostris, sed incomprehensibili Dei judicio, suscepimus, præcipuum munus est indesinenter curare, ut Divinum Nomen per veræ Religionis cultum in Orbem Universum propagetur; decet enim, ut ubique honorificetur Ille, qui bonorum omnium, quæ sunt in Terris, & illorum, quæ diligentibus eum præparantur in Cœlis, verus est Auctor, unicusque largitor. Cum itaque de Celsitudine Tua multa, ac præclara audiverimus tum quoad amplitudinem Ditionis Tuæ, tum quoad affluentiam earum rerum, quæ in summo pretio sunt apud homines, ad Pontificiam nostram charitatem pertinere duximus amanter Tibi indicare viam assequendæ veræ, solidæ, ac perpetuæ felicitatis, ad quam nemo pervenire potest, nisi Deo Omnipotenti verum cultum adhibeat, & Romanæ Ecclesiæ piæ Matri, ac Catholicæ Religionis Magistræ firmiter adhæreat. Hinc intelliges Nos Te, etsi tanto Terrarum intervallo disjunctum, Paterno prorsus corde diligere, nihilque aliud à Te expetere, aut optare, quàm ut ad lumen cœlestis gratiæ, quod olim Reges Prædecessores Tui agnoverunt, oculos convertas. Mittimus proinde ad Te cum Socio Dilectum Filium Damianum de Rivolo Fratrem expressè Professum Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum, hominem probati zeli, ac spectatæ pietatis, qui nostro nomine Celsitudinem Tuam ad ineundam cum hac Romanâ Ecclesiâ, extra quam non est salus, unitatem invitet, Tibique in sinceritate cordis, ac simplicitate oris aperiat puritatem doctrinæ, quàm à Christo Domino Mundi Redemptore haustam hæc Apostolica Sedes inconcussè tenet, & constanter docet adversus errores, & falsa Dogmata ab hoste humani generis tanto animarum periculo, & spiritualis salutis dispendio, isthic disseminata. Cupimus autem, ut intuitu nostro eumdem Religiosum Virum, ejusque Socium benignè, ac liberaliter excipias, & in tanti momenti negotio accuratè audias; dum Nos vicissim parati sumus, Te, tuosque omnes, qui Catholicæ Fidei præcepta ex animo susceperint, amanter, tanquam in Domino Filios complecti, & eâ dilectione, atque amore, quo cæteros Fideles solicitudini nostræ commissos excipimus, prosequi, ac Paterno sinu fovere. Celsitudini interim Tuæ salutem, & lumen divinæ gratiæ precamur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona Julii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Principis Guillelmi Hyacinthi Nassovii pietatem laudat, quòd in sua Ditione novum Templum pro Catholicis, loco alterius incendio consumpti, extruere meditetur, & acerbitate temporum explicatâ dolet ob angustias Ærarii Pontificii Sibi non licere ea, quæ optaret, ac deberet, in opus adeò pium subsidia conferre.

Dilecto Filio Nobili Viro, Guillelmo Hyacintho Principi Nassovio.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Ingenitam pietatem explicat Nobilitas Tua, dum sedulò meditatur constructionem isthic novi Templi, in quo Catholicæ Religionis exercitio vacare possint Fideles, ad reparandam jacturam illius, quod incendio non ita pridem periit. Quod sanè illustre propositum non modò debitis in Domino laudibus à Nobis est efferendum, sed planè dignum est, quòd nullâ non ope à Pontificiâ nostrâ solicitudine promoveatur. Undè fit, ut eò impensiùs doleamus in præsens vices nostras, quò magis perpendimus Pontificium munus eo tempore Nobis, & quidem immerentibus non minùs, quàm invitis, fuisse demandatum, quo ingruentia undique Italiæ, ac ipsi etiam Ecclesiasticæ Ditioni mala, non modò cogitationes nostras exercent, sed ipsas etiam Ærarii nostri vires exhauriunt. Novit Ille, cui non revelantur abscondita cordium, quàm longè ab animi nostri studio, atque consuetudine per hujusmodi consilia, quæ nunc demum cogimur suscipere, abducamur: quàm verò ob id potissimùm torqueamur, quia per hos bellorum motus, qui militarem licentiam secum invehunt, non levia Religioni impendere discrimina reputamus. Quæ damna si redimi vitæ nostræ dispendio possent, pretium non reluctantes exsolveremus. Hæc fusiùs ad Te perscribimus, tum ut cæleste Nobis præsidium assiduis precibus pro tuâ in Apostolicam Sedem, Nosque ipsos filiali observantiâ solicites, tum ut intelligas conditionem temporum in præsens adimere, quod Paterna nostra charitas libenter indulgeret petitionibus Nobilitatis Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 9. Julii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiscopo Tripolitano gaudium explicat, quod ex illius reversione ad unitatem Catholicæ Romanæ Ecclesiæ susceperat, eumque ut in proposito perseveret, & commissum sibi populum ad eamdem Ecclesiam revocare satagat, adhortatur.

Venerabili Fratri, Macario Archiepiscopo Tripolitano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ubi Providentiæ, ac Clementiæ Cœlestis magna erga humilitatem nostram, ac præclara non occurrerent undique argumenta, præsentis tamen, ac manifesti Numinis opem vel ex hoc uno agnovimus, quod tunc maximè, cum de injuncti

Nobis, licet immerentibus, Apoſtolici Muneris gravitate, majori metu, atque trepidatione corripimur, ſuæ Nos dignatur conſolationis rore perfundere. Recreati itaque, ac lætati ſumus, imò Nobiſcum lætata eſt Sion, pia videlicet Mater Eccleſia, ſtatim ac percepimus Fraternitatem Tuam ſubduxiſſe ſe ab eorum numero, qui à Catholicæ veritatis integritate disjunguntur, amplexatamque fuiſſe, benedicente Domino, Romanæ Eccleſiæ unitatem. Exultavimus ſanè, & delectati ſumus: non enim poterat non exhilarari cor noſtrum de eo eventu, qui potens eſt in ipſam æterni gaudii Patriam materiem inferre lætitiæ. Tranſmiſſam interim ad Nos Fidei Profeſſionem, tanquam ſolidum ſynceræ tuæ voluntatis teſtimonium, recepimus, perlegimus, ac labiis propè noſtris obſignavimus: in Authore ſalutis confiſi Te retrò non amplius eſſe reſpecturum, ex quo ſemel manum ad aratrum appoſuiſti, ſed imò fore Te de ubertate Dominicæ meſſis ſolicitum, ac proinde ſpiritualem commiſſi Tibi Populi ſalutem eſſe ſedulò curaturum. Quod ut feliciter contingat, miſericordiarum Patrem indeſinenter orabimus, & Fraternitati Tuæ, cui in his potiſſimùm, quæ ad Divinæ gloriæ incrementum, ſubinde etiam in iis, quæ ad tuum commodum pertinebunt, numquam deerimus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 16. Julii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Epiſcopo Heliopolitano reditum ad Romanæ Eccleſiæ gremium gratulatur, eumque paternis cohortationibus excitat, ut populum, cui præeſt, exemplo, atque conſiliis ad ipſius Eccleſiæ ſinum adducere ſtudeat.

Venerabili Fratri, Partenio Epiſcopo Heliopolitano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quantâ animi noſtri exultatione debitas laudes, & gratias egerimus Deo Opt. Max., qui Fraternitatem Tuam ad Catholicæ veritatis unitatem adduxit, & Romanæ Eccleſiæ, quaſi oleæ electæ, iterum inſeruit ſurculum, qui degeneraverat in oleaſtrum, ex ipſa conjicere potes Officii noſtri ratione, quam Apoſtolorum Princeps, cui licet immerentes divinâ ordinatione ſucceſſimus, ab ipſo Domini, ac Magiſtri ſui ore percepit. Intellexit enim Paſtoralis charitatis modum ab Ovium dilectione, à confirmatione Fratrum, à ſalubris paſcui adminiſtratione eſſe petendum. Quâ igitur alacritate Petrum credimus rete magnis piſcibus plenum traxiſſe in terram, eâ Nos, quantùm infirmitati noſtræ conceditur, Fratres in Sanctæ Eccleſiæ ſagena ad ſalutem, eodem Domino benedicente, recluſos ad ſoliditatem littoris perducimus: planè in eo, cujus gloriam quærimus, confiſi, quòd nulla aut æſtuum vis, aut vagandi præſumpta licentia, improvidò à Nobis abripiat. Pro certo itaque habere poteris Pontificiam charitatem, quæ Te nunc tandem ex animo complexa numquam dimittet, nulli umquam occaſioni defuturam eſſe declarandi, quàm Apoſtolico noſtro cordi adhæreas, quàm etiam Te ſemper benevolentiâ noſtrâ fovere, atque uberioribus gratiis ornare curaturi ſimus, ubi potiſſimùm accipiemus Te

ſedu-

ſedulò in eam curam incumbere, ut Populum, cui præes, exemplo, atque conſiliis ad gremium ipſum Eccleſiæ perducas. Fraternitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Julii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Petitioni Regis Catholici, ut Religioſum Virum defectu Natalium laborantem ad Epiſcopalem dignitatem evehere velit, obſecundare detrectat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Quemadmodùm nihil antiquius habemus deſiderio annuendi votis Majeſtatis Tuæ, quam ſyncerâ, perpetuâque charitate amplectimur, ita moleſtiâ planè intimâ afficimur, ubi gravibus difficultatibus detinemur, quominùs petitionibus tuis eâ, qua profectò cupimus, voluntatis noſtræ propenſione indulgeamus. Memores itaque præcipuas Nobis cuſtodiendæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ partes incumbere: expendentes autem quàm diſtrictè Sacrorum Canonum authoritate caveatur, ne defectu Natalium laborantes ad Epiſcopalis Dignitatis in Terris ſublimem, Cœloque ipſi conterminum Gradum promoveantur, non debere Nos ſuper hujuſcemodi impedimento cum Religioſo Viro, favore cujus Tuas ad Nos preces detuliſti, ad effectum ut Turritanæ Eccleſiæ præficiatur, diſpenſare cum Domino judicavimus. Sanè cum nullam ex iis dotibus, quibus eumdem Religioſum Virum, Tuo præſertim judicio innixi, præſtare arbitramur, attingat obex, qui Nobis à venerabili Sacrarum Legum diſpoſitione opponitur, Paternam noſtram eidem charitatem in aliis, quæ ſuppetent, occaſionibus explicare non omittemus. Cupimus autem in primis, ut Tibi perſuaſum ſit Nos, quantùm conſulto Deo licebit, numquam defuturos eſſe opportunitatibus gratificandi Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Julii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regem Poloniæ paternè arguit, quòd Puerum Natum ſuum Acatholicis Hominibus inſtituendum tradiderit, eorumque in locum ut probatos, Catholicoſque Inſtitutores ſufficiat, Majeſtatem Suam graviter admonet, ac hortatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Prohibere labia noſtra non poſſumus nunc, quando Paternæ noſtræ erga Majeſtatem Tuam charitatis ratio, & injuncti Nobis, licet immerentibus, Officii debitum Nos admonet, ut Apoſtolicâ libertate loquamur verba ſalutis. Innotuit ſiqui-

dem Nobis, non sine ingenti, atque intimo animi nostri dolore, Te Filium tuum tenerrimæ adhuc ætatis Puerum, Acatholicis Hominibus instituendum tradidisse. Quod cum ex præscripto Sacrarum Legum fieri absque gravi Dei offensâ, & animæ detrimento nequeat, planè discrepare videretur ab eo sinceræ erga Dei Ecclesiam voluntatis testimonio, quod tantâ apud æquos rerum æstimatores nominis tui laude, tantâ deinde honorum, ac Dignitatis accessione tunc edidisti, cum orthodoxam veritatem ultrò agnoscere, atque ex animo complecti professus es. Proinde non ambigimus, quin, re maturiùs expensâ, intellecturus sis, quòd cum providè Ecclesia Fidelibus interdicat hæreticæ pravitatis Sectatorum consortium, ne contingat piè credentium mentes labefactari eorum alloquio, quorum sermo, ut cancer, serpit, ac humiliter irrepens blandè capit, ac latenter occidit, id multo magis timendum sit, ubi ætas illa, in qua tyrocinium pietatis ineundum est, & addiscenda sunt Christianæ rudimenta militiæ, Desertoribus veræ fidei committatur. Cave itaque, Charissime in Christo Fili Noster, ne in tam præsens, ac manifestum discrimen Filii tui, quem diligis, animam adducas, neve eorum operam adhibeas, quorum studium procul dubio illuc collimabit, ut sui similem efficiant, quem efformandum susceperunt; non enim tam satagent, ut congruis Principi Viro animi, corporisque exercitationibus (quibus artibus edocendis eos forte præfecisti) ejus indolem excolant, quàm ut ipsius ingenium sensim in eos traducant errores, ac tenebras, in quibus iidem miserè cæcutiunt, & à quibus Tu (miserentis Dei ope) feliciter evasisti. Amove itaque statim ab innocentis Filii latere tam exitialem perniciem, suffectisque probatis, Catholicisque Institutoribus, acceptissimum Deo exhibe Sacrificium. Agnosces, ut credimus, ex hoc etiam vigilem esse nostram in Te benevolentiam, ac valde solicitam, ne offendas ad lapidem pedem tuum, idest ne censuram subeas humanam, & quod longè majoris momenti est, ne Omnipotentis, districtique Judicis iram incurras, cum è contra enixè cupiamus tuæ pietatis famam apud homines, tuaque apud Deum promerita in dies cumulari, ut dentur capiti tuo augmenta gratiarum, ipsique Nato tuo per ornamenta virtutum non interitura felicitas comparetur. Et Majestati Tuæ in hunc scopum Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum &c. die 30. Julii 1701. &c.

ARGUMENTUM

Episcopi Cononensis, Vicarii Apostolici Fokiensis, labores in Sinicâ Missione commendat, ac ipsum, ut sua apud Deum merita in suscepto Ministerio in dies magis cumulare satagat, adhortatur.

Venerabili Fratri, Carolo Episcopo Cononensi, Vicario Apostolico Fokiensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ex literis Fraternitatis Tuæ fel. record. Innocentio Duodecimo Prædecessori nostro tertia Februarii anni millesimi sexcentesimi nonagesimi noni ex Focheusu datis, quæ Romam sub finem anni Jubilęi proximè elapsi delatæ fuerunt, ac Nobis redditæ, qui tunc quidem, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, in ejus

locum suffecti fuimus, probè agnovimus singularem, ac profectò justam spem, quam in propensâ ejusdem Antecessoris nostri erga pium Missionum Institutum voluntate constituebas. Quo sanè præclaro exemplo Nobis proposito, ac insuper suscepti Officii Nos impellente debito, non est Tibi ambigendum, quin cumuletur charitas illa, quâ pridem sacrum hujusmodi Ministerium, illosque omnes, qui eidem dant operam, prosequebamur. Summis enim laudibus apud homines, uberi autem apud Deum mercede, dignos semper eos esse duximus, qui zelo Divinæ gloriæ incensi nullum neque laborem, neque periculum reformidant, quo dissitas Gentes in tenebris ambulantes ad lumen Catholicæ veritatis perducant. Paternum itaque in sinum illos ipsos nunc maximè excipimus, quando vigilantiæ nostræ curas omnes impendere debemus non tam in custodiendo, quàm in amplificando Dominico Agro supernâ æterni Patris familias præordinatione Nobis credito. Te autem in primis persuasum esse cupimus de singulari nostrâ erga Te benevolentiâ, quam Tibi zelus, quo flagras, doctrina, quâ præstas, ac demum constans illa voluntas, quâ tamdiù strenuè huic ministerio vacasti, Tibi abundè conciliant. Te itaque, ut in hoc laudabili proposito semper magis apud Deum demereri satagas, hortamur, ita ut ad opimæ istius messis gaudia tuæ perseverantiæ exemplo, tuæ charitatis amplexu, illecti Operarii multi festinent, Tecumque manipulos cum exultatione reportent. Erudiantur tuis monitis, ac tua consuetudine Fideles in unitate spiritus, in vinculo pacis, hanc Sanctam Sedem Filiali observantiâ revereri, ut amplitudinem præmii, quod diligentibus eum servat Dominus, assequantur; dum Nos Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 1. Augusti 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Arturo Episcopo Rosaliensi, Vicario Apostolico Provinciæ Suchuensis.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Inter alia multa miserationis suæ testimonia, quibus Deo Optimo Maximo infirmitatem nostram in ipso Apostolici Muneris exordio solari, ac præsenti ope fulcire placuit, illud non postremo loco recensendum est, quod Nobis de susceptâ omnium Ecclesiarum solicitudine meritò trepidantibus ob oculos quodammodo posuit eorum zelum, qui in amplificando Catholicæ veritatis cultu indesinenti studio laborant. Id sanè contigit, ubi Fraternitatis Tuæ literas ad fel. record. Innocentium Duodecimum Prædecessorem nostrum secundâ Decembris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi octavi ex Nanking datas, ac ipsâ prope evectionis nostræ die Romam delatas perlegimus; ex eis enim non sine singulari animi nostri levamine agnovimus vigere semper magis in Te propositum illud sanè egregium, Nobisque pridem perspectum, quo Te ipsum pio Missionum operi, posthabitis omnibus, quibus Te seculum abundè instruxerat, ornamentis, dicasti, quò fit, ut cogitationes, conatus, opesque tuas in promovendo sacro hujusmodi Instituto alacriter, ac liberaliter impendas. Quâ in re humilitati tuæ obsecundantes parcimus laudibus, quas promereris, imò reti-

ce-

cemus etiam quàm Te dignum Episcopali Gradu ob id potissimùm exhibeas, quod eidem te imparem esse profiteris, sed illud potiùs significandum Tibi esse ducimus Nos scilicet, quantùm cum Domino dabitur, sedulò curaturos esse æmulari propensam erga Missionum opus voluntatem memorati Antecessoris nostri, cui Te plurimùm hoc nomine debere testaris. Vicissim autem à perspectâ tua pietate Nobis pollicemur Te eos omnes, qui tuæ vigilantiæ crediti sunt, monitis, ac exemplo tuo excitaturum esse ad præstandam singularem ubique erga hanc Sanctam Sedem observantiam, tum etiam præsidio tuo adfuturum esse illis omnibus, qui propagandæ Fidei in istis Regionibus dant operam; decet enim, ut pacis vinculo jungantur, qui pari charitatis zelo ad tantum Ministerium impelluntur; ita fiet, ut erudiendi in fide, aut in eâ adhuc proficientes intelligant Ecclesiam Dei in hoc etiam Navis speciem quandam referre, quod omnes, qui in ea continentur, sivè vectores sint, sive vehantur, & cum eo, qui ad clauum vocatus est, illi, qui hinc inde allaborant, nullo voluntatum dissidio in Portum salutis unâ contendant. Benevolentiæ interim nostræ documenta Tibi reddere cupientes, Deum usque propitium votis tuis precamur, & Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Augusti 1701. &c.

ARGUMENTUM

Cum Magnus Dux Etruriæ Sanctitati Suæ gratias egisset, quòd die S. Stephano Papæ & Martyri sacrâ Ecclesiam Nationis Florentinæ visitasset, ac insuper Pontificem rogasset, ut unum ex suis Nepotibus Militiæ S. Stephani adscribi pateretur; & hunc in finem Ipsi prænobilem Crucem misisset, Sua Sanctitas ejusdem Principis officio, postulatis, & muneri benignè respondet.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Con la visita, che facemmo, della Chiesa Nazionale di San'Giovanni de'Fiorentini nel giorno festivo di S. Stefano Papa, e Martire, ci proponemmo bensì di far nota la nostra speciale venerazione verso quel glorioso Santo nostro Predecessore, e insieme di palesare la singolare stima, con cui rimiriamo tanto la Sagra Religione, che milita sotto il dilui Padrocinio, quanto l'A. V., che degnamente n'è Capo; non ci figurammo però mai di doverne esiggere sì copiosa mercede, qual'è quella, che Ella ci fà godere con le affettuose espressioni della sua lettera. Considerandola Noi per tanto, come una nuova autentica non meno di quell'amore, con cui l'A. V. hà sempre riguardato la nostra Persona, che di quella divozione, con cui si è sempre segnalata verso questa Santa Sede, ci studiaremo di corrispondere all'uno, ed all'altra, per quanto ci verrà permesso, in tutte le occasioni, che ne averemo. Quanto poi al cortese invito, che l'A.V. ci fà, di consagrare all'istessa sua Religione uno de nostri Nepoti, è ben nota al Conte Fede Ministro dell'A.V. la brama, che ne tenevamo anco in istato di Cardinale, e il proponimento, che avevamo fatto, di ridurla ad effetto nelle solite forme, subito che fosse finito il Conclave. Siamo tuttavia dell'istesso senti-

timento, ogni volta però, ch'Ella permetta, che ciò segua in modo, che non abbiamo punto à derogare à quella moderazione, che ci siamo proposti di praticare col nostro sangue; e appunto per questa ragione siamo stati lungamente perplessi, se avessimo dovuto accettare la nobilissima Croce, che l'A.V. hà voluto trasmetterci per il medesimo nostro Nipote: tanto più, che il peso, quale sperimentiamo ogni giorno più grave, di quella gran Croce, che la Divina Providenza per suoi impenetrabili giudizii hà voluto addossarci, ci rende pur troppo incapaci di soffrire il peso di qualunque altra Croce. Tuttavia con la considerazione, che all'A.V. potesse riuscir dispiacevole la ripulsa, permetteremo al sudetto nostro Nipote, che possa accettare la medesima Croce, con la condizione però di dover rendersene degno, con abilitarsi à poter prestare un giorno l'attualità de suoi servigii si all'A.V., come alla sua Religione. In tanto protestandole sempre maggiore la nostra riconoscenza per tante finezze di bontà, che con Noi pratica, diamo all'A. V. con tutta la pienezza del nostro affetto l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 16. Augusti 1701. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalem de Lamberg laudat, quòd in Comitiis Statuum Imperii suum Nomen cum Cardinalitiæ Dignitatis Titulo (reclamantibus licet Hæreticis) describi curaverit, eumque, ut ejusdem amplissimæ Dignitatis decora, ac simul Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem tueri constanter pergat, hortatur.

Dilecto Filio Nostro, Joanni Philippo tituli S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbytero Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noster, salutem &c. Dignum planè præstanti tuâ virtute, ac sublimi loco, quem in Sanctâ Dei Ecclesiâ obtines, prudentiæ specimen, Dilecte Fili Noster, exhibuisti solemniter, ac providè cavisti, ne in Comitiis Statuum Imperii, quibus de proximo Ratisbonæ habendis interesse debes, in recensendo tuo Nomine quidquam imminueretur, aut detraheretur de eo Titulo, quo ii omnes, qui æquè ac Tu, amplissimo Apostolico Senatui adscripti sunt, ab antiquissimo tempore decorantur, ut scilicet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales semper, & ubique indigitentur. Non parum præterea tuam in hanc Sanctam Sedem, Nosque ipsos egregiam voluntatem, & singularem observantiam significasti, ubi impendentis quæstionis statu disertè Nobis explicato, quid factu opus sit, ubi eandem controversiam excitari denuo contingat, diligenter à Nobis exquiris. Collaudato itaque in primis zelo tuo, ultrò fatemur Nos pietate prorsus, ac intimo dolore tangi, perpendentes, quòd Acatholici Homines usque adeò allucinentur, ut antiquis etiam, atque usu semper receptis Titulis, atque honoribus fraudare velint amantissimam Matrem, à cujus gremio recessisse eos constat, & Sanctitatis notam ab ipsis nascentis Christianæ Fidei primordiis Romanæ Ecclesiæ attributam eidem denegare contendant. Sanè exorandus est enixis precibus Deus Optimus Maximus, ut eos lumine suæ gratiæ illustret: interim vero Tibi eniten-

tendum eſt, ut quo ipſi pervicaciùs veritati, rationi, atque anteactis exemplis obſiſtunt, eò firmiùs decorem Sponſæ Chriſti Nobiſcum aſſeras, itaut nulli prorſus conditioni, aut temperamento adhæreas, per quod vel minimum ejus honoris intereat. Perſta itaque inconcuſsè in tuo rationabili propoſito, & conſtantiam olim Cardinalis de Thun, vel ob hoc ipſum celebris memoriæ, æmulare, ut nemo non intelligat Te probè memorem eſſe ejus promiſſionis, quâ in ſuſcipiendis tantæ Dignitatis Inſignibus Deo Te obſtrinxiſti: velle Te ſcilicet Sanctæ Romanæ Eccleſiæ augmentum, ac ſtatum nullo non diſpendio uſque ad extremum vitæ ſpiritum firmiter cuſtodire, dum Nos Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum &c. die 3. Septembris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regem Chriſtianiſſimum præcipuis ornat laudibus, quòd, Jacobo II. Magnæ Britanniæ Rege vitâ functo, Principem ejus Filium, ut Paternæ Dignitatis, ac Regni Britannici Hæredem agnoſcere, illique ope, atque authoritate ſuâ adeſſe decreverit; ipſumque Regem in ſuſcepto egregio conſilio vehementer confirmat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Quandò nullum acerbiſſimo dolori, quem Nos ex obitu piiſſimi, & de Catholicâ Religione optimè meriti Jacobi Magnæ Britanniæ Regis meritò cæpimus, obvenire poſſe ſolatium arbitrabamur, paratiſſimum illud Nobis adfuit ex inclyto, & nullis non laudibus efferendo pietatis teſtimonio, quo Majeſtas Tua veterem, atque egregiam ſuam erga ipſum Regem benevolentiam ſupremo tandem, maximoque argumento Eidem decedenti explicavit. Quem enim eximiis quidem animi dotibus, atque virtutibus inſtructum, ſed adverſis rerum caſibus diù jactatum, ac tantùm non obrutum, omnes certè humanę ſortis vices in ſeipſo expertum, inſigni magnanimitate pridem exceperas, ac Regio in ſinu amicè, ac liberaliter foveras; Hunc terrena demum cum cœleſtibus commutantem compotem effeciſti ejus voti, quod unum Genitori optimo, ac de Filii ſui ſpectatę indolis Principis non tam rebus, ac fortunis, quàm Religione, ac pietate jure quidem ſolicito, ſupereſſe poterat, ut ſcilicet intelligeret Te eidem Principi non modò nunquam ope, atque auctoritate tuâ eſſe defuturum, ſed Regios quoque honores, tanquam Paternæ Dignitatis hæredi delaturum, dum tamen Ille Paternæ etiam virtutis exempla, præſertim verò in perpetuo, atque conſtanti Catholicæ Religionis cultu æmularetur. Tanti apud Nos ponderis extitit hoc ſpecimen animi verè Chriſtianiſſimi à Te editum, dum, poſthabitis humanis rationibus aliter fortè ſuadentibus, Te zelum Religionis, nec non Juſtitiæ unicè Tibi eâ in re propoſuiſſe cognovimus, ut licet omnes in præſens cogitationes noſtras ad ſe trahere videatur gravis utique, ſemperque proborum hominum lachrymis deflenda memorati Regis jactura, non minus tamen ad Pontificiam noſtram charitatem pertinere cenſeamus Te ob præclarum, quod ſuſcepiſti, conſilium plurimùm in Domino commendare. Auctorem itaque bonorum omnium effuſis votis precamur, ut Tibi recens hoc in ſuam

Ec-

Ecclesiam promeritum supernorum munerum largitate rependat. Nec verò Te pluribus hortandum esse ducimus, ut novi Regis adolescentiæ, in omnem quidem virtutem propensæ, amantissimi Patris loco esse velis, cum per ea, quæ huc usque ultrò, atque abundè præstitisti, nihil Nobis à Te expetendum, nihil etiam optandum reliqueris. Cùm itaque nedum posteritatis memoriâ, sed æternitatis monumenta digna sint, quæ isthic hac occasione contigerunt, eorum series, quam Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiscopus Athenarum celeriter ad Nos perferri curavit, nunquam profectò excidet à Paterno nostro corde, ex cujus intimo Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 4 Octobris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalem Radzieovski, ut ad Religionis, & publicæ tranquillitatis causam in Regno Poloniæ tuendam strenuè incumbat, & Acatholicorum, præsertim verò Svecorum Regis, insidiis, ac minis fortiter obsistat, enixè hortatur.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli S. Mariæ de Pace, S.R.E. Presbytero Cardinali Radzieouski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Etsi persuasum planè habeamus irritos semper fore eorum conatus, qui spectatam, invictamque animi tui constantiam in his, quæ ad nominis tui famam pertinent, subdolis promissis, aut inani terrore oppugnare ausi fuerint, aut expugnare temerè præsumpserint, quos Tu veros publicæ Regni istius tranquillitatis esse hostes vel ex eo facilè agnosces, quia fidem, quam Deo per verum cultum exhibere negligunt, effusè nimiùm hominibus pollicentur, zelo tamen charitatis, quo flagrare Nos oportet, incensi, ac de Religionis causâ, quæ eâ in re involvitur, soliciti compellimur currentem, ut ajunt, incitare, Teque hortari, non ut prava hujusmodi consilia excludas (id enim Te spontè facturum esse confidimus) sed ut tam nefarios ausus ita compescas, ut exemplo tuo omnes istius Regni Ordines intelligant in solâ animorum concordiâ, ac in mutuo membrorum cum Capite consensu Reipublicæ salutem contineri. Nec ambigimus, quin pro spectatâ tuâ prudentiâ intelligas referri hæc ad ea, quæ audacter nimiùm à Svecorum Rege adversùs Charissimum in Christo Filium Nostrum Augustum Poloniæ Regem ad Te perscripta fuisse dicuntur, quæque à Te fortiter rejecta fuisse non dubitamus. Atque ita planè congruebat tui muneris amplitudini, tuæque fidei inconcusso zelo, præsertim verò ad hoc, ut confunderentur in cogitationibus suis illi, qui parvipendi posse à Polonici Regni Proceribus tum Jus jurandum, tum Regii Nominis Dignitatem, tum etiam Sacrorum Canonum leges severâ anathematum interminatione Fidelibus indictas opinantur. Fusiùs interim sensus nostros, & spem, quam in tuâ virtute constituimus, Tibi nostro nomine explicabit Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Tarentinus Nuncius Apostolicus, dum Nos Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Octobris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regi Poloniæ petita officia pollicetur apud illius Reipublicæ Ordines, & Senatores, ut insidiis eorum, qui Regnum simul, ac Religionem illic convellere nitebantur, fortiter obsistant.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, &c. Quoniam inclyti istius Regni tranquillitas,& Majestatis Tuæ Dignitas Nobis admodum cordi sunt, justis petitionibus tuis annuentes literas singulis Ordinibus, eo,quo par est, zelo refertas quàm primùm dare non omittemus, quibus Ordines ipsos, eorumque Senatores vehementer hortabimur,ut habitâ publicæ felicitatis, & debitę erga Te observantię, ac fidei ratione, perpenso etiam Catholicæ Religionis periculo, vanis, subdolisque pollicitationibus, deterrimisque consiliis, aut potiùs insidiis eorum, qui Regnum simul, ac Religionem isthic evertere, atque convellere nituntur, fortiter obsistant, aurosque prorsus occludant; quamquam ea est per se hujusmodi Causæ justitia, ea etiam strenuæ istius Nationis constantia,& in Deum Optimum Maximum, suosque Reges cultus, ac fides, ut non admodum laborandum Nobis esse credamus, ut antiquis laudibus, & muneri quisque suo hac etiam occasione respondeat, nec interim dimittenda est à Te præcipua spes, quam meritò constituis in eo,qui potens est impiorum hominum conatus dexteræ suæ potentiâ confringere. Hunc Nos effusis precibus exorabimus, ut perpetuò adesse velit piis votis Majestatis Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8.Octobris 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Poloniæ Archiepiscopos, & Episcopos enixè hortatur, ut Svecorum Regis illud Regnum perturbare cupientis machinationibus strenuè obsistant, & Populorum animos ad mutuam inter se concordiam sedulò custodiendam, debitumque Regi Augusto obsequium tuendum excitent.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, salutem &c. Vigilare tunc maximè Eos oportet, quibus custodiendæ Reipublicæ cura demandata est,cum planè constat ipsius hostes nedum excubias agere, sed insidias etiam parare, occultasque dissidiorum faces immittere, per quas in incendium abeat publica tranquillitas. Sanè perspectum esse eximiæ Fraternitatum Vestrarum prudentiæ arbitramur, quàm enixè in hunc scopum Sveco-

rum Regis ſtudia colliment, qui cum Religionis cultu à Vobis diſſideat, & antiquis, recentibuſque odiis contra Vos incitetur, inclyti iſtius Regni felicitatem, veræque in eo pietatis cultum averſatur. Nec ambigendum eſt, quin Ille hoc propoſito Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Auguſti Poloniæ Regis nomen turpiter traducat, ut ſcilicet iſtorum Populorum animi à debito in eum obſequio, & à mutuâ inter ſe concordiâ revocentur. Par eſt itaque, ut Vos muneri, & quidem præclaro, quod tum in Eccleſiâ Dei, tum in iſtâ Reipublicâ geritis, ita reſpondeatis, ut non tam temporalis, quàm ſpiritualis ſui periculi moneantur Fideles, ubi pravis hujuſmodi vocibus aures adhibuerint, ſimulque illi, qui talia auſi ſunt, malo ſuo diſcant non poſſe concuti Thronum, qui veſtra fide, atque integritate fulcitur. Quantùm Nobis de ſpectato zelo veſtro hac etiam occaſione pollіceamur, uberiùs à Venerabili Fratre Franciſco Archiepiſcopo Tarentino percipient Fraternitates Veſtræ, quas Pontificiâ charitate complectimur, eiſdemque Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Octobris 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Ordini Senatorio Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Cùm nihil tam inviſum ſit hoſtibus florentiſſimi iſtius Regni, quàm mutua in eo animorum concordia, & conſtans apud omnes, qui adminiſtrandæ Reipublicæ curam gerunt, tum in Patriam fides, tum in Regium nomen obſequium: hanc ipſam tranquillitatem communi conſenſu partam, malis artibus, occultiſque inſidiis evertere conantur. Hùc tendunt immiſſa identidem diſcordiarum ſemina, per quæ publica profectò ſalus in diſcrimen adduceretur, niſi veri ipſius Reipublicæ amatores tam nefariis auſibus eâ, qua par eſt, prudentiâ, ac probitate, nec non infracto conſilii robore obſiſterent. Quia verò his dotibus Nobilitates Veſtras præſtare novimus, de perpetuâ Regni iſtius felicitate pro Paterna noſtra charitate, de Catholicæ verò Fidei integritate pro noſtri Muneris debito in primis ſoliciti, Vos, quibus utramque cordi eſſe non ambigimus, enixè hortamur, ut fallacibus monitis, quæ ſpecie publicæ veſtræ utilitatis, animo tamen invertendi præſentem iſtarum rerum ſtatum, adimendique debitam Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Auguſto Poloniæ Regi obſervantiam, à Svecorum Rege prodiiſſe, atque iſthuc perlata fuiſſe dicuntur, ita aures perpetuò occludatis, ut vereri Vos omnino Sacrorum Canonum ab hujuſmodi commercio abhorrentium authoritatem oſtendatis, fideique, atque honoris integerrimos eſſe cuſtodes explicetis. Uberiùs mentem eâ in re noſtram Venerabilis Frater Franciſcus Archiepiſcopus Tarentinus Nuncius iſthic noſter exponet Nobilitatibus Veſtris, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Octobris 1701. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Ordini Equestri Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Ubi palàm Catholicæ Fidei, atque Polonæ Reipublicæ hostes ferro, & armis inclyti istius Regni fines adorirentur, minùs fortè timendum Nobis esse intelligeremus, qui plurimùm de bellica strenuæ istius Nationis virtute confidimus. Quia verò occultis insidiis, subdolisque consiliis rem agi in præsens ex iis literis, quas exarare, atque isthuc mittere Svecorum Rex non dubitavit, satis apertè, non sinè magnâ animi nostri molestiâ, percepimus, enixè Vos omnes, quos Religionis, & Patriæ amor incendit, hortamur, ut tales Vos ubique in explicandis animi vestri sententiis novarum rerum Authoribus exhibeatis, quales illi ipsi in acie, & castris Vos sæpè sæpiùs experti sunt, constantes videlicet, ac invictos, vestræque in Deum, in Regem, ac in Rempublicam fidei validissimos assertores; decet enim Vos pro vestrâ pietate memores esse, gravissimas à Sacris Legibus inflictas esse Fidelibus pœnas, qui pravis Catholicæ Fidei hostium consiliis adhærent. Hæc fusiùs Venerabilis Frater Franciscus, Archiepiscopus Tarentinus noster isthic Nuncius exponet Vobis, Dilecti Filii, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Octobris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Agit de institutione Principis Regii Poloniæ Catholicis Præceptoribus committendâ, & Episcopo Jaurinensi illius consanguineo significat Pontificia eâ de re monita à Poloniæ Rege filiali observantiâ fuisse excepta, adeòque sperari posse fore ut debitæ executioni quamprimùm demandentur.

Venerabili Fratri, Christiano Augusto Episcopo Jaurinensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ubi multa, atque præcipua eximii illius zeli, quo pro Catholicâ Religione Fraternitas Tua continenter incenditur, apud Nos non extarent documenta, tuæ tamen charitatis fervorem satis deprehenderemus ex intimâ, qua affectus es, lætitiâ, ubi Tibi innotuit Nos eo, quo par erat, Pontificiæ solicitudinis sensu Charissimum in Christo Filium Nostrum Augustum Poloniæ Regem commonuisse, ne magnum animæ suæ periculum quæreret, quod profectò incurreret, ubi teneram Principis Filii sui ætatem ab hæreticis Præceptoribus institui pateretur. Dum itaque debitis in Domino laudibus pietatem, ac vigilantiam tuam in eumdem pariter scopum collimantem ex animo efferimus, ejus Te Nobiscum gaudii participem esse volumus, quod nuperæ ipsius Regis literæ Nobis attulerunt, dum filiali prorsùs observantiâ se salutaria nostra monita excepisse profitetur, & ademptam jam esse omnem Nobis ulteriùs eâ de re conquerendi causam pluribus testatur. Amore tamen nostro, à quo timor abesse non

po-

potest in his, quæ ad æternam salutem pertinent, Nos impellente, urgere rem eamdem, ubi opus erit, non omittemus; interim verò benevolentiæ erga Te nostræ hoc etiam nomine auctæ perpetuum pignus Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Octobris 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Jacobi II. Magnæ Britanniæ Regis obitum effliктim dolet; virtutes honorificâ laudatione prosequitur; Jacobi III. ejus Nati mærorem opportunis monitis, ac officiis lenire contendit, ipsumque ad paternarum virtutum exempla imitanda, pietatem in primis, atque constantem Orthodoxæ Religionis cultum, impensè adhortatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Jacobo Magnæ Britanniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Si quis magnitudinem doloris, quem Majestas Tua ex obitu piissimi, tuique amantissimi Genitoris Jacobi Magnæ Britanniæ Regis percepit, æquare se posse consideret, is profectò filialem tuam pietatem lædere quodammodò videretur. Nos sanè, etsi primas tuo tantùm amori in hoc mœroris officio, æquitate quâdam, aut charitate potiùs suadente, ultrò deferamus; quantâ tamen animum nostrum tristitiâ tum ingens, tum Orbi universo luctuosa jactura compleverit, vix verbis explicare possumus, sinè lachrymis certè explicare non possumus. Hoc animo affecti in consortium doloris nostri Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales advocavimus, ut Nobiscum, tamquam in communi Ecclesiæ Dei mæstitiæ causâ, versarentur, ac unanimiter condolerent ademptum fuisse hoc acerbissimo casu illustre Christianæ Reipublicæ ornamentum, invictum Catholicæ Religionis Assertorem, fidissimum hujus S. Sedis Cultorem, ac Filium, neque Eos, nisi indictis publicis exequiarum solemniis ad exorandam animæ tanti Regis æternam pacem, dimisimus. Quamquam ex hac ipsâ cogitatione, quæ diutiùs menti nostræ hæserat, subortum est, suggerente misericordiarum Patre, aptissimum leniendo mœrori nostro, tuoque non levi ex parte abstergendo argumentum; adfuit enim Nobis illa ex divinis oraculis, atque promissionibus ducta consolatio, quâ certò confidimus Mundi hujus tribulationes, atque ærumnas Fidelibus probationem, atque salutem operari, atque per hoc intelleximus non esse, cur inclytum illum Regem fuisse Nobis morte præreptum conquereremur, cum profectò pium esset sperare Eum, qui tam arduas, tam graves, tamque diuturnas calamitates fortiter, & ineluctabili animi constantiâ, & Religione pertulerat, per inexhausta Illius merita, cujus in morte mors nostra absorpta est, ad longè feliciorem, beatioremque vitam convolasse. Te itaque, Charissime Fili Noster, impensè hortamur, ut eâdem spe fretus, sensus, affectusque tuos à terrenis perturbationibus avocatos inscrutabili Dei Opt. Max. judicio, rectèque in eo rationi subjicias, nihilque tam Tibi de illustri tanti Genitoris memoriâ retinendum esse putes, quàm exempla virtutum, atque in primis singula-

ris in Deum pietatis, perpetuique cultus erga Catholicam veritatem, cui Ille animo, vel inter summa pericula infracto, tantoque meritorum suorum compendio firmissimè semper adhæsit. Hoc Nos de te profectò sperare jubet eximia Indoles tua, de quâ Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiscopus Athenarum Nuncius isthic noster luculenta testimonia non semel ad Nos detulit; idipsum etiam uberiùs Nobis pollicemur ex piâ, ac sedulâ opera, quam in Te instituendo impendere pergit Charissima in Christo Filia Nostra Maria Magnæ Britanniæ Regina, nec non ex egregiâ in Te voluntate, atque benevolentiâ Charissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, qui gloriæ Sibi meritò ducet Tibi, quem adeò ornavit, dignis etiam magnitudine animi sui consiliis indesinenter adesse. Nos interim à totius consolationis fonte veram, solidamque felicitatem precamur Majestati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Octobris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Armenorum, aliorumque Orientalium Catholicorum, qui in Turcicâ ditione sævum in modum à Turcis vexabantur, causam, & patrocinium Regi Christianissimo summoperè commendat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Pontificiæ charitatis officia, quæ pro Catholicis Orientalibus, præsertim verò Armenis, in diversis Turcicæ Ditionis Partibus commorantibus, usurpare cogimur in præsens, versari sanè deberent potiùs in commendanda insigni animi tui pietate ob præclaram operam, quæ ab Oratore tuo, qui in Civitate Constantinopolis residet, tamquam mentis tuæ probè conscio, eorumdem favore continenter impenditur, quàm in excitandâ authoritate tua satis, ut constat, per se vigili ad præstandam ipsis Catholicis opem in gravissimis calamitatibus, quas à Christiani nominis hostibus perferunt; nihilominus cum illic ferveat semper magis in dies diræ persecutionis æstus, opportunum esse ducimus stimulos currenti addere, & à Te etiam, atque etiam expetere, ut eam causam religione, ac magnitudine mentis tuæ planè dignam, ita tuendam suscipias, ut efferati Persecutores rabiem, & odia, quibus tot innocentes insectantur, aliquando compescere discant, & sanè injurium est iis omnibus, qui Christiano Nomine censentur, nedum Tibi, qui gloriæ Tibi ducis hoc titulo præ cæteris insigniri, quod impii homines Mahumetanâ tantùm superstitione imbuti, in controversiis, quæ circa rectam Fidei regulam à quibusdam Hæreticis ibi pariter existentibus excitatæ fuerunt, ita statuendi sibi vindicent authoritatem, ut præsumant veritatem errori supponere, quin etiam Catholicos ad amplexandas pravas Hæreticorum opiniones, dudum ab Ecclesia Dei rejectas, & anathemate perstrictas, adigere conentur; id quod illi, qui præcipuæ inter ipsos Turcas potentiæ, atque authoritatis sunt, vi adhibitâ, inflictisque gravissimis pœnis urgent prorsus iniquè; nam non possumus absque

inti-

intimâ molestiâ, summoque dolore cogitare, quòd Venerabilis Frater Patriarcha Armenus Constantinopoli fœdissimæ Triremium servituti fuerit ab ipsis ob id solùm addictus, quòd improbæ eorum voluntati constanter obstiterit, & quod eadem de causâ Venerabilis item Frater Patriarcha Syrianorum, cujus mitem, & de more gentis syncerum animum, singulari etiam pietate excultum, Nos ipsi non ita pridem, cum is Romæ esset, agnovimus, post carceris ærumnas turpiter ab eis nuper vapulaverit, ut cætera, quæ hac occasione acta sunt, & quæ Te fortè non latent, prætereamus. Satage itaque pro spectatâ virtute tuâ, Rex inclyte, aliquod afflictis illis rebus afferre remedium, nulli parce officiorum generi, ita ut nequissimi homines intelligant hæc ab ipsis, illæsa Dignitate tuâ, patrari non posse. Uberiùs sensus nostros Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiscopus Episcopus Imolensis explicabit Majestati Tuæ, cui benevolentiæ nostræ pignus, & in multæ felicitatis auspicium, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Novembris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Regi Christianissimo significat ad avertenda mala Christianis Provinciis, Italiæ præsertim, ex bello inter Catholicos Principes excitato impendentia, Nuncios extraordinarios, pro Pastoralis Officii debito, ad eosdem Principes mittere decrevisse, qui pacis negotium apud Ipsos strenuè urgeant: ejusmodi verò apud Majestatem Suam munus demandasse Archiepiscopo Avenionensi, quem tantæ rei parem, ipsique Regi gratum fore confidit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Quæ primùm Paterno animo nostro insederunt curæ, ubi Pontificiæ Dignitatis onus, Deo jubente, suscepimus, ne scilicet discordiarum semina, quæ inter Christianos Principes suboriri videbantur, in bellum erumperent, eæ graviores in dies effectæ sunt, ex quo bellicos apparatus adornari, mox exterorum militum impressiones in Italiam fieri, ac demum apertè prælia geri, & nonnisi magnâ Populorum calamitate omnia perturbari conspeximus, & nostris quidem officiis, ac precibus, dissidentes animos vel tunc conciliare sategimus; sed cum nihil usquemodò profecisse, Deo, ut arbitramur, de peccatis nostris, pœnas sumente, videamus, Extraordinarios nostros, & S. Sedis Apostolicæ Nuncios ad eosdem Supremos Principes, ut Pacis negotium nostro nomine urgeant, statumque attritæ tot armorum incursu Italiæ, gravissimaque mala, nec non scandala, quæ pertulerunt, & perferunt innocentes Populi, explicent, mittere decrevimus. Obeundi itaque apud Majestatem Tuam hujus muneris provinciam Venerabili Fratri Laurentio Archiepiscopo Avenionensi, Prælato nostro Domestico, & Assistenti demandavimus, quem profectò tum ob Generis claritatem, tum ob singularem virtutem, & in gerendis rebus dexteritatem, Tibi gratum fore confidimus, atque ab egregia tua in Nos voluntate, & Filiali in hanc S. Sedem observantia Nobis pollicemur,

quod

quod Tu animum ad eâ consiliâ convertes, quæ exoptatam votis omnibus, & Reipublicæ Christianæ adeò necessariam tranquillitatem eidem parare possint; dum Nos Majestati Tuæ, quam eximiâ benevolentiâ prosequimur, & bonis omnibus cumulatam esse cupimus, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Novembris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Imperatorem Leopoldum ad amplectenda pacis consilia denuò flectere nititur, Eique hunc ipsum in scopum Nuncios Extraordinarios ad Christianos Principes allegare decrevisse, & ad id munus apud Majestatem Suam Archiepiscopum Thebarum, Ordinarium ad Tractum Rheni Nuncium, delegisse significat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemię Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Multiplices, gravissimasque calamitates impendere Christianæ Reipublicæ vel tunc agnovimus, cum ad Ecclesiæ regimen, Deo Authore, vocati sumus, atque ortum ex nostræ infirmitatis conscientiâ intimi cordis gemitum hæc ipsa ratio Nobis sæpiùs ingeminabat; quia verò publicæ causæ magis profutura esse Pontificiæ charitatis officia, quàm testimonia doloris nostri, arbitrati sumus, memores illius Nos vices gerere in terris, qui nascens pacem hominibus bonæ voluntatis nunciari voluit, & in Cœlos conscensurus pacem iisdem suis reliquit Discipulis, Muneris nostri esse duximus Majestatem Tuam, cæterosque Christianos Principes diligentissimè hortari, ut preces, & Paterna nostra consilia susciperent, & enascentes inter ipsos discordias, tamquam gratissimum Deo Sacrificium oblaturi, componerent. Verùm spem nostram subinde imminui, imò immensùm curas nostras augeri persensimus, ubi audivimus conclamari undique ad arma, ac ingenti Armatorum numero Italiam non tam repleri, quàm obrui, nec non effundi ubique Christianum sanguinem, maximasque innocentibus Populis ærumnas, ut est bellorum conditio, parari. His itaque clamoribus incitati, ne inter præsentium malorum sensum, & metum futurorum, deesse Pastorali Officio videremur, per Extraordinarios nostros, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncios accuratiùs, ac propiùs cordis Nostri sensus eisdem Supremis Christiani Orbis Principibus explicare decrevimus. Ad obeundam itaque hanc provinciam apud Majestatem Tuam delegimus Venerabilem Fratrem Horatium Philippum Archiepiscopum Thebarum, Prælatum Nostrum Domesticum, & Assistentem, Generis prærogativis apprimè instructum, & virtutibus eximiis, singulari præsertim in gerendis rebus integritate, ac dexteritate præditum, qui Ordinarii ad Tractum Rheni Nuncii nostri munere præclarè in præsens fungitur: planè confisi, quod ob easdem dotes, præsertim verò intuitu nostro, Tibi usquequaque gratus, atque acceptus futurus sit. Superest interim, ut ad rem perficiendam, quæ unicè Nobis cordi est, & ad communem salutem adeò pertinet, ingenitam pietatem adhibeas, laudemque Tibi egregiis rebus gestis usque modò partam eâ oc-

ca-

casione cumules, ut Te publicæ felicitatis Authorem nemo non agnoscat, & Majestati Tuæ à Deo Optimo Maximo uberem bonorum copiam precamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701 &c.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimo in Christo Filio Nostro, Josepho Hungariæ Regi Illustri, in Romanorum Regem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Avita Austriacæ Domus pietas, quæ animum Majestatis Tuæ cæteris consociata virtutibus exornat, facilem Te, ut confidimus & filiali observantiâ propensum reddet ad excipiendas libenter Paternas nostras voces, atque eas inprimis, quæ pertinent ad Christianæ Reipublicæ salutem, atque felicitatem. Nec ambigimus quin pari in Nos studio, ac voluntate probè intellecturus sis non posse Pontificiam nostram charitatem conquiescere, nisi ea belli incendia, per quæ universa penè abit in flammas Europa, potissimùm autem infelix absumitur Italia (non sine magno Divini Cultus, & Catholicæ Religionis detrimento) prorsus extinguantur. Pontificiam sanè solicitudinem nostram continenter versari in eo desiderio, ut aliqua tandem via conciliandæ inter Christianos Principes concordiæ ineatur, vel tunc explicavimus, cum periclitanti Paci omni studio, officiis, ac precibus ab ipso Pontificatus exordio occurrere non prætermisimus. Nunc verò, Charissime Fili Noster, gravissimis Populorum ærumnis, assiduisque clamoribus magis, ac magis in dies incitati expedire duximus ad Majestatem Cæsaream incliti Genitoris tui, atque ad alios Principes mittere Extraordinarios nostros, & hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncios, qui diligentissimè nostro nomine tanti momenti, ac tantæ profectò utilitatis negotium promoveant. Delegimus itaque ad obeundum hoc munus apud præfatam Cæsaream Majestatem Venerabilem Fratrem Horatium Philippum Archiepiscopum Thebarum, Prælatum Nostrum Domesticum, & Pontificii Solii assistentem, quem cum generis, & virtutum prærogativæ summoperè exornent, ipsa etiam, quam accuratè gerit in præsens, Ordinarii nostri ad Tractum Rheni provincia Nobis præcipuè commendat. Superest itaque, ut Te Religionis, ac æquitatis cultorem egregium, qualem Te esse novimus, exhibeas, & occasione comparandæ nomini tuo perpetuæ laudis utaris, nostra soleris vota, Deumque usque magis propitium Tibi efficere cures, ea promovendo consilia, quæ in Pacem tendant. Quod Te facturum esse spectatæ tuæ virtutis opinione ducti Nobis pollicemur, & Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Novembris 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Nuncium Extraordinarium ad Regem Catholicum Philippum V. allegat Antonium Felicem Zondodarium, Utriusque Signaturæ Referendarium, ut exoptatæ inter Christianos Principes pacificationis negotium apud Majestatem Suam agat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitas, quæ primum Paternæ noſtræ charitatis votum fuit, ubi Apoſtolicum munus, Deo humiliter obſequentes, ſuſcepimus, tandiù cogitationes noſtras exercebit, quamdiù in expectatione tantæ, & tam expetitæ felicitatis verſabimur. Quemadmodum verò, ab ipſo ineuntis noſtri Pontificatus limine, imminentis inter Chriſtianos Principes belli perniciem officiis, atque hortationibus noſtris amoliri curavimus: ita nunc, quando protrahi adhuc ſpem tanti boni conſpicimus, imò, non ſinè ingenti animi noſtri mœrore, aſſiduas attritæ bello Italiæ voces, atque clamores auribus noſtris percipimus, deferri ad eoſdem Principes petitiones noſtras, & amantiſſimi cordis ſenſus volvimus, delectis in hunc ſcopum Extraordinariis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, qui ad hujuſmodi negotium ſedulò promovendum incumbant. Et quia pignus quoddam cæleſtis miſerationis oſtendi Nobis arbitramur in propensâ in omnem virtutem, atque publicam ſalutem Majeſtatis Tuæ Indole, Dilectum Filium Magiſtrum Antonium Felicem Zondodarium in utrâque Signaturâ noſtrâ Referendarium ad Te mittere decrevimus, ut apud Te ineat conſilia, quibus concordia parari, &, Deo dante, perfici tandem poſſit. Neque enim aliter fas eſt augurari de conſtanti in Rempublicam ipſam voluntate, quam geris, neque de egregiâ mente tuâ, quam ſanè propenſam in eumdem Præſulem ob ſpectatas animi dotes, & Generis claritatem, potiſſimum verò ob demandatum ei à Nobis munus, fore confidimus. Nos interim à Deo enixis precibus expetemus, ut præclaro hoc reſtitutæ publicæ quietis monumento Regni tui exordia, quæ vel ob hoc poſteritati memoranda fiant, inſignire velit, cujus rei auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 27. Novembris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Consilium, quod inierat, allegandi Nuncios Extraordinarios ad Imperatorem, & alios duos Reges, ut pacem inter eos conciliare satagerent, Regi Poloniæ significat, ejusque eumdem in scopum studia, ac officia exposcit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ. Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Quo studio Christiani Orbis tranquillitatem in summum discrimen adductam vel ab ipso ineuntis Nostri Pontificatus limine custodire, atque fluctuantem constabilire Paterna nostra charitas curaverit, non est cur explicemus Majestati Tuæ, cujus valida apud dissidentes Principes officia, opemque in tantâ temporum perturbatione literis nostris dudum exquirere non prætermisimus. Verùm res profectò aliter, quàm optabamus, occultis Dei res humanas moderantis consiliis, evenit, nam ingentes non ita multò post conscribi exercitus, atque in Italiam immitti intimo animi nostri dolore conspeximus. Quę verò fervente bello in hisce partibus contigerint, nimiùm fortasse omnibus innotuere; illud sanè satis ubique exploratum esse non potest, quàm ingentes ærumnas absque ullo sacrarum, & prophanarum rerum discrimine, infelices hujus Provinciæ Populi tantum Armatorum numerum excipere coacti pertulerint. Nos sanè, qui propiùs eorum clamores audivimus, & damna, atque exitia oculis penè nostris spectavimus, eâdem usque magis charitate æstuantes convertere ad nova, & validiora officia animum nostrum decrevimus, & enixiùs ab ipsis Supremis Principibus expetere, ut suis tandem dissidiis, & tot innocentium calamitatibus finem velint imponere. Extraordinarios itaque nostros, & hujus Apostolicæ Sedis Nuncios, Præsules claritate generis, præstantiâ morum, integritate præsertim, & præcipuâ in gerendis rebus dexteritate præditos delegimus, qui nostro nomine Reges eodem bello implicitos adire debeant, & communicatis consiliis arduum sanè, sed maximè salutare pacis negotium, Deo opem ferente, perficere contendant. Quod Tibi significandum esse duximus, ut pro egregiâ Regii animi Tui pietate, atque prudentiâ, & propensâ in publicæ salutis bonum voluntate solicitudini nostræ Tua studia ita conjungas, ut nihil communi voto, atque consilio omittatur, quo Pax Christianæ Reipublicæ demum comparetur. Fusiùs sensus nostros Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Tarentinus explicabit Majestati Tuæ, cui uberem bonorum copiam à Deo Optimo Maximo precamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 26. Novembris 1701. &c.

Regi Portugalliæ eodem exemplo sub die 27. ejusdem mensis.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Jacobo Magnæ Britanniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ut ſemper magis innoteſcat Majeſtati Tuæ benevolentia illa, qua planè intima Te eximiis animi dotibus ornatum complectimur, latere Te minimè volumus conſilium à Nobis ſuſceptum allegandi Extraordinarios noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios ad eos Chriſtianæ Reipublicæ Principes, qui præcipuas in hoc bello eidem Reipublicæ planè exitiali partes agunt, ut ad Eos invicem conciliandos noſtro nomine diligenter incumbant. Etſi quidem in expetendâ publica Pace omnium penè Populorum vota nunc temporis verſentur, eam tamen, tamquam unicum, ac præſens graviſſimis ſuis rebus remedium, afflictę res Italiæ impenſiùs expoſcunt. Nos verò, præter Paternæ charitatis officia, quæ communi omnium ſaluti, atque incolumitati debemus, propiùs Catholicæ Religionis commoda Nobis proponimus, & cum uberrimos à Principum concordia fructus, Tibique etiam, qui cum eadem Religione conjunctiſſimus es, proficuos polliceamur, nihil umquam profectò omittemus, quod ad comparandum hoc bonum pertineat. Hinc percipies, pertinere omninò ad pietatem tuam Pontificiæ ſolicitudinis noſtræ deſideria tuis apud Deum precibus provehere; dum viciſſim Tibi polliceri potes in iis cogitationibus, quas publicæ cauſæ impendimus, tuæ etiam felicitatis vota contineri, & Majeſtati tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ ſextâ Novembris 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Quantùm Chriſtianæ Reipublicæ interſit, ut Pax inter Supremos Europæ Reges, ac Principes, quæ non ita pridem armorum tractatione, & acerrimo bello everſa eſt, Orbi tandem univerſo, potiſſimùm verò afflictis Italiæ Populis reddatur, non eſt cur ſpectatę Nobilitatum Veſtrarum prudentiæ explicemus. Nos equidem, ubi primùm ad Eccleſię regimen animum, infirmitatis noſtræ conſcientiæ, & impendentium malorum meditatione anxium, appulimus, Paternas voces ad eoſdem Chriſtianos Principes in arma jam proruentes convertimus, Eoſque ab ejuſmodi conſiliis avocare curavimus, Pontificiâ charitate Nos incendente, ac excitantibus officiis veſtris à Dilecto Filio Equite Nicolao Erizzo Oratore apud Nos veſtro prorſus, ac de more diſertè explicatis. Verùm cum noſtras curas in idipſum hactenus impenſas nihil adhuc profeciſſe noſcamus, quinimò armorum ſtrepitus quotidiè creſcentes auribus penè noſtris audiamus,

mus, ac ſcandala ſemper magis in maximum Catholicæ Religionis detrimentum invaleſcere conſpiciamus: ne deeſſe publicæ cauſæ videamur, quam tueri uſque ad extremum vitæ ſpiritum, quantùm Nobis deſuper dabitur, profectò cupimus, mittere decrevimus noſtros, & huius Sanctę Sedis Extraordinarios Nuncios ad Chariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Leopoldum in Romanorum Imperatorem Electum, alioſque duos Reges, ut publicæ tranquillitatis negotium noſtro nomine, omnique ſtudio promoveant; ad quod munus obeundum Præſules genere præclaros, & ſingulari in gerendis negotiis dexteritate, multiſque virtutibus præditos delegimus. Quod dum Vobis pro ſummâ noſtrâ in Vos benevolentiâ, ac inſpectis rationibus veſtris, quæ in hujuſmodi re urgentiſſimæ profectò ſunt, ac demum pro eâ ſpe, quam meritò conſtituimus in graviſſimi iſtius Senatus authoritate, ſignificamus, enixè à Vobis petimus, ut ſolicitudinem noſtram validis per veſtros ad eaſdem Imperatoris, Regumque Majeſtates Oratores officiis omni animi veſtri contentione juvetis, prout fuſiùs à Venerabili Fratre Auguſtino Archiepiſcopo Amaſię Nuncio iſthic noſtro percipient Nobilitates Veſtræ, quibus diuturnam felicitatem a Deo precamur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur: Datum &c. die 26. Novembris 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Gubernatoribus Reipublicæ Genuenſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Flagravit deſiderio publicæ Pacis cor noſtrum ab eo uſque die, quo Pontificium Solium trepidantes equidem, ſed Deo obſequentes, conſcendimus, & tunc quidem ad eam continendam, quam fluctuare in Chriſtianorum Principum animis ſatis conſtabat, Paternis noſtris officiis ſumus eos magnoperè hortati, ut impendentium diſſidiorum cauſas communis ſalutis, atque tranquillitatis ſtudiis poſthaberent, eaſque amicè componerent. Metuebamus enim ea, quæ non multò poſt (facientibus Chriſtiani Populi peccatis) evenerunt, ne ſcilicet exitiale bellum in mutuam ipſorum Principum perniciem incenderetur, quod bellum aliquando illos etiam, qui earum rationum aut inſcii, aut innoxii ſunt, abſumeret. Nunc autem, cum undique afflictæ Italiæ calamitates ad Nos continenter perlatæ Paterna noſtra viſcera diſcrucient, ad Pontificiam vigilantiam pertinere duximus deligere Extraordinarios noſtros, & S. Sedis Apoſtolicæ Nuncios, qui hoc ipſum Pacis negocium apud Chariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Leopoldum in Romanorum Imperatorem electum, alioſque duos Reges noſtro nomine promoveant. Quod munus eximiis pietate, & integritate, nec non præclaris genere Præſulibus demandavimus; Id quod Nobilitatibus Veſtris hoc præſertim intuitu ſignificamus, ut ſolicitudini noſtræ ſtudia veſtra, & ubi in rem erit, conſilia, quæ ad pacem conciliandam tendant, jungatis: Quod Vos pro ſpectatâ veſtrâ pietate ſedulò facturos eſſe confidimus, & Nobilitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Contineri in Christianorum Regum, ac Principum concordiâ publicam salutem, & non levi ex parte Catholicæ Religionis Dignitatem, atque integritatem, cum omnes æqui rerum æstimatores intelligant, tum in primis perspectum esse Nobilitati tuæ ob singularem, quâ ubique commendatur, prudentiam planè censemus; imò non ambigimus, quin pro ingenitâ etiam pietate tuâ vehementer cupias, sisque omninò paratus omnem operam, laborem, diligentiamque impendere, ut discordiæ, quæ in eorumdem Principum animis fervent, acriterque per bella exercentur, aliquandò componantur; cum præsertim id expetant non tam rationes tuæ, quàm afflictæ undique res Italiæ, & gemitus Populorum, qui fortunarum suarum jacturas, & illatas sibi per exterorum Militum moras, & incursus gravissimas ærumnas conqueruntur. Nos autem, quibus Pontificii muneris debitum, & Paterni nominis ratio, præter ceteras causas, hæc ipsa mala continenter ob oculos ponunt, publicam Pacem nullo non dispendio comparare peroptantes, ex quo irrita cecidisse vidimus officia, precesque, quas ineunte Pontificatu nostro ad singulos ipsorum dissidentium Principum direximus, urgere enixiùs rem ipsam decrevimus per Extraordinarios nostros, & Apostolicæ Sedis Nuncios, quos propediem ablegaturi sumus ad Charissimos in Christo Filios Nostros Leopoldum in Romanorum Imperatorem electum, aliosque duos Reges, cui muneri obeundo Præsules virtutibus, ac genere præstantes, & singulari in gerendis rebus prudentiâ instructos deputavimus, ut in hoc arduum per se quidem, sed prorsùs salutare publicæ Pacis negocium totis viribus incumbant. Æquum autem esse duximus id Tibi significare, tum ut solicitudini nostræ studia tua, ubi in rem fore cognoveris, adjungas, tum ut hoc benevolentiæ nostræ testimonium exstet apud Nobilitatem Tuam, cui felicitatem, atque incolumitatem à Deo precamur, & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Victorio Amedeo Duci Sabaudiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Nulla profectò est tam ingens cura, aut tam anxia solicitudo, quæ, ubi de communi Christiani Populi salute agitur, Pontificiæ charitati, & Paterno nostro amori non congruat. Perspectum est Nobilitati Tuæ Nos, vel ab ipso ineunte nostri Pontificatus limine, nullis defuisse officiis, ut à consiliis evertendæ publicæ Pacis dissidentes inter se Christianorum Regum, ac Principum animos revo-

ca-

caremus. Verùm occulto, atque inscrutabili Dei judicio factum est, ut bellum, quod avertere nostris precibus vehementer optabamus, tam citò, tamque acriter incenderetur, ut eodem propè tempore, quo impendentium malorum timore detinebamur, eisdem corripi contigerit. Repletâ undequaque ingenti exterorum Militum numero Italia suas statim calamitates inspexit, ac ingemuit. Nos ipsi innocentium Populorum clamores excepimus, quibus dum paternè condolebamus, effusiùs Divini cultus detrimenta, & Catholicæ Religionis discrimina, illatasque sacris rebus injurias lachrymis nostris prosequi coacti sumus. Quæ omnia Nobiscum reputantes, muneris nostri esse duximus vehementiùs precibus nostris contendere, ut dissidentes tandem animi componantur. Hoc itaque proposito Præsules claritate generis, ac literarum scientiâ præstantes, singulari autem in rebus gerendis prudentiâ instructos ad obeundum apud præfatos Reges Extraordinarii nostri, & Sanctæ Sedis Nuncii munus deputavimus. De eximiâ interim tuâ virtute, ac egregiâ voluntate plurimùm confisi id Tibi explicamus, non tam ut hoc benevolentiæ nostræ documento plurimi Te à Nobis fieri testemur; quàm ut opem, auctoritatemque tuam, quemadmodum Te enixè hortamur, in præclarum opus conciliandæ publicæ tranquillitatis Nobiscum intendas; & Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

Electoribus Bavarico, & Palatino eodem exemplo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ Electo Coloniensi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Fluctuare in Christianorum Principum animis consilia Pacis vel tunc sanè agnovimus, cum jussi sumus ad Petri Navis clauum considere, & jactante Nos pariter interiùs infirmitatis nostræ conscientiâ, non priùs Ministerio manum admovimus, quàm visi simus modicæ fidei ab Eo, qui imperat mari, & ventis, redargui. Et prima quidem obsequentis nostræ voluntatis testimonia in studio conciliandæ publicæ Pacis explicavimus; enixis enim officiis eosdem Principes cohortati sumus, ut dissidiorum suorum causas saluti, atque felicitati Christianæ Reipublicæ postponerent, & acceptissimum Deo Sacrificium in retinenda mutuâ animorum concordiâ exhiberent. Verùm nihil votis, & precibus nostris profecisse non ita post intelleximus, cum hinc inde exterorum Militum, invicemque concurrentium ingens planè numerus Italiæ fines ingressus est: mox autem seriò bellum agi non modica Christiani sanguinis effusio patefecit. Propiùs itaque audire, ac penè coacti sumus oculis nostris ea mala inspicere, quæ metuebamus, & non sine gemitu cordis nostri percepimus, quot innocentibus Populis ærumnas, quænam, & quàm gravia Divino cultui, ac Catholicæ Religioni detrimenta, sacrisque locis, ac rebus, aut etiam Personis injurias bellum intulerit. Eximius Nobilitatis Tuæ zelus, & spectata prudentia facilè agnoscet, quantùm indè Paterna nostra charitas doloris contraxerit, quo

sa-

ſanè Nos excitante decrevimus Extraordinarios noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios ad ipſas diſſidentium Regum Majeſtates mittere, delegimuſque ad hoc munus Præſules probitate, ac virtute, tum etiam eximiâ in gerendis rebus dexteritate inſtructos, qui hoc unum graviſsimum ſanè Pacis negocium noſtro nomine diligenter promoveant. Cum verò decora tua, necnon ſingularis pietas, & Dignitas, quâ præfulges, magnam Tibi merito concilient auctoritatem, cupimus, ut eam in hoc bonum opem conferas, quæ aliquando ſolicitudinem, quam planè intimam ex hoc rerum ſtatu gerimus, levare poſſit; Quod profectò ſummoperè Nobis gratum accidet à Nobilitate Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

Electoribus Moguntino, & Trevirenſi eodem exemplo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Raynaldo Eſtenſi Duci Mutinæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Luctuoſum Paternæ noſtræ charitati ſpectaculum ſunt profectò calamitates, quibus ob exterorum Militum incurſum, & acerrimam belli adminiſtrationem miſera undequaque divexatur Italia; Urgentibus enim vi, & armis jura ſua Chriſtianis Principibus, jacturas, & damna ſua ingemiſcunt innocentes Populi, quorum clamores diù, noctuque ad aures noſtras pertingere, ſeu potiùs ad cor uſque noſtrum pervadere ſentimus. Et quoniam nihil uſque modò profeciſſe conſpicimus officia noſtra, quæ ab ipſo ineuntis Pontificatus noſtri limine ad Chriſtianæ Reipublicæ Reges direximus, ut impendentis belli perniciem amoliremur, ea iterare validiùs decrevimus. Præſules itaque genere, ac virtutibus præſtantes ad obeundum Extraordinarii noſtri, & S.Sedis Nuncii munus apud eorumdem Regum Majeſtates delegimus, qui Pacis, atque adeò publicæ ſalutis negotium noſtro nomine, omnique ſtudio promovere ſatagant. Perſpectum id eſſe volumus Nobilitati Tuæ, ut congruâ muneri noſtri ſolicitudine communis boni curam Nos gerere intelligas, tum etiam ut ſtudia in eumdem ſcopum tua, ubi ſuppetet occaſio, convertas, ac demùm ut Tibi magis, magiſque innoteſcat, quanti faciamus Nobilitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

Ducibus Parmæ, & Mantuæ eodem exemplo.

De hoc argumento plura alia conſcripta fuere conſimilia Brevia aliis Principibus Catholicis, quæ brevitatis gratia prætermittuntur.

AR-

ARGUMENTUM

Imperatoris opem, ac patrocinium implorat Catholicis Orientalibus, Armenæ potissimùm Nationis, qui à Turcis Administris Constantinopoli, & alibi dirè, ac multifariam vexabantur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Non ambigimus, quin intimâ animi sui molestiâ Majestas Tua pro eâ, quâ præstat, pietate perceperit à Venerabili Fratre Joanne Antonio Archiepiscopo, Episcopo Ariminensi, Nuncio isthic nostro quanta, & quàm gravia mala perferant in præsens Catholici Orientales, Armenæ potissimùm Nationis, qui diversas Turcicæ ditionis partes, præsertim verò Constantinopolim, incolunt; Quia verò sævit in dies hostium Fidei Christianæ in ejusdem Professores ira, atque odium, Paternæ nostræ charitatis officia ad Te, quod unum, præter exoratam Dei opem, superest remedium, dirigimus, ut Tu advocatâ in consilium eximiâ mentis tuæ prudentiâ, ac Religione, Nobiscum diligenter incumbas ad ferendum aliquod afflictis præfatorum Catholicorum rebus præsidium. Etsi enim Gens efferata Turcarum infensum semper animum gesserit contra universos Christianæ Fidei Cultores, nunc tamen eò sævius adversus justos insurgit, quò apertiùs explicat malle se iniquis hæreticorum ibi pariter commorantium partibus adhærere, quàm ullo modo Catholicis adesse. Imò nonnulli præcipuæ apud ipsos Turcas potentiæ homines usque adeò furunt, ut præfatos Orientales Catholicos ad amplexandas pravas opiniones ab hac S. Sede Apostolicâ, & à Sacris Oecumenicis Conciliis dudum damnatas compellere conentur, perinde ac si ab illis, qui nihil, præter Pseudoprophetæ sui superstitionem norunt, & cæci sunt, fiuntque cæcorum Duces, Evangelicæ Doctrinæ lumen expetere debeant Fideles. Quod deterrimum, ac propè inauditum tyrannidis genus eâ etiam impietate cumulant, quòd fœdissimas pœnas gravissimis Viris debitâ constantiâ obsistentibus injungunt: nam, ut cetera prætereamus, Venerabiles Fratres Patriarcham Armenum Constantinopoli (quod pudet planè referre) ad Triremes damnare non dubitarunt, & Patriarcham Syrianorum Sedi suæ nuper, expetentibus Christianis Principibus, tuique ipsius nominis interveniente auctoritate, ab ipsis restitutum carceribus mancipare, durisque verberibus supponere ausi sunt. Ex quibus sanè patet, quænam fides subdolis eorum pollicitationibus, quas ad obtinendas inducias prætexuerunt, sit adhibenda, quando temerè, & palàm infringunt pacta, quæ rata habuerunt, inter quæ illud maximè, quòd integra forent in posterum pristina Catholicis privilegia, & quòd nullum eis deinde inferretur impedimentum in libero Religionis exercitio. Te itaque, Charissime Fili Noster, sedulò hortamur, ut ausus tam nefarios compescere satagas, nihilque omittere velis, quod ad reddendam tranquillitatem innocentibus in tribulatione positis, & pro Religione laborantibus pertineat; quod uberiùs idem Ve-

nerabilis Frater Jo. Antonius nostro nomine expetet à Majestate Tua, cui diuturnam felicitatem à Deo Opt. Max. precamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Ab egregiâ in Nos Majestatis Tuæ voluntate, & ab eximiâ ejusdem pietate levamen aliquod exquirimus mœrori, quo Nos planè intimè afficiunt graves ærumnæ, quæ Catholicis Orientalibus, præsertim verò Armenis, in Turcico Imperio commorantibus à Christiani nominis hostibus inferuntur; nam illi, qui inter ipsos Turcas potentiâ præstant, ita veteratoribus quibusdam hæreticâ labe infectis authoritate suâ favent, ut Catholicos ad amplectendas pravas eorum opiniones ab Ecclesiâ dudum damnatas compellere efferatâ prorsus barbarie conentur. Eos autem ex Fidelibus, qui debitâ constantiâ eorum nefariis ausibus obsistunt, acerbissimis pœnis plectunt: quod contigisse ex animo dolemus Venerabili Fratri Patriarchæ Armeno Constantinopoli, quem ad Triremes damnare ausi sunt, & Venerabili item Fratri Patriarchæ Syrianorum, etsi nuper ab iis Sedi suæ, instantibus Christianis Principibus, restituto, quem carceris, mox etiam fustis, supplicio afficere non dubitarunt. Quę cum Christianæ Religionis dignitati magnoperè officiant, Supremos etiam Reges eandem Religionem profitentes in eo lædunt, quod pactas nuper induciarum conditiones, per quas Privilegia Catholicorum præservantur, manifestè infringunt. Te itaque, Rex inclyte, etiam, atque etiam hortamur, ut studia tua solicitudini nostræ ita jungas, ut tanta demùm audacia compescatur: quod ad referendam uberem à Deo mercedem profectò faciet, ut fusiùs à Venerabili Fratre Francisco Archiepiscopo Tarentino Nuntio isthic nostro percipiet Majestas Tua, cui bonorum omnium largitorem Deum propitium usque precamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Lædet procul dubio pias Nobilitatum Vestrarum, & gravissimi istius Senatus aures fama eorum, quæ nuper in Civitate Constantinopolitanâ, atque in universâ Turcica Ditione à Christianæ Fidei hostibus contra Catholicos Orientales, potissimùm Armenæ Nationis, acta sunt. Nos sanè maximo Paterni animi nostri dolore percepimus, quòd nonnulli efferatæ illius gentis, & nequissimæ Aulæ Proceres vi, ac potentiâ sua freti, hæreticos ibi commorantes usque adeò foveant, ut in controversiis Christianæ Fidei eorum favore contra Orthodoxos statuere, & Fideles ipsos ad amplexandas pravas, ac ab Ecclesiâ Dei damnatas opiniones, inflictis pœnis, cogere præsumant. Datæ itaque fidei immemores, aut potiùs, ut solent, infractores Catholicorum privilegia, quæ integra in posterùm fore polliciti sunt, nedum custodire negligunt, sed eos, qui improbæ illorum voluntati debitâ constantiâ obsistunt, perdere omninò conantur; ac ne singula, quod longum esset, prosequamur, horrendum planè est, quod nuper Venerabilem Fratrem Patriarcham Armenorum Constantinopoli addixerint servituti Triremium, & Venerabilem item Fratrem Patriarcham Syrianorum ignominiosè traduxerint ad carceres, & fustibus Virum moribus non minùs, quàm ætate gravem, ut ipsi novimus, dirè percusserint. Confidimus Nobilitates vestras zelo Religionis tactas sedulò curaturas esse, ut finis tandem tantæ audaciæ imponatur: Quod profectò Deo acceptissimum, Nobisque, qui magnam inde solicitudinem contraximus, erit usquequaque gratum, quemadmodum à Venerabili Fratre Augustino Archiepiscopo Amasiæ intelligent Nobilitates Vestræ, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Novembris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Universitati Lovaniensi, tamquam Sedi Apostolicæ immediatè subjectæ, sub anathematis ipso facto incurrendâ pœnâ injungit, ne aliquam Visitationem, quæ ab eadem Sede non proveniat, aut alium quemcumque actum authoritatis, & Jurium ipsius Sanctæ Sedis læsivum admittat.

Dilectis Filiis Rectori, & Officialibus, ac Ministris, ceterisque Personis Universitatis Studii Generalis Oppidi Lovaniensis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, salutem &c. Cùm nihil tam pertineat ad Pontificium Munus, quod Deo humiliter obsequentes suscepimus, quàm Sanctæ Sedis Apostolicæ jura eâ, qua par est, constantiâ tueri, deesse profectò vigilantiæ nostræ non debemus, ubi vel ea manifestè lædi, vel minimùm

etiam attingi percipimus. Sanè non minori animi nostri admiratione, quàm molestiâ intelleximus Seculares istarum Partium Magistratus tantùm sibi potestatis arrogare, ut ad visitationem, aut ad alios etiam jurisdictionis actus in vestrâ Universitate, quam ejusdem Sanctæ Sedis auctoritati constat esse immediatè subjectam, devenire posse præsumant. Etsi autem Nobis omninò persuasum sit Vos debiti vestri obsequii memores hujus Sanctæ Sedis rationum, nec non libertatis, quâ usquemodo usi estis, custodes semper fore accuratissimos: ut tamen magis explicetur, quæ sit eâ in re mens nostra, Vobis omnibus, ac singulis, etiam sub anathematis pœnâ ipso facto incurrendâ, injungimus, ne aliquam visitationem dictæ Universitatis non provenientem ab Apostolicâ Sede, aut alium quemcumque actum læsivum authoritatis, & jurium ipsius Sanctæ Sedis admittatis, & quatenus ad præfatum visitationis actum, etsi nulliter, deventum fuerit, executioni ea, quæ fortè constituta tunc fuerint, ne demandetis; dum Nos quidquid secus quavis authoritate fuerit factum, aut fieri in posterùm contigerit, irritum, & inane declaramus. De quibus omnibus pro Paternâ nostrâ in Vos charitate, atque voluntate commonefaciendos Vos esse duximus, ne quid alienum à filiali in Nos observantiâ à Vobis proficiscatur, sed ut imò novis ejusdem testimoniis, ac antiquis vestris laudibus respondentes, curetis Pontificiam demereri benevolentiam, cujus pignus Apostolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 3. Decembris 1701. &c.

ARGUMENTUM

Magnæ Britanniæ Reginam in obitu Regis ejus Viri paternè consolatur.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Mariæ Magnæ Britanniæ Reginæ Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissima in Christo Filia Nostra, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ci è gravissima la penna per dover oggi con quella ritoccare, in risposta della lettera scrittaci dalla M. V., la dolorosa ferita, che ben sappiamo haver fatta nel Regio suo cuore l'acerbissima morte del Rè suo Consorte; giustamente inferendola dall'inesplicabile afflizione, che Noi stessi ne proviamo, tutto che la certa speranza del suo eterno riposo havesse dovuto por' freno alla nostra passione, & à qualunque sia stata, e tuttavia sia la pena della M. V., che tanto da vicino, e tutto intero hà dovuto soffrire un colpo sì grave. Riguardandola però Noi con la maggior tenerezza del nostro affetto Paterno tutta immersa in sì ragionevole cordoglio, senza suggerirle alcun'argomento di umana consolazione, gliela preghiamo con fervidi voti intieramente dal Cielo; e confidiamo, che di la sù il glorioso suo Consorte saprà, e vorrà bene intercedergliela. Intanto l'assicuriamo, che pienamente conoscendo Noi di non potere con maggior gloria impiegare l'autorità della Santa Sede, quanto che in vantaggio di Chi e ne i diritti della Corona, e nel possesso della virtù succede ad un Rè sì altamente benemerito della Cattolica Religione, e insieme in sollievo d'una Regina, che fù compagna à Lui, mentre visse, nella magnanima tolleranza delle più aspre disavventure, ci studieremo di operare

in

in guisa tale, che ben si conosca corrispondere le nostre azioni à i sentimenti, che professiamo; & alla Maestà Vostra, come alla Regia sua Figlia concediamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 6. Decembris 1701. Pontificatus Nostri Anno Primo.

ARGUMENTUM

Poloniæ Regem hortatur, ut quoddam Diploma, quod Acatholici Dresdæ ab Ipso per dolum extorserant, abrogare, ac irritum esse velit. Insuper à Majestate Sua enixè postulat, ut Catholici in possessione Ecclesiæ Maurisburgensis conserventur, & ad propagandam Divini Nominis gloriam Missionariorum numerus augeatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Quemadmodùm debitis in Domino laudibus efferenda est à Nobis pietas Majestatis Tuæ tum ob ea, quæ favore Catholicæ Religionis à Te usquemodò constituta fuerunt, tum quia author Nobis extitisti ulteriora etiam, atque ampliora in bonum ejusdem Religionis sperandi: ita charitati, ac solicitudini nostræ numquam deerimus, ubi Nobis innotuerit aliquid fortè minùs consonum tam salutari proposito ab authoritate tua fuisse impetratum. Hinc est quod Nobiscum, non sinè gravi molestiâ, expendentes quantum præsidii, atque patrocinii, sibi rebusque suis polliceri possint Acatholici ex quodam Diplomate, quod fraude, & malis artibus à Te exortum Dresdæ elapso anno vulgatum est, insurgimus eo zelo, quo pro Dei honore incendi Nos oportet, Teque, quantùm possumus, hortamur, atque obtestamur, ut spirituali tuæ saluti accuratè prospicias, ademptâque hostibus Orthodoxæ veritatis tantâ exultandi, atque præsumendi occasione, promissiones ipsorum Sectæ favorabiles in præfato Diplomate contentas in eum statum redigas, atque ita reformes, ut nullo modo Fides, quâ Te Deo pridem obstrinxisti, lædatur; longè enim præstat hanc Deo, quàm hominibus integram, inviolatamque servare. Non omittimus interim hac occasione Tibi declarare, quàm Nobis cordi sit, ut in absolutum argumentum ejus voluntatis, quam sæpè sæpiùs testatus es, integram esse velis Catholicis possessionem Ecclesiæ Maurisburgensis, quo in loco, sicut in aliis, quæ ad Domus tuæ jura pertinent, nihil obstare potest, quominùs efficias, ut in ædibus, in quibus Divinus cultus ritè observatur, Catholicæ Religionis exercitio vacare possint Fideles. Conferet prætereà ad propagandam Divini Nominis gloriam, ut authoritate tua Missionariorum numerus augeatur: meritis enim tuis accedet fructus, quem ipsi, benedicente Domino, retulerint. Inclina itaque, Charissime Fili Noster, aurem tuam ad salutaria, ac Paterna monita, quæ fusiùs Nostro Nomine explicabit Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Tarentinus, dum Nos Majestati Tuæ cumulum veræ felicitatis precamur, eidemque Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 18. Decembris 1701. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Electum Coloniensem S.R.I. Principem Electorem, eumdemque Electum Leodiensem seriò admonet, ut Ecclesiasticam Immunitatem in Civitate Leodiensi multipliciter violatam quamprimùm sarciri sedulò curet.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Ipsa magnitudo facinoris, quòd nuper, non sinè ingenti Fidelium scandalo, non sinè gravi Ecclesiasticæ Jurisdictionis injuriâ, in Civitate Leodiensi admissum est, nedum testimonium illud, quò Nobilitas Tua literis quartâ labentis Decembris datis ad Nos detulit, certò Nobis persuadet Te prorsùs inconsulto, atque inscio contigisse, quòd Dilectus Filius Decanus Cathedralis illius Ecclesiæ à præsidiariis Militibus non ita pridem in eamdem Civitatem invectis fuerit à loco immuni abductus, alióque turpiter, & contumeliosè traductus: quòdque alii item Ecclesiastici Viri pariter detenti, atque traducti, arctæque demùm custodiæ fuerint demandati. Quid enim tam dissentiret à consuetâ, atque haustâ à Majoribus animi tui pietate, aut etiam ab Ecclesiasticâ Dignitate, per quam eidem Civitati præficeris, quàm si humanis fortè rationibus nimiùm tribuens, Loca Sacra, ac Personas Divino cultui dicatas publicè contemni patereris. Verùm, ne in re tanti momenti, ubi remissiùs ageres, id ipsum suspicandi, aliterque, quàm par est, de Te opinandi iis occasionem præbeas, quorum censuram ipsa Principum nomina non evadunt, imò potiùs, ut rem Deo gratam in custodiendâ, pro muneris tui ratione, Ecclesiastica libertate exhibeas, Te ad ea diligenter curanda, ac celeriter perficienda enixè hortamur, per quæ læsa palàm Ecclesiæ Immunitas sarciatur, ut solicitudo nostra, quàm ingentes undique curæ prægravant, hac saltem in parte levetur, & præclarum de Religione animi tui judicium apud Nos semper magis invalescat. Nobilitati interim Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 31. Decembris 1701. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis.


CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Intimi doloris sensum, quem Paterno nostro cordi literæ vestræ attulerunt, ob violentam Dilecti Filii Decani istius Ecclesię per Militum manus detentionem, atque abductionem, vix possumus explicare, probè intelligentes, quanto Fidelium scandalo, quantoque Ecclesiæ contemptu, inspectâ loci, ac Personæ immunitate, ista contigerint. Nullatenùs itaque Vobis ambigendum est, quin Nos Officii nostri memo-

res

res sedulò curaturi simus, ut debitâ reparatione jura Ecclesiæ tam enormiter læsa sarciantur. Interim verò confidimus Vos, & Christiana pietate excitatos, & hac etiam calamitate, ceterisque impendentibus malis admonitos, non tam de comparandâ rebus Vestris Pontificiæ auctoritatis ope, quàm de propitiando Vobis ipsis Deo Optimo Maximo fore omninò solicitos, & seriò perpensuros esse nunquam aptiùs Cęlestem miserationem, quàm Fraternæ charitatis usu conciliari: cum è contra nihil tam Divinam ultionem provocare possit, quàm si is, qui mitem in se Dominum esse velit, duriùs in Proximum suum invehere pergat, quod Evangelici servi exemplo compertum Vobis esse potest, Dilecti Filii, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 31. Decembris 1701. &c.

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCCII.



EUNTES IN MUNDUM UNIVERSUM PREDICATE EVANGELIUM.
Mar. Cap. 6. u. 15.

ARGUMENTUM

Regem Chriſtianiſſimum enixè rogat, ut à ſuis militaribus copiis Ditionem Pontificiam intactam ſervari mandet.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dall'Arciveſcovo Gualterio, Veſcovo d'Imola, noſtro Nunzio ſentirà la M.V. quali ſiano le noſtre anguſtie per l'imminente pericolo, in cui ci troviamo di vedere diventare il noſtro Stato teatro della guerra. Il medeſimo le riferirà quali ſiano le riſoluzioni, che dopo il ricorſo fatto à Dio, affinche ſi degni di non eſtendere à noſtri Sudditi quei caſtighi, che per altro pur troppo ſarebbero meritati dalle noſtre colpe, abbiamo giudicato di dover prendere, per provedere, come ſiamo tenuti, all'indennità de medeſimi in tutti i modi à Noi poſſibili. Speriamo, che le riſpoſte, che ſi daranno dalla Maeſtà dell'Imperatore alle rimoſtranze, che à Lui abbiamo fatte à tal fine con la ſpedizione d'un Straordinario, ſiano per corriſpondere alle ſicurezze, che tante volte ci hà fatto giungere, di volere che il Dominio Eccleſiaſtico ſia illibato; molto maggiore però è la fiducia, che riponiamo negli ordini, che ſopra di ciò ſaranno dati dalla M.V., del tutto uniformi alle noſtre brame; onde alleggeriti in qualche parte dalle gravi ſollecitudini, che per queſto conto sì ſtraordinariamente ci opprimono, poſſa à Noi reſtar luogo di applicar l'animo anco à tante altre incombenze del noſtro peſan-

tissimo Ministero. E in tanto con tutta la pienezza del nostro Paterno affetto diamo alla Maestà Vostra l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 6. Januarii 1702. Pontificatus nostri Anno Secundo.

ARGUMENTUM

Postulat ab Imperatore Leopoldo, ut rationem inire velit, qua Ecclesiasticæ Ditionis indemnitati, & præservationi à bellicis calamitatibus consultum sit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. E' sì grave il sentimento cagionato nell'animo nostro dal rumore, ancorche incerto, giunto alle nostre orecchie, che facendosi in breve, come si dice, da Commandanti dell'Armata di V. M. in Lombardia un considerabile distaccamento di Truppe per Napoli; e opponendosi à quello, come parimenti si vocifera, con tutte le loro forze i Collegati, sia per diventare ben presto campo della Guerra il nostro Stato; che non restando paga la nostra infinita sollecitudine delle commissioni sopra di ciò date per espresso all'Arcivescovo Davia Vescovo di Rimini nostro Nunzio à fine d'eccitare l'insigne pietà della M. V. à dare dal canto suo quegl'ordini, che possono riuscire più opportuni per liberarci da sì grande afflizione, abbiamo stabilito di aggiungere alle rimostranze, che le farà il nostro Ministro, anco la presente Lettera scritta di nostro pugno, vivamente pregando la M. V. à credere, che per quanto ci sia penoso il considerare, che l'invasione del Dominio Ecclesiastico possa forse essere il primo frutto di quelle tante premure, che abbiamo mostrato per lo stabilimento della pace frà Principi Cristiani; ci riesce nondimeno assai più doloroso il riflettere, che dopo di avere à costo di tante nostre angustie procurato di osservare un'esatta, e perfetta indifferenza, possa darsi caso, che per provedere, come tanto siamo tenuti, all'indennità de nostri Sudditi, abbiamo à trovarci in necessità di appigliarci con nostro infinito dispiacere agli espedienti più estremi. Vogliamo tuttavia fermamente sperare, che per parte della M. V. non ne avremo alcuna occasione: onde continuando Ella à dar prove sempre maggiori della sua Filial divozione verso questa Santa Sede, siamo ancor Noi tenuti à sempre più accrescerle quelle del nostro svisceratissimo amore, col quale frà tanto le diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romę apud S.Petrum die 7.Januarii 1702.Pontificatus Nostri Anno Secundo.

ARGUMENTUM

Regi Christianissimo Visitatorem Apostolicum ad Sinarum Imperium mittere decrevisse significat, & à Majestate sua, ut illius expeditionem juvare, ac fovere velit, enixè petit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo, Fili Noster, salutem &c. Quoniam dilatari præ gaudio visum est cor nostrum, ubi, Deo misericorditer Nos excitante, decrevimus novo, ac majori Pontificiæ nostræ charitatis fervore, ac zelo in remotissimis Indiarum Orientalium Partibus, potissimùm verò in amplissimo Sinarum Imperio Divini Nominis gloriam per diligentem Catholicæ Fidei cultum latiùs promovere, ac firmiùs constabilire: Majestati Tuæ, cui magna semper consilia, atque ea præsertim, quæ pro Religione suscipiuntur, vehementer probari novimus, perceptam inde à Nobis lætitiam Paterno affectu explicamus, ut pio operi, quod aggredimur, validum, ubi è re fuerit, tuæ auctoritatis præsidium accedat. Perspectum proinde Tibi esse volumus, quòd Nos maturâ juxta rei gravitatem deliberatione habitâ ad ea usque loca, quæ memoravimus, cum aliquot pietate, ac doctrinâ probatis Viris mittere decrevimus Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum, Prælatum nostrum Domesticum, & Assistentem, quem Visitatoris Apostolici munere, & peramplis facultatibus communivimus, & decoravimus, cum præter generis claritatem, eum jam pridem Nobis constans virtutis studium, & eximia in omnibus disciplinis, præsertim verò sacris, peritia summoperè commendassent. Confidimus autem in Eo, cujus honorem unicè Nobis hac in re proponimus, præfatum Præsulem, qui egregio, ac singulari terrenarum rerum contemptu nullis, vel locorum, vel itinerum remorari se patitur difficultatibus, quominùs ministerium, quod suscepit, ineat, valde profuturum esse Evangelicæ veritatis propagationi, solidæque, ac perpetuæ in illis Partibus ejusdem stabilitati. Egregiam itaque Regio tuo nomini laudem, aut potiùs summum animæ tuæ meritum comparabis, si profectionem hanc juvare, ac fovere, pro eventu occasionum, sedulò curaveris, quo facto arctiùs etiam Paternum cor nostrum obstringes, & Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur .. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 7. Januarii 1702. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Cùm nulla ſit tam diſſita à Nobis Terrarum pars, quæ Pontificio cordi proxima charitate non ſit, oculiſque vigilantiæ noſtræ non pateat, ampliſſimam illam Orbis plagam, quam Orientales Indi, præſertim verò Sinenſes incolunt, dum ſpectamus latiſsimum in ea Divini Verbi prædicationi aperiri campum, advertimus; plurimum enim ad veritatem ibi propagandam præſidii afferre poſſe perpendimus docile ingenium, quo non pauci eorum præditi eſſe dicuntur, & favorabilis, ac prona (quod ad Sinenſes attinet) in ſupremo ejus Imperii Moderatore erga Chriſtianos mores, atque inſtituta voluntas. Quibus omnibus inſpectis Nos dilatandæ ibi, atque conſtabiliendæ Catholicæ Religionis deſiderio pro Officii noſtri ratione incenſi, Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum Prçlatum noſtrum Domeſticum, & Aſſiſtentem, unà cum Viris pietate, ac doctrinâ præſtantibus, illuc mittere decrevimus. Eum proinde Viſitatoris Apoſtolici munere, & peramplis facultatibus inſtruximus, ut animarum ſaluti ſolerter incumbat; magna enim poſſe Nobis in Domino polliceri ab eo confidimus, qui cum multis, & eximiis tum generis, tum virtutum dotibus ornetur, ingentes pro Divini nominis gloriâ labores, & quaſi excuſſo mundano pulvere tam ardui itineris pericula, ac difficultates ultrò ſuſcepit. A Majeſtate itaque Tuâ expetimus, ut ope tuâ, ubi in rem fore cognoveris, eidem Præſuli adeſſe velis: plures ſiquidem explicandæ erga ipſum ingenitæ benignitatis Tibi patebunt occaſiones, ac potiſsimùm in profectione ipsâ, quam Is forſan per tuas ditiones longè, latèque protrahendam propediem inſtituet; quod ſingulare Tibi apud Deum meritum comparabit, & benevolentiam noſtram uberiùs conciliabit Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum &c. die 8. Januarii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Reginam Magnæ Britanniæ Mariam in obitu Jacobi Regis ejus Conjugis Paterno affectu conſolatur, & plura ſuggerit, è quibus dolori ſuo levamen afferre poſſit.

Chariſſimæ in Christo Filiæ Noſtræ, Mariæ Magnæ Britanniæ Reginæ Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Ubi humanis tantùm rationibus expendendç eſſent cauſæ, quæ animum Majeſtatis Tuæ in tantam luctus acerbitatem conjecerunt, in quantâ Te adhuc verſari, intimâ Paterni noſtri cordis moleſtiâ percepimus, ultrò fateri cogeremur dolorem tuum, quoniam nullo juſtitiæ titulo deſtituitur, egrè etiam poſſe ullo

ter-

terrenæ consolationis genere leniri. Ingens quidem est, nec solatium facilè pati potest (quoties sola seculi adhibeantur consilia) quam fecisti in Charissimo Conjuge, piissimoque Rege jactura; nam præter individuam illam Fidem sacro foedere obsignatam, qua Tu ejusdem voluntati persanctè semper adhæseras, commune illud utriusque Vestrum propositum, quo simul adversos casus, & extrema pericula ita pertulistis, ut alter alteri esset constantiæ præsidium, & perpetui in Deum, atque in Catholicam Religionem cultus exemplum, tam arctè mentes, animosque vestros invicem obstrinxerat, ut nonnisi prorsus amarè supremus alterius casus Vos aliquando sejungeret. Verùm ab his ipsis Christianæ virtutis documentis, quæ tunc edidisti, suppetunt Nobis argumenta, quibus in præsens gravissimo tuo mœrori occurramus; dum enim per anteactarum rerum seriem vim, atque magnitudinem tuæ constantiæ metimur, omninò statuimus, quòd frustra animi tui ægritudini remedium alibi, quàm in ipsâ tuâ erga Deum pietate quæratur. Et sanè si æquanimiter ea, quæ tanto humanarum, Divinarumque legum contemptu Regi Conjugi tuo, Tibique ipsi per scelus, ac injuriam ab hominibus illata fuerunt, ferre potuisti, meritò sperandum est, quòd pari demum, ac majori animi firmitate id perferas, quod solâ Dei ordinatione, & statuta omni viventi moriendi necessitate nunc tandem evenit. Quàm amplior etiam, atque ad comprobandos affectus tuos commodior Tibi ratio succurret, ubi adverteris Jacobum clari semper nominis Regem à seculi hujus æstu, ac fluctibus in æternæ salutis Portum se recepisse, ut uberrima benè actæ vitæ præmia, ac tandiu speratos probitatis, ac patientiæ suæ fructus assequeretur. Age itaque, Charissima in Christo Filia Nostra, dictis nostris audiens esto, & solicitudinem omnem ad pedes Ejus in Cruce pendentis, qui dolores nostros in se pertulit, depone: ibi tum spe relatæ in Coelis à Regio Conjuge non interituræ mercedis, tum voto provehendæ ad omnes virtutes Filii Regis adolescentiæ animum refice, ac mœrorem omnem absterge. Ita Nos paternè Te hortamur, imò etiam eâ lege à Te petimus, quæ Tibi meritum conciliare possit erga hanc Sanctam Sedem obedientiæ, id quod nostro nomine Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiscopus Athenarum pluribus explicabit Majestati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum &c. die 17. Januarii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Detestabile sacrilegium ab hæreticis Militibus Exercitus Cæsarei in finibus Mantuanæ Civitatis admissum Reginæ Poloniæ Mariæ Casimiræ significat, ab eâ petens, ut illud ad Imperatricis notitiam perferre curet.

Charissimę in Christo Filiæ Nostræ, Mariæ Casimiræ Poloniæ Reginæ Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissima in Christo Filia Nostra, salutem, & Apostolicam Benedictionem. In mezzo alle inesplicabili afflizioni, nelle quali ci troviamo, molto ci hà consolato la letterà della Maestà dell'Imperatrice scritta alla M. V., ch'Ella si è compiaciuta farci vedere; che però siccome le

ne

ne rendiamo le dovute grazie, così la preghiamo à portarle cordialissime in nostro nome all'istessa Imperatrice. E' ben vero, che brevissima è stata per Noi questa consolazione, mentre troppo ci è stata amareggiata dall'acerba notizia giuntaci appunto oggi dell'orribile sacrilegio commesso nelle vicinanze di Mantova da Soldati eretici, che si contiene nell'annesso foglio. Noi sappiamo molto bene con quanto cordoglio sarà letto il medesimo dalla M. V., che con tanta edificazione di Roma pratica atti di sì esemplar venerazione verso il Santissimo Sacramento. Oh Dio, quanto avranno da fare le buone Monache di quel Santo Instituto, che la M. V. disegna d'introdurre in Roma, per risarcire co' loro divoti esercizii una sì detestabile sceleratezza! Quanto sarà mai questa sensibile all'animo piissimo dell'Imperatore, che per antico, e notorio costume della sua Augustissima Casa professa un culto tanto divoto à un sì Venerabile Misterio! Poco però gioverà il rammaricarsene, poco parimenti gioverà qualsisia rigoroso castigo, che fosse per darsi à Delinquenti, quando non si proveda, che non naschino in avvenire somiglianti disordini: il che non può farsi, che con richiamar sollecitamente le Truppe eretiche, giàche gl'ordini dati per la buona disciplina delle medesime nulla hanno operato; In tal forma è l'Imperatore in obligo strettissimo, e indispensabile di coscienza di dover operare, anche à costo di qualsisia suo grandissimo discapito, mentre non vi può essere discapito maggiore di quello della salute eterna, che manifestamente và à perdersi, quando non s'impediscono sì gravi offese di Dio. Vede bene la M. V. quanto si è ingannata l'Imperatrice in credere, che gl'Eretici in vece di portar scandali in Italia, v'avrebbero forse ricevuto essi lume per convertirsi alla vera Religione. Siamo certi, che l'Imperatore col mezzo di una sola offesa di Dio non accetterebbe il Dominio Universale di tutto il Mondo: anzi più tosto, che permetterla, si contenterebbe molto volentieri di perdere quanto possiede; ora è il tempo d'autenticar coll'opere sì giusti sentimenti, con sicurezza, che fidandosi l'Imperatore di Dio, e sacrificando tutto à Dio, questo non solo non permetterà, che gliene risulti alcun danno, mà con centuplicate felicità colmarà Lui, e la sua Augusta Discendenza delle sue più ampie benedizioni. Operandosi da Lui diversamente (il che non possiamo, nè vogliamo mai credere) molto dovressimo temere, e tremare. L'Offizio nostro di Pastore, e di Padre ci obliga di parlare, e però non vogliamo tacere; anzi nel giorno tremendo del Divino giudizio vogliamo poter dire per nostra discolpa, che chiaramente, e svelatamente abbiamo fatto avvertire di tutto ciò l'Imperatore col mezzo dell'Imperatrice, che tanto giustamente l'ama, e questa col mezzo della M. V., come di vivo cuore la preghiamo; e frà tanto con tutta la pienezza del nostro affetto le diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 21. Januarii 1702. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

ARGUMENTUM

Publicam Poloniæ tranquillitatem sibi maximè cordi esse ostendit, & ad eam omni studio, ac ope tuendam Cardinalem Radzieovvski vehementer hortatur.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli Sanctę Marię de Pace Presbytero, S.R.E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noster, salutem &c. Perspectum satis Tibi esse arbitramur, quàm ingentes undique calamitates Christianam Rempublicam in præsens divexent, & quot proinde, & quàm graves Paternum animum nostrum obsideant curæ, quarum profectò numero, ac mole opprimeremur, nisi Deus misericorditer manum suam supponeret, ne collideremur. Excitata in perniciem Fidelium à discordiarum Patre hoc consilio tot mala fuisse non ambigimus, ut insidiis suis, quæ rectâ Religionem appetunt, opportunus locus pateret, qui sanè nec aptior unquam, nec commodior occurrere potest, quàm ubi eversâ Regnorum, ac Populorum tranquillitate sacra omnia, atque profana perturbantur, atque miscentur. Quod cum satis per se pateat, nimiùm profectò Supremi Judicis iram in se provocaret, qui, dum Nos communibus propè Christiani populi vocibus, ac precibus excitati, & Pontificii Muneris memores, tam exitiale incendium omni studio extinguere contendimus, novas alibi subdi faces pateretur, aliasque Nobis, ac arduas cogitationes ingereret, quibus à promovendâ publicâ felicitate animus noster novarum rerum metu aliò distraheretur, atque avocaretur. Hæc ideò ad Te perscribimus, ut quoniam operam tuam pro componendâ inclyti istius Regni pace luculenter in literis vigesimâ tertiâ elapsi Decembris datis Nobis polliceris, reipsâ id perficere cures, atque pro eo, quem in Ecclesiastico Ordine, & in istâ Republicâ obtines, sublimi Gradu, diligenter caveas, ne quid isthic contingat, per quod solicitudo nostra oneretur, tuaque ipsius Dignitas, atque authoritas in discrimen adducatur. Quæ sanè pericula tantò magis pertimescimus, quantò impensiùs Te diligimus: nostra enim in te syncera, ac verè Paterna charitas efficit, ut non modò vehementer optemus, ut semper magis rebus præclarè, & piè gestis tua apud Deum merita cumulentur, sed ut tui quoque nominis fama majori semper cum laude efferatur, atque ab omni censurâ, ac sinistrâ Obtrectatorum, qui fortè non deessent, interpretatione, perpetuò vindicetur. Tibi interim, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 4. Februarii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Uberes Filialis obsequii, ac obedientiæ significationes, quas Patriarcha Maronitarum universæ Nationis nomine ad Sanctitatem Suam detulerat, benignè excipit, eidemque Nationi Pontificii amoris testimonia numquam defutura pollicetur.

Venerabili Fratri, Stephano Petro Patriarchæ Maronitarum.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Benedictus Deus Pater misericordiarum, qui solicitudinem nostram, & ingentes curas, quæ Nos circumvenerunt ab eo die, quo gravissimum Apostolici Ministerii onus, Ipso jubente, suscepimus, veris identidem, solidisque gaudiis recreare, animumque nostrum reficere dignatur. Sanè lætati valdè sumus acceptis literis Fraternitatis Tuæ; etsi enim perspecta Nobis esset syncera prorsus, ac fidelis universæ istius Nationis, totiusque Cleri, & omnium Venerabilium Fratrum Episcoporum in hanc Sanctam Sedem observantia, gratum nihilominus Nobis fuit, id ipsum à Te confirmari, ac omnium votis explicari. Pontificiâ itaque charitate in Te uno omnes rectè Tecum, ac piè sentientes complectimur, nihilque unquam profectò erit, quod ex usu, & commodo vestro, præsertim verò in bonum spiritualis vestræ salutis, esse intellexerimus, quod Vobis libenti semper animo præstituri non simus. Fides enim vestra eò præstantiùs coram oculis nostris effulget, quò magis eam circumseptam undique errorum caligine intuemur. Nec ambigimus, quin eadem hoc ipso nomine jucundum Deo spectaculum exhibeat, ex quo se ab omni inquinamento ita (Eo miserente) usque modò servavit immunem, ut propinquitate suâ illam nec Schismatis labes, nec Mahumetanæ superstitionis fœditas inficere potuerit. Macte itaque animo, ac cum reliquis istis Fidelibus in tam laudabili proposito perge, ut amplissimum à Deo præmium assequaris, nostramque benevolentiam, atque hujus Sanctæ Sedis patrocinium uberiùs in dies demerearis. Cæterum quod attinet ad Indulgentias proximè elapsi Anni Jubilæi, eas Nos jam ad istos Fideles extendisse intellexerit Fraternitas Tua, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 7. Februarii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Episcopo Berytensi Ritus Græci ad gremium Romanæ Ecclesiæ reditum gratulatur, eumque, ut in vocatione perseveret, & alios quoque ad eamdem veritatis semitam revocare satagat, paternè adhortatur.

Venerabili Fratri, Silvestro Episcopo Beryti Ritus Græci.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Etsi eos omnes, qui Catholicam veritatem, miserentis Dei ope, amplectuntur, Pontificiâ charitate, & libentissimo semper animo, ut Muneris nostri ratio postulat, excipiamus, ea tamen est voluntatis nostræ propensio erga Græcorum Na-

tionem Orbis Universi, & ætatum omnium memoriâ in sæculo quidem spectabilem, sed in ipsâ etiam Dei Ecclesiâ pietatis, ac doctrinæ monumentis celebrem, ut ampliori quodam gaudii sensu affici videamur, ubi ad gremium ejusdem Ecclesiæ omnium Matris, ac Magistræ confugere præfatæ Nationis homines, spectati præsertim Gradus, ac conditionis agnoscimus. Repletum itaque gaudio est cor nostrum, ubi audivimus Fraternitatem Tuam, rejectis salutari, & syncero consilio Schismatis tenebris, Divinæ Gratiæ lumen excepisse, & Catholicæ veritati adhæsisse. Confidimus autem in Eo, qui omnis salutis Author tantùm Tibi bonum liberaliter indulsit, Te semper magis curaturum esse certam vocationem tuam operibus justitiæ facere, itaut alios etiam in eundem salutis Portum tuo exemplo perducas. Quà in re, & si magnâ nimis merces Te maneat, nunquam tamen Tibi defuturam benevolentiam, opemque nostram certò Tibi persuade. Fraternitati interim Tuæ ex animo, tamquam de verâ, ac solidâ felicitate gratulamur, & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 10. Februarii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Civitates Parmæ, & Placentiæ militari præsidio communire decrevisse profitetur, tum ut inviolatum à quocumque externorum Armorum insultu custodiat Supremum Dominium, quod in utraque ad Apostolicam Sedem pertinet, tum etiam ut illarum Duci luculentum Pontificiæ dilectionis testimonium præbeat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Francisco Farnesio Parmæ, & Placentiæ Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Nella risoluzione, che abbiamo presa di mettere il Presidio Pontificio in Parma, & in Piacenza, abbiamo avuto per oggetto non meno di sodisfare al debito, che ci corre, di conservare illesa da qualunque attentato di Potenze straniere quella Sovranità, che ivi ci compete, che di dare all' A. V. una ben chiara prova di quel Paterno, e distinto amore, con cui la rimiriamo. Godiamo ora di ricevere nell'espressioni, che l'A. V. ci fà, della propria riconoscenza un nuovo attestato della sua sincera fedeltà, e divozione verso di Noi, e di questa Santa Sede. E pregando incessantemente Dio à degnarsi di restituire alla Christianità il perduto riposo, al quale fine indrizziamo ora le nostre cure più gravi, diamo all'A. V. con tutto l'affetto l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 18. Februarii 1702. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

ARGUMENTUM

Causæ titulo, & Tribunalis, Personarumque nominibus non explicatis, sed Magno Etruriæ Duci satis notis, ab Ipso petit, ut eamdem Causam à Judicibus, quemadmodum Juris esse censuerint, definiri patiatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Abbiamo sin'ora avuta tutta l'attenzione per divertire la grazia, che il più sacro di questi nostri Tribunali inclinava di fare à un Soggetto, il di cui ritorno in sua Patria sino da' primi giorni del nostro Pontificatò sapevamo non poter riuscir grato ad un Principe da Noi sommamente stimato, & amato. Per questa ragione abbiamo fin quì resistito ad ogni più fervoroso uffizio con Noi passato in favore del medesimo Soggetto. Ora però, che doppo aver fatto attentamente essaminare la materia, ci viene francamente affermato da alcuni de' più zelanti, e dotti Personaggi, che compongono il sudetto Tribunale, che la grazia richiesta sia appoggiata, secondo che apparisce dal Processo, à tanta equità, che anche restringendosi da Noi à termini di mera, e pura giustizia le facoltà dell'istesso Tribunale,e togliendo al medesimo in questa causà ogni arbitrio grazioso, che sarebbe quel maggior rigore, che da Noi potesse usarsi, pure seguirebbe infallibilmente la risoluzione favorevole al Soggetto consaputo: abbiamo determinato di scrivere in grado d'intiera confidenza questa lettera all'Altezza Vostra per significarle, che giudicaressimo molto opportuno di prevenire, e di non lasciarci ridurre à termini di apparire più rigorosi di quel', che lo stile, e il corso ordinario della giustizia richiedono;tanto più,che ogni più lunga durezza farebbe probabilmente sospettare quel', che per ogni conto deve temersi, e che in nessun modo conviene, che si risappia. Approvandosi da V. A., come crediamo, queste nostre considerazioni, regolate dal desiderio di fare quel', che avanti Dio giudichiamo meglio, sarebbe necessario, che senza rispondere à questa nostra lettera, anzi senza mai palesare al suo Ministro, che da Noi le sia stato scritto sù questa materia, ordinasse l'A. V. all'istesso suo Ministro, che recedendo da qualunque oppositione sin'ora fatta, ci dica prontamente in suo nome, che nella Causa accennata lasciamo, che quelli, à quali appartiene, prendino quella risoluzione, che in loro conscienza, e secondo Dio giudicaranno convenevole. E rendendo all'A. V. molte grazie per le continue, e incessanti prove, che in ogni occasione ci dà della sua bontà, le diamo con tutta la pienezza del nostro affetto la Paterna Benedizione. Datum &c. die 11. Martii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Orientalium Catholicorum in Turcica Ditione degentium, ibique summoperè afflictorum rationes iterum Venetæ Reipublicæ commendat, ac petit, ut Religioso Viro Davidi à S. Carolo, quem ad curanda eorumdem Fidelium solatia Constantinopolim mittit, præsto esse, opportunamque opem præbere velit.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Cogimur idem argumentum, quo intimum dolorem nostrum Nobilitatibus Vestris aliàs explicavimus, iterum in præsens usurpare, cum quiescere Paterna nostra solicitudo non possit, quamdiù Christiani nominis hostes prævalere, & gloriari poterunt in iniquitate suâ, & provehere ulteriùs injurias, quas nuper Divino nomini, & Catholicæ Religioni intulerunt. Perspectum siquidem Vobis est quanta adversùs Fideles Orientales, potissimùm verò Armenos in Turcicâ Ditione commorantes, superiore anno ausi sint, ita ut non dubitaverint in controversiis, quas Catholici ab earum Partium Hæreticis sustinent, horum favore statuere, ac fœdissimas pœnas de Fidelibus sumere, qui veritatem debitâ constantiâ propugnare nitebantur; addictis propterea carceri, fustiumque, & Triremium infamiæ gravissimis Viris Episcopali etiam Dignitate insignitis. Quod cum Dei Ecclesiam, & justitiam omni ex parte lædat, pacta etiam, quibus de non inferendâ vi Christianis in exercitio Religionis se obstrinxerunt, manifestè, & enormiter infringit, seriò Vos de avertendis hujusmodi malis tum ingenitâ pietate, tum gravi Vestræ Dignitatis offensâ, tum denique hortatu nostro excitatos cogitasse non ambigimus. Quia tamen rei momentum curas nostras semper magis in eumdem scopum intendit, cupimus, ut Venerabilem Fratrem Augustinum Archiepiscopum Amasiæ de eâ re nostro nomine differentem attento non minùs, quàm propenso de more in bonum Religionis animo audiatis; Dilectum verò Filium Religiosum Virum Davidem à Sancto Carolo Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, quem singulari pietate, & prudentiâ, ac opportunis ad promovenda ibi Fidelium solatia, & commoda dotibus instructum Constantinopolim mittimus, iis authoritatis vestræ præsidiis communiatis, quæ utilem ejus operam Innocentibus in tribulatione positis reddere valeant. Nobilitatibus interim Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 8. Aprilis 1702. &c.

ARGUMENTUM

Gliscentibus in Regno Poloniæ publicis dissidiis, Cardinalem Radzieovvski rursus hortatur, ut ad ea componenda, pristinamque animorum concordiam redintegrandam, enixiùs incumbat.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli Sanctę Marię de Pace Presbytero, S.R.E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Quoties præsentem Polonicæ Reipublicæ statum, & impendentes ipsi gravissimas calamitates, publico rumore, certisque fide dignorum testimoniis admoniti, Nobiscum reputamus, toties, post imploratam in humilitate cordis nostri Cœlestem opem, cogitationes nostras in Te convertimus, & cum Te, præter Dignitatis præstantiam, prudentiâ, ac rerum usu, nec non authoritate plurimùm isthic valere intelligamus, non exiguam spem quoad amoliendum tantùm periculum collocandam esse statuimus in iis consiliis, quæ Religionis zelo, Patriæ amore, & comparandæ Tibi veræ laudis studio susceperis. Nec ambigimus, quin eadem sit expectatio apud omnes, qui rectè, ut par est, Nobiscum de Te sentiunt, non ita tamen ut de exitu istarum rerum incuriosi sint illi, qui vel odio in Catholicam Fidem, vel invidia in Regni istius felicitatem intimè tacti nihil tam cupiunt, quàm ut æstuantibus isthic animorum discordiis, & mox irruentibus hostium armis omnia quamprimùm publico incendio conflagrent: quæ Nos Paternâ solicitudine diligenter versantes, Te omni prorsus charitate hortamur, & per Ejus merita, qui synceræ, ac fraternæ dilectionis præcepta Fidelibus indixit, à Te expetimus, ut omnibus Ipse sis Author componendi invicem animos, ac posthabendi publicæ saluti privatas rationes, quæcumque tandem illæ sint, ne proxima mala, ac imminentia scandala, quibus fortè declinandis adhuc superest tempus, omne prorsùs remedium, cum jam ingruerint, detrectent. Etsi autem Te, pro singulari animi tui pietate, atque prudentiâ, id omne seriò animadversurum esse speremus, sensus tamen super hac re nostros à Venerabili Fratre Francisco Archiepiscopo Tarentino fusiùs nostro nomine explicandos diligenter auscultari à Te cupimus, Dilecte Fili Noster, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 8. Aprilis 1702. &c.

ARGUMENTUM

Declarat, & statuit Indultum quoddam à san. mem. Innocentio XII. Cardinali de Janson concessum executioni demandandum esse, quamvis Processus probationum Nobilitatis ejusdem Cardinalis confectus, quando ipse inter Fratres Milites Hospitalis Hierosolymitani receptus fuit, in Archiviis Prioratus Arelatensis, ac ejusdem Hospitalis minimè reperiatur.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Magno Magistro.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili salutem &c. Perspectum Tibi esse novimus, quòd cum Dilectus Filius Noster Tussanus S. R. E. Cardinalis de Janson fel. rec. Innocentio XII. Prædecessori nostro exposuisset se dudum in Fratrem Militem de Justitia Linguæ Provinciæ istius Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, prævià super defectu ætatis ad id requisitæ, quam tunc nondum attigerat, dispensatione, receptum fuisse: Professionem tamen regularem per Fratres Milites dicti Hospitalis emitti consuetam nunquam emisisse: nec ullam Conventualem residentiam, nullasque caravanas in Triremibus ipsius Hospitalis fecisse; Obtinuit ab eodem Innocentio se in integrum amplissimè restitui adversùs lapsum termini sibi ad ejusmodi Professionem emittendam assignati, ac præterea sibi indulgeri ut, licet eamdem Professionem eò usque non emisisset, nec illam de cetero unquam emitteret, neque residentiam, caravanas, aliaque à Statutis, seu stabilimentis, & ordinationibus Capitularibus ejusdem Hospitalis quomodolibet requisita fecisset, seu adimplevisset, nec unquam faceret, seu adimpleret: nihilominus quascumque Commendas de gratia, & Camera Magistrali in tribus Linguis Regni Franciæ, nec non eas, quas de cabimento, & de melioramento nuncupant, ac etiam Prioratus, & Bajulivatus, aliasque quaslibet Dignitates, etiam magnæ Crucis, dictæ Linguæ Provinciæ, sibi juxta suam antianitatem à die suæ receptionis supradictæ computandam obventuras obtinere, illasque unà cum quibusvis Ecclesiis, ac Beneficiis, & redditibus Ecclesiasticis cujusvis tandem naturæ, seu qualitatis fuissent, retinere posset; & aliàs prout in supradicti Innocentii Prædecessoris literis desuper in simili formâ Brevis die decimâ nonâ millesimi sexcentesimi nonagesimi primi expeditis uberiùs continetur. Cùm verò subinde Nobis innotuerit præfatas Prædecessoris nostri literas executioni hactenùs non fuisse demandatas ob eam rationem, quia scilicet in Archiviis Prioratus Arelatensis, ac ipsius Hospitalis, non reperiatur Processus probationum Nobilitatis ejusdem Cardinalis de Janson; cumque perpendamus ob lapsum tanti temporis hujusmodi Processum facilè deperdi potuisse, nec alioquin vertatur in dubium, quin idem Cardinalis in infantili suâ ætate constitutus, vigore Dispensationis Apostolicæ receptus fuerit inter Fratres Milites ejusdem Hospitalis, ac consuetum passagium, seu trajectum communi Ærario dicti Hospitalis persolverit: quinimò duo Fratres Milites ejusdem Hospitalis deputati fuerint Commissarii pro faciendis ejus probationibus prædictis, ipsiusque germanus Frater natu major, Nobilitatis suæ probationibus ritè confectis, inter Fratres Milites supradictos priùs nomen dederit: idcircò de-

cla-

claramus dictum Indultum Prædecessoris nostri, attentâ præsertim ejus amplitudine, omninò executioni demandandum esse, itaut non obstante exceptione defectus probationum hujusmodi, ac etiamsi dictus Cardinalis magnam Commendam priùs non obtinuerit, nec Albergiam, ut vocant, tenuerit, quemcumque magnum Prioratum, vel Bajulivatum, quandocumque illum vacare contigerit, consequi valeat; nec ambigimus, quin tu parato animo, ut par est, sis obsecuturus huic nostræ expressæ voluntati, cum ceteroquin probè scias quàm alienum à concedendis hujusmodi gratiis animum geramus, quod nuperrimè etiam abundè explicavimus in personâ Venerabilis Fratris Emanuelis Archiepiscopi Hispalensis, cui denegandam esse duximus retentionem Commendarum ejusdem Hospitalis, quas prius obtinebat. Quia verò in præsens agitur de Indulto, quod sæpè memoratus Prædecessor noster concessit favore Cardinalis, propriis quidem eximiis meritis adeò præstantis, & qui suâ etiam authoritate isti Ordini prodesse admodùm potest, justitiæ potiùs, quàm gratiæ tribuendam esse arbitrati sumus declarationem, quà locum esse executioni Indulti præfati explicavimus, quod observandum esse quibuscumque non obstantibus expresè statuimus. Tibique, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Aprilis 1702. &c.

ARGUMENTUM

Filialis erga Sanctam Sedem observantiæ, & eximii pro Catholicâ Religione zeli significationes, quas Rex Catholicus Philippus V. tunc Neapoli degens per Ablegatum Marchionem de Louville ad Sanctitatem Suam detulerat, admodùm gratas sibi accidisse rescribit, & Pontificios sensus ad Majestatem Suam perferendos eidem Ablegato explicasse significat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Il Marchese di Louville Gentiluomo di Camera della M.V., che per le sue degne qualità gode molto giustamente l'onore della di Lei confidenza, in renderci la Lettera, che Ella hà voluto scriverci di proprio pugno, ci hà insieme pienamente rappresentato quel tanto, di che la M. V. l'avea caricato. Noi però doppo d'aver rese le dovute grazie à Dio, che abbia inspirato, ed inspiri nel cuore generoso della M.V. sentimenti sì divoti verso questa Santa Sede, e insieme sì vantaggiosi alla nostra Santa Religione, quali sono quelli, che in suo nome ci hà confidato l'istesso Marchese, e che da Noi saranno religiosamente custoditi con quel segreto, che dalla M. V. si desidera, non lasciamo di renderle à Lei stessa per la consolazione dataci di chiamarci ad aver qualche parte nell'opere sante, e gloriose, ch'Ella medita. E riportandoci à quel di più, che il medesimo Marchese riferirà alla M. V. de' nostri sensi sù questa, ed altre materie, con fiducia ch'Ella sia per restare ben persuasa di quel Paterno, e distinto affetto, con cui la rimiriamo, e con cui sinceramente le preghiamo da Dio le più vere, e copiose felicità, diamo alla M. V. di tutto cuore l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 3. Maii 1702. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Vulnera Ecclesiasticæ libertati in Ditione Ducis Sabaudiæ inflicta dolet, ipsumque Ducem ad ea sananda, & quæ ab illius Magistratibus perperam gesta fuerunt, quamprimum corrigenda graviter adhortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Victorio Amedeo Duci Sabaudiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Apostolicæ servitutis sarcinam suâ satis mole onerosam, & periculorum plenam graviorem certè, ac molestiorem, statim ac ad supremum hoc Catholicæ Ecclesiæ culmen evocati fuimus, Nobis effecerunt, quæ ab aliquot annis adversùs Ecclesiæ jura in quibusdam Nobilitati Tuæ subjectis locis à Sæculari Potestate perpetrata fuisse deprehendimus; Cùm enim Te, atque inclytam Domum tuam eximiis in Orthodoxam Religionem, & hanc Sanctam Sedem meritis præditam, & illustrem præcipuo quodam Paterni amoris sensu complecteremur, plurimùm indoluimus eò Nos rem adductam comperisse, ut gravissima Ecclesiasticæ Authoritati à Magistratibus tuis inflicta vulnera non levi jam, nec lentâ manu tractare cogeremur. Vicit nihilominus sensus, ac vivida vis accensæ nostræ erga Te charitatis, qua suadente æquum profectò, atque à Pontificia lenitate non alienum duximus de his primùm omnibus cum Nobilitatis Tuæ apud Nos Administro pluries agere, singulis quoque ei violatarum Ecclesiasticarum legum capitibus scripto traditis; Quin etiam Dilectum Filium Nostrum Cardinalem Sperellum, qui eumdem Administrum id rogantem prolixiùs audiret, deputare non recusavimus, ut tandem totâ re ad Nobilitatem Tuam delatâ, ex ipsâ, quà præstas, animi æquitate, ac magnitudine, omnium perperam gestorum emendationem assequeremur. Verùm conceptâ spe, non sinè maximo cordis nostri dolore, frustari Nos vidimus. Quodque ægriùs, ac planè acerbius tulimus, nova interim, & gravia ab iisdem, aliisque Magistratibus tuis adversùs Ecclesiasticam libertatem Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam, debitamque huic Sanctæ Sedi observantiam attentata esse, atque in dies attentari cognovimus, quemadmodum ex iis, quæ Tibi nuper per Dilectum Filium Nostrum Cardinalem Barberinum significari curavimus, si rem seriò tecum Ipse pro tua singulari prudentia reputaveris, facile conjicies. Quamobrem, Dilecte Fili, cum tot, tantaque mala, quibus Ecclesiæ authoritas læditur, Sacrorum Canonum norma contemnitur, hæc ipsa Beati Petri Sedes injuriâ afficitur, traditæque à Domino Ecclesiæ Claves (quod nefas est) impetuntur, diutiùs absque animæ nostræ periculo, Divinæque indignationis incursu, dissimulare nequeamus, ideòque illa pro viribus implere statuerimus, quæ Pastoralis Officii ratio postulat, quæque enixis precibus imploratum Cœlestis gratiæ lumen ostenderit: Nobilitatem Tuam Paternis hisce Literis priùs admonendam, hortandam, rogandam, obsecrandamque judicavimus per egregiam illam, quam ad magna quæque, & præclara propensam sortitus es, animi Indolem, per uberem erga Te, Domumque Tuam Divinæ Beneficientiæ fontem, per veterem denique, ac constantem nostram in Te voluntatem, cupidissimam laudum, atque ornamentorum tuorum, ut auferas malum de Domo Israel, omnique morâ postpositâ,

quæ injustè acta sunt, celeri, ac magnanimâ retractatione revoces, Ecclesiæ pristinam dignitatem, & læsa jura restituas, Nosque ipsos à tam gravi, quâ angimur, solicitudine liberes. Ausculta igitur, Fili, sermones nostros, Patris videlicet tui amantissimi, veram, solidamque gloriam, ac felicitatem tuam summoperè exoptantis, ejusque voces aliorum suggestionibus antepone, qui amplificandæ temporalis tuæ Dignitatis obtentu, æternam Tibi perniciem parare non dubitant. Læta Nobis, læta Ecclesiæ, Tibique ipsi decora, & salutaria consilia amplectere. Hæc pollicentur causæ justitia, tuaque insimul pietas, & Religio, fida custos, & tutela Dominiorum. Hæc Nos, qui ad tantæ rei curam dies, noctesque incumbimus, à Patre misericordiarum accuratâ prece flagitare, illique etiam eas omnes lachrymas, quas præsens Christianæ Reipublicæ perturbatio Nobis reliquas fecit, adjungere non desinemus; dum Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Maii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Patriarcham Antiochenum Visitatorem Apostolicum deputatum Imperatori Sinarum commendat, & petit, ut eum illas ad partes proficiscentem liberaliter excipere, ac plenam ipsi fidem adhibere velit.

Illustri, ac Potentissimo utriusque Tartarię, & Sinarum Imperatori.

CLEMENS P.P. XI.

ILlustris, ac Potentissime Imperator, salutem, & lumen Divinæ Gratiæ. Cùm Nos vehementer optemus præstantissimorum Orbis Principum animos benevolentiæ nostræ officiis demereri, de conciliandâ Nobis voluntate tuâ sumus præsertim soliciti, qui tui nominis, tuæque potentiæ magnitudinem profectò non ignoramus. Contigit enim Nobis non semel ab iis, qui fortè à remotissimis istis Partibus hùc revertuntur, audire, quàm amplæ, quàm etiam magnâ ex parte ornatæ, ac splendidæ sint regiones, quæ tuo subiiciuntur Imperio; libenter etiam ea intelleximus, quæ de Cœli istius clementia, de soli ubertate, de Populorum frequentiâ, Nobis identidem explicata fuerunt: majori verò voluptate affecti fuimus, ubi Indigenarum humanitatem, propensum eorumdem in virtutes animum, artium demum, ac scientiarum cultum isthic florentem, omnium testimonio celebrari percepimus. Verùm præ omnibus gratissimæ fuerunt Nobis laudes ob magnitudinem, æquitatem, singularemque prudentiam Tibi undique attributæ; quarum quidem laudum illa potissimùm cor Tibi nostrum, & charitatem perpetuò obstrinxit, quod scilicet summâ semper benignitate eos exceperis, ac foveris, qui ad istas usque adeò à Nobis dissitas Mundi plagas desiderio promovendæ, & explicandæ Divinæ Legis adveniunt. Deo itaque Optimo Maximo, qui tam bonam mentem Tibi indidit, in humilitate cordis nostri gratias persolvimus, eumdemque assiduis precibus rogamus, ut diuturnam Tibi vitam, ac sospitatem, bonorumque omnium incrementa effusè largiatur: in primis verò, ut Te suæ gratiæ suavissimo rore perfundat, quatenus per agnitionem veritatis ad perpetuam felicitatem pervenias. Hæc vota, quæ ex animo pro Te nuncupamus, fusiùs

Ti-

Tibi explicari mandamus per Venerabilem Fratrem Carolum-Thomam Patriarcham Antiochenum, quem ob eximias ipsius virtutes, & probatissimos mores, generisque claritatem, plurimi sanè facimus, ac unicè diligimus. Quocirca à Te petimus, ut pro eâ, qua commendaris, animi magnitudine eumdem Præsulem tot, tantisque dotibus ornatum liberaliter recipere, eidemque plenam fidem in his, quæ nostro nomine Tibi explicabit, adhibere velis. Illi nonnulla etiam munuscula ad Te perferenda tradi mandavimus, in quibus affectum potiùs nostrum, & egregiam erga Te voluntatem pensare dignaberis, quàm censum; dum itaque confidimus Te, & tua sponte, & intuitu nostro facilem, ac pronum fore erga præfatum Patriarcham, repetitis salutis, ac felicitatis auspiciis, lumen Divinæ gratiæ Tibi ex intimo cordis apprecamur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 20. Junii 1702. &c.

Tria Brevia ad Imperatorem Sinarum sub eodem exemplo fuerunt consignata antedicto Patriarchæ Antiocheno, ut uno ex ipsis pro sua prudentia uteretur.

Primum scriptum usque ad verbum pervenias *inclusivè, in quo non fit mentio Patriarchæ, neque munusculorum, & concluditur felicitatis auspiciis*

Secundum, in quo fit mentio Patriarchæ tantùm, absque munusculis.

Tertium, in quo fit mentio Patriarchæ, & munusculorum, ut in præsenti exemplo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Archiepiscopo Goano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ubi Venerabili Fratri Carolo Thomæ Patriarchæ Antiocheno non suffragarentur amplæ Generis, ac virtutum prærogativæ ad demerendum Fraternitatis Tuæ animum, per se quidem in eos, qui hujusmodi decorantur, propensum, magnitudo ipsa charitatis, qua impellente alacriter suscepit arduam ad remotissimas partes profectionem, juxta munus Apostolici Visitatoris cum potestate Nostri, & hujus S. Sedis de Latere Legati eidem à Nobis injunctum, arctè ipsi voluntatem tuam conciliaret. Non itaque pluribus à Te contendimus, ut congrua honoris significatione, omnique ope, ac studio eidem adesse cures, cum planè speremus Te hac etiam occasione explicaturum esse, quo zelo pro Divini Nominis gloria, animarumque salute ferveas, & quàm constantem erga hanc S. Sedem observantiam profitearis. Superest, ut testimoniis benevolentiæ nostræ, quæ idem Præsul ad Te deferet, respondere intimos nostri cordis sensus omninò sibi persuadeat Fraternitas Tua, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Dilectis Filiis, Inquisitoribus Civitatis Goę.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Persuasum planè Nobis est Vos pro munere vestro ferventem adeò pro Catholicâ Religione zelum fovere, ut Vobis summoperè cordi sint ea omnia, quæ ad ejus stabilitatem, atque incrementum pertinere intelligitis. Cùm itaque ad Indias Orientales Visitatorem Apostolicum cum potestate nostri, atque hujus S. Sedis de Latere Legati, allegemus Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum, quem quantæ, præter generis claritatem, animi dotes exornent, ipsâ etiam suscepti alacriter pro Dei gloriâ, & animarum salute, demandantibus Nobis, tam ardui itineris, ac Ministerii ratio abundè declarat, omninò cupimus, ut Vos Filialis in hanc Sanctam Sedem, Nosque ipsos voluntatis, debitæque observantiæ omne eidem testimonium, tanquam immediato Nostro, ejusdemque Sedis Administro deferatis, deferrique per eos, qui authoritati vestræ subsunt, mandetis. Præclaram hanc occasionem respondendi partibus vestris, cumulandique merita apud Deum, ac demum conciliandi Vobis uberiùs Pontificiam nostram charitatem, Vos non dimissuros esse confidimus, & Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Venerabili Fratri, Archiepiscopo Manilæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Venerabilis Frater Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus constanti pridem pietatis studio, mox singulari hoc obsequentis animi testimonio, quo Visitatoris Apostolici munus, & arduum ad Sinarum regiones iter, demandantibus Nobis, suscepit, Pontificiam nostram charitatem usque adeò demeruit, ut gratissimam rem Nobis præstitisse meritò polliceri sibi possit, qui congruis honoris significationibus eumdem Præsulem exceperit, & omni ope juverit, quatenus tam pium desiderium, & tam Catholicæ Religioni salutare perficere valeat. Quâ in re confidimus Fraternitatem Tuam eo, quo par est, zelo complexuram esse occasionem explicandæ suæ in hanc Sanctam Sedem observantiæ, & conciliandæ sibi voluntatis nostræ, quam perpetuò in tua commoda paratam fore persuasum esse volumus Fraternitati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Episcopo Meliaporensi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, salutem &c. Nihil est, quod ingentes curas, quibus pro demandato Nobis, licet immerentibus, Apostolicæ servitutis onere, circumdamur, tam soletur, quàm ubi deprehendimus eos, qui in partem solicitudinis nostræ vocati sunt, diligenter in commissi sibi Gregis custodiâ excubare. Lætati proinde magnoperè sumus, ubi ex Ecclesiæ tuæ statu, quem ad Nos perferri curasti, percepimus, quâ vigilantiâ muneris tui partes implere cures, in quo pio proposito ut pergas, Te etiam atque etiam in Domino hortamur. Zeli etiam tui non vulgare specimen desumpsimus ex luculentis charitatis officiis, quibus pios Missionum Operarios, qui isthuc elapsis annis pertransierunt, Te excepisse novimus, quæ omnia in spem profectò certam Nos adducunt Te Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum, quem Visitatoris Apostolici munere decoratum ad Sinarum Imperium, & ad Indias Orientales allegamus, omni honoris, & debitæ in hanc Sanctam Sedem observantiæ significatione esse excepturum. Virtutes sanè, ac pietatis, & doctrinæ laudes, quibus præter generis prærogativas idem Præsul abundè instructus est, conciliabunt sibi omninò voluntatem tuam; Tu verò nostram hoc etiam nomine magis, ac magis demereberis, si desiderari ab eo opem tuam, quatenus perficere illa possit, quæ Ei demandavimus, non patieris; & Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Expeditionem Patriarchæ Antiocheni Visitatoris Apostolici ad Sinarum Imperium quatuor infra nominatis Vicariis Apostolicis in Indiis Orientalibus significat, eisque injungit, ut eumdem Patriarcham honorificè excipiant, illique sedulò adsint, quatenus susceptum gravissimum Ministerium utiliter obire possit.

Venerabilibus Fratribus, Jacobo Episcopo Aurensi, Raymundo Episcopo Olnensi, Ludovico Episcopo Sabulensi, Francisco Episcopo Bugiensi, Vicariis Apostolicis in Indiis Orientalibus.

Singulis eodem exemplo.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, salutem &c. Ubi ad universalis Ecclesiæ regimen Nos, licet immerentes, inscrutabile Dei judicium evexit, intelleximus singularem illam animi propensionem, quam pridem erga Fideles istarum partium, tanquam erga genus electum, & Populum acquisitionis, gerebamus, tum demum præcipuam nostram solicitudinem fieri, & ad Pastoralis Officii debitum quàm maximè pertinere eos perpetuâ, ac peculiari charitate complecti. Ut itaque vigilantię nostræ partibus in promovendi sem-

per

per magis ſpirituali ipſorum ſalute,ac in propagandâ latiùs iſthic Catholicâ Religione reſponderemus, habitâ maturâ rei deliberatione, Divinoque præſidio enixis precibus exorato, allegare decrevimus ad iſtas partes Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum, quem ſingulari integritate, pietate, prudentiâ, ac doctrinâ, præter generis præſtantiam, eſſe inſtructum dudum novimus, ut Provincias, ac loca iſta, in quibus Chriſtiana Fides colitur, vel per Se, vel per Delegatos ſuos authoritate noſtra diligenter luſtret, ac propterea munus Viſitatoris Apoſtolici, cum poteſtate noſtri, & hujus S. Sedis de Latere Legati, ipſi demandavimus, quod ille Miniſterium eo zelo, ea animi alacritate ſuſcepit, qua profectò ſolent, qui non ſua, ſed quæ Dei ſunt, inquirunt, & rebus omnibus humanis animarum lucrum, & Divini cultus incrementum præponunt. Fraternitatem itaque Tuam,quæ eodem deſiderio incenſa Evangelii,& Catholicę veritatis propagationi piè iſthic, ac ferventer dat operam, hortamur, & pro eâ, quam in hanc Sanctam Sedem, Noſque ipſos devotione, atque obedientia, profitetur, eidem injungimus, ut præfato Patriarchæ Fraternâ charitate,& congruis Perſonæ, quam ipſe gerit, honoris ſignificationibus, omni prætereà ope, ac diligentiâ adeſſe curet, quatenus Miniſterium præfatum juxta eas, quibus à Nobis ampliſſimè communitus eſt, facultates probè, & utiliter, benedicente Domino, obire, & tanti laboris per Eum ſuſcepti fructum, quo fieri poterit, ampliorem valeat referre. Cœterum de Pontificia noſtrâ benevolentiâ luculenter ab eo certior fies, nec ambigimus, quin maximum in eis, quæ attinent ad promovendum unanimi omnium voluntate pium Miſſionum opus, in Ejus probitate, atque prudentia præſidium nanciſcaris. Fraternitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabilibus Fratribus, Bernardino Epiſcopo Pechinenſi, Alexandro Epiſcopo Nanchinenſi, & Joanni Epiſcopo Macaonenſi. *Singulis eodem exemplo.*

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Par eſt, ut Paſtor, & oves mutuâ vocis agnitione invicem ſe ſolentur, ut communi ſpe confirmati, & erecti alacriùs, benedicente Domino, in viam ſalutis incedant. Sanè cum Nos Fidelibus iſtis præſentes fieri,quæ eſſent vota noſtra, non valeamus, allegandum iſthuc à Nobis eſſe duximus aliquem, qui tum illos, qui ad Catholicæ Matris gremium confugere meruerunt, tum eos, qui Miniſterio Dei, & evangelizando verbo ipſius piè, ac ſalubriter dant operam, noſtro nomine conveniat, & utriſque amoris noſtri teſtimonia explicet, ac ſpiritualem eorum neceſſitatibus opem authoritate noſtrâ peramplè communitus afferre ſatagat. Delegimus itaque ad hoc Munus Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum multis, præclariſque tum generis, tum animi dotibus, ſed ſingulari in primis pietate, doctrinâ, ac prudentiâ inſtructum, cui Viſitatoris Apoſtolici munus cum poteſtate noſtri, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legati demandavimus; In Eo enim, qui infirmitatem noſtram miſericorditer regit, confidimus quòd in magnam iſtarum animarum utilitatem cedere omninò poſſit diligens, & accurata, quam ille, vel per ſe, vel

per

per Delegatos ſuos habere debet, electi iſtius Gregis inſpectio. Quia verò de zelo, ac charitate, nec non de ſpectatâ Fraternitatis Tuæ in hanc Sanctam Sedem, Noſque ipſos, devotione, & obedientiâ plurimum Nobis pollicemur, Te prorsùs hortamur, atque monemus, ut eidem Patriarchæ diligenter adeſſe cures, quatenus Miniſterium ſuum implere, ſalutaria conſtituere, & uberem ſuſcepti per eum laboris fructum percipere poſſit. Illud etiam de tuâ in Nos obſequenti voluntate confiſi à Te petimus, ut ſi quid fortè rebus tuis commodum, aut Miſſionum incremento proficuum, aut demum ad retinendam inter Operarios perpetuam charitatem, Religionis propagationi adeò neceſſariam, opportunum eſſe judicaveris, id omne præfato Patriarchæ liberè explices; magnum enim ab ejus integritate, ac conſilio præſidium profectò referes. Et Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabilibus Fratribus, Carolo Epiſcopo Cononenſi Vicario Apoſtolico Provinciæ FOKIENSIS, nec non Alvaro Epiſcopo Aſcalonenſi Vicario Apoſtolico Provinciæ Kiangſi, & Carolo Epiſcopo Androvillenſi Vicario Apoſtolico Provinciæ Queicheu. *Singulis eodem exemplo.*

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Cùm nemo eorum, qui verum Deum per veram Fidem agnoſcunt, magno quamvis intercedente Terrarum ſpatio, tam diſſitus loco à Nobis ſit, quin Paterno noſtro cordi charitate proximus efficiatur: Nos ut Chriſtianis Fidelibus in remotiſſimis Indiarum partibus commorantibus perſpectum ſit, quàm peculiari, & intimâ dilectione eos complectamur, & quàm cupiamus eorum neceſſitatibus occurrere, Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate noſtri, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legati deputavimus Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum, tot ſanè virtutibus, præter generis præſtantiam, ornatum, quot opus eſſe intelleximus eis, qui tantum Munus noſtro nomine iſthic obire debet. Nec ambigimus, quin Fraternitas Tua noſtro innixa judicio idem prorsùs de eo ſentiat, reipsâ perceptura, ubi ejuſdem Patriarchæ integritatem, pietatem, doctrinam, atque prudentiam introſpexerit. Hinc eſt, quod libenter à Te petimus, ut ipſi ope tua, omnique ſtudio, & iis, quibus par eſt, obſequentis Nobis, & devoti huic Sanctæ Sedi animi ſignificationibus adeſſe cures in luſtrandâ iſta Provinciâ perſpectæ tuæ vigilantiæ commiſsâ juxta præfatum munus, quod ei demandavimus, & peramplas facultates, quibus eum communivimus; cum enim probè ſciamus, quo zelo Divini Cultus incrementa, & Animarum lucra nullo laborum aſpectu territus inquiras, à Te omni fraterni amoris officio exceptum iri confidimus Eum, qui pari ſtudio incenſus Dei gloriam difficultatibus omnibus, atque periculis, voto, ac voci noſtræ alacriter obſecutus, præpoſuit. Dum autem ab eo de noſtrâ in Te benevolentiâ certior fies, viciſſim cupimus, ut fidenter ipſi explices ea omnia,

quæ tum Tibi, tum iſtarum Miſſionum utilitati, tum demùm expedire duxeris ad augenda ſemper magis inter eos; qui in iſtis partibus Miniſterio Dei incumbunt, fraternam charitatem, à quâ magnâ ex parte pendere fructum optatum arbitramur; & Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſima Junii 1702. &c.

Pro Epiſcopo Cononenſi poſt verba nullo laborum *fuerunt adjuncta verba* nullo etiam moleſtiarum, aut injuriarum, *eò quòd idem Epiſcopus tunc injuriis affectus fuerat &c.*

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis Vicariis Apoſtolicis, Philiberto le Blanc Provinciæ Junan, Petro Alcalà Provinciȩ Checkiangh, Baſilio à Glemona Provinciȩ Xenſi, Antonio Poſſaterio Provinciȩ Xanſi. *Singulis eodem exemplo.*

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Siqua conſolatio in Chriſto, ſiquod ſolatium charitatis exquirendum à Nobis eſt inter graviſſimas curas, quas ob præſentes Chriſtianæ Reipublicæ calamitates perferimus, oportet, ut mentis oculos convertamus ad ſpem fructus Nobis propoſiti in Sacerdotali eorum zelo, qui ut Populos in tenebris errantes ad ſemitam lucis, ac veritatis per ipſa ſua veſtigia perducerent, ad remotiſſimas iſtas Orbis partes, nullo territi periculo, nullâ victi difficultate ſe contulerunt. Quoties enim hoc Nobiſcum reputamus, mœrorem noſtrum magna ex parte detergimus, & intimâ quadam conſolatione refecti ſpecioſos eſſe dicimus Evangelizantium pedes, qui nedum ambulant in lege Domini, ſed eam ipſam, quam rectè ineunt, ſalutis viam aliis etiam diligenter oſtendunt. Hos ſanè Paterno amore complectimur, nihilque tam cupimus, quàm eorum neceſſitatibus adeſſe, & Pontificiæ authoritatis præſidium piis ipſorum ſtudiis, atque laboribus afferre. Quo fit ut Tibi, Dilecte Fili, teſtimonia benevolentiæ noſtræ mittamus per Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum, quem eadem erga proximum numquam ſatis laudatâ charitate incenſum, præclariſque pietatis, ac doctrinæ dotibus, præter generis ſplendorem, ornatum, Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate noſtri, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legati deputavimus, atque iſthuc volentem, lubentemque allegamus. Erit itaque filialis tuæ in eandem Sanctam Sedem obſervantiæ Præſulem ipſum multis ſanè Nominibus Nobis apprimè charum, & ob præfatas inſignes animi prærogativas, munuſque eidem à Nobis cum ampliſſimis facultatibus injunctum omninò ſpectabilem ita excipere, ut integram fidem, debitamque obedientiam ipſi adhibeas, deinde verò ſtudium, opemque tuam eidem in luſtratione iſtius provinciæ, quàm noſtro nomine obire debet, adjungere, ut eò magis deſiderium promovendi Divini Cultus, nec non perpetuò benemerendi de Pontificiâ noſtrâ charitate teſteris. Quia verò nihil tam conducere poteſt ad incrementum fidei, quàm ut omnes, qui evangelizando Dei verbo dant operam, id ipſum invicem ſentiant, & arctiſſimo fraternæ

charitatis vinculo jungantur, confidimus Te, ceterosque omnes, qui sacrum hujusmodi Ministerium susceperunt, collatis in hunc scopum studiis suis, & advocatâ in consilium (quatenus opus sit) eximiâ ejusdem Patriarchæ prudentiâ, curaturos esse, ut nullo jam Nationum, aut Instituti discrimine, uno ore, & unanimi voluntate honorificetur Deus, & Christiana veritas propagetur; quod Nos ipsi assiduis precibus ab ipso bonorum omnium Authore efflagitabimus, ac interim Tibi, Dilecte Fili, amoris nostri solidum pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Arturo Episcopo Rosaliensi Vicario Apostolico Provinciæ Suchuensis.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ut semper magis lætari possimus, Vineam illam, quam Dominus suâ dexterâ plantatam, & sui Sanguinis pretio reparatam, Nobis, licèt immerentibus, custodiendam tradidit, palmites suos usque ad mare, & ultra ejus terminos propagines suas latiùs in dies, atque feliciùs extendere, vigilantiam planè singularem in eâ lustrandâ adhibendam Nobis esse intelligimus. Quod cum ipsi oculis nostris perficere non valeamus, probato Nobis, atque perspecto alterius zelo uti decrevimus. Venerabili itaque Fratri Carolo Thomæ Patriarchæ Antiocheno dignis claritate generis moribus ornato, singulari præsertim pietate, atque doctrinâ prædito, Visitatoris Apostolici Munus cum facultate nostri, & Sanctæ Sedis de Latere Legati demandavimus: quem propterea à Fraternitate Tua præcipuis charitatis officiis, debitisque testimoniis animi planè obsequentis Nobis, atque eidem S. Sedi, cujus authoritate peramplè munitur, excipi cupimus; sed illud in primis Nobis cordi est, ut in lustratione istius Provinciæ, quæ eximiæ tuæ vigilantiæ commissa est, diligentiâ, studio, ac ope tuâ ita ei adesse cures, ut quo majori fieri poterit fructu, & Fidelium istorum utilitate perficiatur. Interim verò de virtute tuâ præclarè semper sentientes, ac memores, quò animo terrena omnia pro inquirendo Divini cultus incremento abjeceris, confidimus Te unâ cum reliquis, qui in electâ istâ Dominicæ Vineæ parte piè laborant, operam daturum, ut ex mutuâ inter Vos voluntate, ubique constet fuisse Vos pariter à supremo Patre Familias vocatos, ac sub eadem mercede conductos, singulosque eodem desiderio incendi, ut integritas, & opulentia fructus communi Domino asservetur. Quod planè exoptandum est, ne fortè contingat, ut scisso Operariorum consilio, diripiant Vineam alieni, & vindemient eam, qui prætergrediuntur viam. Hoc verò eò libentiùs Tibi innuimus, quò ampliora speramus à perspectâ pietate, & egregiâ in Nos voluntate Fraternitatis Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Junii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Cæsareum patrocinium conciliaturus Religioso Viro Davidi à S. Carolo, quem adjuvandas Orientalium Catholicorum in Turcica Ditione afflictorum rationes Constantinopolim allegare decreverat, eum in scopum Cardinalis à Kolonitz officia, ac opem exquirit.

Dilecto Filio Nostro, Leopoldo Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbytero, S. R. E. Cardinali à Kolonitz nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Cùm planè Nobis constet, quantâ consilii tui gravitate, pietate, atque prudentiâ, officiis, ac dictis tuis authoritatem conciliaveris, enixè cupimus, ut solicitudini nostræ vim, ac pondus eximii tui zeli, prout verè postulat momentum rei, de quâ ad Te scribimus, adjungas. Abundè siquidem perspectum Tibi esse arbitramur, quòd Majestas Cæsarea in vim ejus Tractatus, quo Turcis inducias, ut res tunc ferebant, indulsit, pro insigni animi sui Religione curavit edi in illis partibus publicum Mandatum, per quod perpetuò restitutos fore tum suæ Sedi Venerabilem Fratrem Patriarcham Nationis Syriacæ,tum pristinæ libertati Christianos omnes in Turcicâ Ditione commorantes, Infideles illi solemniter in se receperunt. Verùm non multò post præfatus Patriarcha ab ipsâ Sede, quàm annuentibus Othomanæ Aulæ Administris, receperat, inopinatò depulsus, tamquam mancipium fœdissimè vapulavit, ac in squallentem carcerem unâ cum Archiepiscopo ejusdem Nationis, aliisque Ecclesiasticis Viris est detrusus; mox etsi ætate confectus, longo itinere exilii locum adire, plerumque pedes, aut equo transversim alligatus, compulsus est, ubi demùm æquè duræ custodiæ traditus extremos vitæ dies miserrimè traducit (si tamen vivit); nam compertum est, Archiepiscopum itineris, ac ærumnarum socium alterâ,postquam illuc pervenerat, horâ obiisse. Reliqui verò Christianorum, qui suo malo eas partes incolunt, tot & tam gravia in dies onera perferre coguntur, ut multi eorum (quod valdè dolendum est) à Catholicâ Fide ad partes Infidelium transfugiant, & Mahometanam superstitionem deterrimo sanè consilio complectantur. Hæc, quæ procul dubio non sinè lachrymis, intimoque doloris sensu Majestati Cæsareæ exponentur, piissimum ejus animum justâ, ut confidimus, indignatione tactum,solicitum reddent de iis ineundis consiliis, quibus Barbari illi sævire, datamque Catholicis Principibus, sibique in primis fidem infringere dediscant. Nos interim illis rebus commodum fore duximus, ut Dilectus Filius Religiosus Vir David à Sancto Carolo Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Constantinopolim adeat; præter enim probatam pietatem, ac in rebus agendis dexteritatem, quâ præstat, novit is optimè earum Gentium mores, nedum quia apud eas natus, & enutritus, sed quia postquam etiam miserentis Dei beneficio, tam pio Instituto adscribi meruit, eò aliàs se contulit, & temporalem, ac spiritualem opem Fidelibus illis, non inutili quidem conatu, afferre curavit. Quòd si Cæsareæ authoritatis munimine, ut summoperè optamus, instruatur, præsidium aliquod in tam afflicto rerum statu, aut saltem solatium ingens afferre posse arbitramur. Tu itaque, quo es in Orthodoxam Religionem animo, ac in Nos

voluntate, curam hanc cæteris nostris sanè gravissimis superimpositam relevare omni studio, ac diligentiâ contende, dignamque rem munere tuo; ac, quod caput est, Deo Optimo Maximo gratissimam Te facturum scias; Tibique, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesimâ quartâ Junii 1702. &c.

ARGUMENTUM

Officia, quæ Pontifex adhibuerat, ut Polonici Regni perturbatio sedaretur, Regi Poloniæ non leviter profuisse lætatur, eumque ut Principi Nato suo Catholicos Præceptores adjungere nequaquam differat, iterum vehementer hortatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Intimum illum dolorem, ingentemque solicitudinem, quibus pro periculi gravitate commoti fuimus, ubi palàm, ac temerè, militarique impetu oppugnari Majestatis Tuæ, inclytæ istius Reipublicæ, & magnâ ex parte Catholicæ Religionis dignitatem, libertatem, atque authoritatem audivimus, excitavit quidem in Nobis Pontificiâ vigilantiâ, sed peculiaris nostræ in Te charitatis magnitudo summoperè adauxit. Idcircò rem prorsùs gratam Nobis attulerunt literæ, à quibus percepimus profuisse non leviter ad convertenda isthic multorum consilia in communem causam paterna nostra officia omni solertiâ, ac studio à Venerabili Fratre Francisco Archiepiscopo Tarentino nostro nomine explicata, cujus etiam operâ incendi semper magis zelum Dilecti Filii Nostri Cardinalis Radzieovvski ad promovendam Regni istius tranquillitatem libentissimo animo intelleximus. Validiorem interim opem, hoc est, Cœlestem, sinè qua frustra consilia humana parantur, fusis ad Deum precibus Tibi, rebusque tuis exorare curavimus, confisi Te quoque Nobiscum intellecturum esse, quòd, ingruente calamitate, spes omnis à fideli corde in Eo locanda sit, qui propè esse solet invocantibus Eum in veritate. Dum itaque, Charissime Fili Noster, tam iniquis conatibus virtute tuâ fortiter obsistere paras, supernum auxilium non tam enixis votis expetere, quàm prono, ac syncero in Deum cultu demereri ne prætermitte, ac seriò expende non esse jam ulteriùs à Te protrahendum illud obsequentis voluntatis testimonium, quod tuis verbis innixi assiduè præstolamur, ut scilicet quamprimùm velis Principis Filii tui animum piè erudiri, & ad Catholicæ Fidei, & Disciplinæ regulas efformari; necesse est enim, ut eò citiùs salutaribus præceptis imbuatur, quò vividior spiritus in pueris generosæ indolis antevertere solet ætatem. Erunt tum ea, quæ pari affectu in præsens scribimus, argumento Tibi Nos, sive consilia ad Te nostra, sivè petitiones, ac preces, quas ad Nos defers, ea semper lege expendere, ut Paterno prorsùs more nihil aliud, aut optare, aut statuere valeamus, nisi quod ad tui nominis commendationem, vel ad tui Regni felicitatem, vel demum, quòd caput est, ad spiritualem tui ipsius utilitatem pertinere arbitramur.

mur, & Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Julii 1701. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

ARGUMENTUM

Cardinalem le Camus rigidiori victus ratione, adeòque minùs commodâ valetudine utentem paternè hortatur, ut eâ in re modum ſervet, quem utriuſque Medici conſilio probari dignoverit.

Dilecto Filio Noſtro, Stephano Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum Presbytero, S.R.E. Cardinali le Camus nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Quod paternâ, ac ſyncerâ noſtrâ charitate dictante, ad Te in præſens, Dilecte Fili Noſter, perferimus, officium, illud, quemadmodum à corde noſtro proficiſcitur, ita eo animo à Te exceptum iri confidimus, quo ſoles in Nos eſſe, hoc eſt planè noſtri ſtudioſo, & perficiendi ea, quæ in Domino expetimus, intimè cupido. Perlatum ſiquidem ad Nos eſt Te à nonnullis menſibus minùs commodâ valetudine uti, quod ſanè permoleſtè tulimus, & nihilominus tantùm tuæ vitæ, atque ſalutis contemptum ubique præferre, ut quæ ipſi ſaluti confirmandæ, in ciborum præſertim delectu, obeſſe maximè poſſunt, ea tanquam, quæ ad promovendam tui corporis afflictionem, quàm ſemper inquiris, conducere exiſtimas, à Te quotidiana conſuetudine adhibeantur. Etſi autem Ii non ſimus, qui voluntariam corporis propter Deum caſtigationem, & indictum eidem bellum oppugnare velimus, aut debeamus, præſtare tamen intelligimus defectis viribus cogitare de induciis, ut acriùs aliquando detur inſurgere. Collaudato itaque deſiderio, quo incenderis, cumulandi tua apud Deum promerita, cum tamen incolumitatem tuam ad promovendam in dies magis Divini nominis gloriam fore valdè proficuam arbitremur, Te in Domino hortandum eſſe duximus, ut eum modum in re hujuſmodi ſerves, quem utriuſque Medici conſilio probari dignoveris, atque in victus, ac ceterarum rerum, quæ humanæ infirmitati neceſſariæ ſunt, ratione ita temperes, ut ſi fortè gregis Tibi commiſſi ſpirituali utilitati apud inſcrutabile Dei judicium expediat, ut onus, quod portas, adhuc perferas, laborem diutius ſuſtinere paratus ſis. Supervacaneum autem eſſe duximus Tibi, qui ſacrarum literarum ſtudiâ aſſiduâ Cœleſtium rerum meditatione excoluiſti, in mentem revocare, præcipuam illam eſſe inter ceteras Chriſtianæ perfectionis virtutes, quâ pronum in Dei voluntatem cordis noſtri obſequium exhibemus, nihilque, niſi quæ ei ſunt placita, exoptamus, nec magis exquirendæ vitæ, quàm appetendæ mortis deſiderio intùs agimur, ſed utriuſque decretum ab Eo, in cujus manu repoſitum eſt, humiliter præſtolamur. Excitare etiam te debet commune creditæ Tibi Eccleſiæ votum, quæ indeſinenter, & anxiè ſoſpitatem tuam à Deo poſtulat; cujus Nos Eccleſiæ ſolicitudinem Tecum portantes, hæc Tibi eo amore ſignificanda eſſe duximus, quo Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 12. Septembris 1702. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Gratum profitetur animum erga Thomam de Endaya in Insulis Philippinis Regium Officialem, quòd Missionarios Apostolicos perhumaniter foverit, eique Patriarcham Antiochenum illac pertransiturum enixè commendat. Demum Emanueli ejus nato Decanatum Palentinæ Ecclesiæ contulisse significat.

Dilecto Filio, Thomæ de Endaya in Insulis Philippinis Castrorum Præfecto Generali.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, salutem &c. Etsi confidere debeas, quòd illa pietatis officia, quæ, ad cumulanda tua apud Deum promerita, superioribus annis liberaliter exhibuisti piis Missionum Operariis, qui isthac pertransierunt, retributorem profectò non immemorem, neque illiberalem in Cœlis sint aliquando habitura; perspectum tamen Tibi esse volumus Pontificiam nostram charitatem esse hoc etiam nomine in Te inclinatam, ac fore semper in tua commoda paratam: Nosque interim non omisisse debitis laudibus virtutem tuam apud Catholici Regis Majestatem commendare. Ceterum nova religiosæ voluntatis tuæ proferendæ, & filialis in hanc Sanctam Sedem observantiæ explicandæ Tibi suppetet occasio, prętereunte pariter per istas partes Venerabili Fratre Carolo Thoma Patriarcha Antiocheno, quem ad Sinarum Imperium tendentem, ac Visitatoris Apostolici munere decoratum, ut omni ope, ac studio, quantùm res feret, & ejusdem profectionis ratio postulabit, juvare velis, etiam, atque etiam à Te petimus. Quod gratum admodum Nobis erit, qui eumdem Præsulem Divini cultus, & Catholicæ Religionis incrementa curaturum nullo medio, quo ad id pervenire possit, destitui peroptamus. Interim verò, ut Tibi, & omnibus publico argumento innotescat, quanti Te faciamus, inspectis laudabilibus animi dotibus, quibus Dilectus Filius Emanuel natus tuus, miserentis Dei beneficio, præstat, Eum nedum benignè Nos adeuntem excepimus, sed, posthabitis officiis etiam præcipuis aliorum favore ad Nos delatis, ipsi Emanueli Decanatum, primam Dignitatem Ecclesiæ Palentinæ, libenti animo contulimus, ut ex hoc etiam propensionem Paternæ nostræ voluntatis agnoscas, Dilecte Fili, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 7. Octobris 1702. &c.

ARGUMENTUM

Ducem Neoburgi S. R. I. Principem Electorem hortatur, ut fortiter obsistat Protestantium Germaniæ conatibus, qui quartum Risuvicensis Pacificationis Articulum, Catholicæ Religioni propitium, abrogari contendebant.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Etsi nullo modo adduci possimus, ut credamus tam facilè nunc demùm fore, quàm multi arbitrantur, ut Protestantes Germaniæ hæretici animum Cesareæ Majestatis inducant ad eas suscipiendas, probandasque conditiones, quas ipsi (ne ullum ulteriùs superesset vestigium qualiscumque rationis habitæ in Tractatu Risuvicensi Catholicæ Religionis) excogitarunt, diùque, & acriter, tamquam eidem Religioni adversantes, atque perniciosas promoverunt, rati opportunam rebus, votisque suis ab hoc rerum, temporumque statu sanè luctuoso affulgere occasionem, ea tamen est negocii ipsius gravitas, ut solicitudo nostra, vel hoc incerto rumore excitata, conquiescere non possit. Quò fit, ut Nobilitatem Tuam, de cujus constanti zelo præclarè semper Nobis in Domino pollicemur, omni studio hortemur, atque obtestemur, ut nulli operæ, labori, aut diligentiæ parcere velit, curetque, ne hujusmodi conatus ad exitum perducantur, nevè aliquid contra id, quod favore Orthodoxæ Fidei inductum est, statuatur. Nec interim leve Nobis benè, rectèque sperandi fundamentum ab eximiâ etiam, perspectâque Nobis ipsius Cæsareæ Majestatis pietate suppetit; confidimus enim eandem probè intellecturam esse, quantùm afflictis Catholicorum rebus detrimentum inde consequi possit. Pluribus verò idem propositum apud Nobilitatem Tuam non urgemus, cum satis esse arbitremur Eidem innuisse, quantùm inde Dei Causæ periculi imminere posset, Eidemque interim auspicium diuturnæ felicitatis deferimus, & Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Octobris 1702. &c.

ARGUMENTUM

Venetæ Reipublicæ, insignium ejus meritorum intuitu, indulget, ut ab ipsâ Præsentati ad Metropolitanas, vel Cathedrales Ecclesias in Regno Peloponnesi, examen in Urbe subire, ibidemque Consecrationis munus suscipere minimè teneantur; ita tamen, ut super qualitatibus, & requisitis Præficiendorum consuetus Processus à Nuncio Apostolico Venetiis pro tempore existente conficiatur.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Digna planè est, quæ à Pontificia charitate non modò debitas in Domino laudes, sed publica etiam, atque præcipua benevolentiæ testimonia referat, inclyta ista Respublica, quæ validissimum adversùs Christiani Nominis hostes propugnaculum semper extitit, efferatæque Nationis veteri, ac iniquo in omnes Christifideles odio animatæ minas, atque conatus strenuâ suorum Civium virtute, plurimoque auri, ac sanguinis dispendio coercuit, idque demum nostrorum hominum memoriâ obtinuit, ut Barbari illi, qui fines suos insidiis, atque rapinis semper magis protendere consueverunt, multas, easque insignes Regiones, non sinè immortali Veneti Nominis gloriâ, vi adacti deserere, vel quod nunquam antea didicerant, majorum malorum metu, ad obtinendas inducias dimittere compulsi fuerint. Quæ quidem eximia istius Reipublicæ promerita Nobiscum repetentes, & probè conscii, quæ sit filialis Nobilitatum Vestrarum erga hanc Sanctam Sedem observantia, libenti animo preces, quas vestro nomine Dilectus Filius Joannes Franciscus Maurocenus Orator apud Nos Vester Nobis detulit, exaudivimus, benignè declarantes, ac quatenùs opus sit, indulgentes, ut Dilectus Filius Religiosus Vir Angelus Maria Carlinus Ordinis Sancti Dominici à Vobis vigore Jurispatronatus à fel. record. Alexandro VIII. Prædecessore Nostro, eorumdem vestrorum promeritorum intuitu, Vobis concessi ad vacantem Ecclesiam Corinthi in Regno Poloponnesi Nobis præsentatus, immunis sit, ac esse debeat ab eo examine, quod juxta Constitutionem rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris item nostri hìc in Urbe habetur, & quod minimè subire solent ii, qui ad remotiores ab eadem Urbe Ecclesias sunt promovendi. Idcircò etiam volumus, quòd nostra hujusmodi Declaratio, seu Indultum (attentâ præfati Regni distantiâ) Successoribus in eadem Ecclesiâ tum quoad prædictum effectum, tum etiam quoad eosdem eximendos à suscipiendo hìc in Urbe Consecrationis munere suffragetur, itaut occasione promotionis ad Ecclesiam prædictam nullatenùs ad eandem Urbem accedere teneantur. Quin etiam ad explicandam semper magis Paterni nostri in Vos amoris propensionem, Vosque magis incendendos zelo propagandi Catholicam Religionem, Divinique Nominis Cultum, volumus insuper, ut si de cetero aliàs in supradicto Peloponnesi Regno Metropolitanas, seu Cathedrales Apostolicâ authoritate jam erectas, seu in posterùm quandocumque erigendas Ecclesias, adimpletis iis, quæ memoratus Alexander Prædecessor præscripsit, à Vobis dotari contigerit, illi, qui in Archiepiscopos, seu Episcopos, & Pastores hujusmodi Ecclesiis ad præsenta-

tionem vestram in vim memorati Jurispatronatus præficientur, ab eodem subeundi examinis, & suscipiendæ in Urbe consecrationis onere perpetuò liberentur, ac liberi esse censeantur, ita tamen, ut de eorumdem in dictâ Ecclesiâ Corinthiensi Successorum, sicut etiam de præfati à Vobis ad eam nunc præsentati, atque de aliorum Ecclesiis, ut supra dotandis Præficiendorum qualitatibus, ac requisitis, ipsarumque Ecclesiarum statu coram moderno, ac pro tempore existente Apostolico apud Vos Nuncio Processus, servatis ceteroqui servandis, de more conficiatur. Quæ sanè omnia argumento Vobis erunt, quanti faciamus Nobilitates Vestras, quibus interim veram, solidamque felicitatem à Domino apprecamur, & Apostolicam eisdem Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 21. Octobris 1702. &c.

ARGUMENTUM

Infelicem Polonici Regni conditionem impensè dolet, & sacros illius Præsules, ut ad publica componenda dissidia diligenter incumbant, ac Divinam in primis ad id opem sibi conciliare studeant, hortatur.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis Regni Poloniæ, ac Magni Ducatus Lithuaniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabiles Fratres, salutem &c. Afflictum inclytæ istius Reipublicæ statum, & parata adversùs eandem, ut videre est, Divinæ iræ flagella paternis oculis, non sinè intimo dolore, spectantes, memoresque quanto olim zelo Fidelium illorum, præsertim verò Ecclesiasticorum corda incenderentur, ubi vel in minimum discrimen cum Patriæ tranquillitate Catholicæ Religionis cultum adduci viderent, perpendentes autem vicissim, quàm in præsens eorundem charitas in communi isto, ac gravissimo periculo refrigescere videatur: postquam diù, multùmque præsentium malorum causas Nobiscum perscrutati sumus, fateri coacti sumus diem tandem advenisse, quo Deus statuit visitare in verberibus peccata Populorum, eò quòd dereliquerint legem ejus, & mandata ipsius non custodierint. Porrò licet hęc ipsa cogitatio amaritudinem animæ nostræ supramodum cumularet, de misericordiâ tamen Illius, qui propitiabilis est super malitiâ hominum, meritò confisi, vigilantiam, ac zelum vestrum, Venerabiles Fratres, adjungere solicitudini nostræ decrevimus, quatenùs Fideles curæ vestræ crediti, Pastorali vestrâ voce admoniti, intelligant adeundum sibi esse Thronum Omnipotentis clementiæ ad exorandam in primis peccatorum veniam, mox etiam ad implorandam Regni istius necessitatibus cœlestem opem, sinè qua frustra semper consilia humana laborant. Verùm quia nemo magis hortatione sua proficit, fructumque uberiorem colligit, quàm qui ceteris suo exemplo præire non renuit, pertinet in primis ad uniuscujusque vestrum Officium ad eam morum pietatem, atque integritatem Vos ipsos conformare, quæ eos, qui authoritati vestrę subsunt, vel solo intuitu erudire, & per viam salutis post ipsa vestra vestigia facilè perducere possit, quòd si hac occasione omnes zeli vestri partes implere non satageritis, earum calamitatum, quibus Regnum istud in præsens

tam

tam vehementer impetitur, illarumque etiam, quæ impendere eidem facile possent, Authores quodammodò diceremini, multò acriùs, multòque ęquiùs hanc notam subituri, ubi quis Vestrum (quod Deus perpetuò avertat) zizania superseminantibus adstipulari quoquomodò videretur. Quod ne cogitare quidem de ullo eorum, qui Venerabili isti Ordini adscribuntur, patitur virtus vestra, & charitas, qua Fraternitates Vestras in Domino complectimur, sed imò commune bonum singulis cordi fore confidimus, & Vos insimul curaturos esse, ut in hunc scopum Populorum omnium studia, preces, ac vota dirigantur. Hinc ad incendendos eò magis eosdem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Populos ad conquirenda per salutarem pœnitentiam opportuna in his urgentissimis necessitatibus Divinæ opis remedia, Cœlestium gratiarum dispensationi nostræ divinitùs creditarum thesauros largâ manu proferre decrevimus, quemadmodum ex alio Diplomate, quod expediri jussimus, agnoscent Fraternitates Vestræ, quarum interim partes erunt Greges sibi commissos hortari, ut hujusmodi thesauros lucrandi occasionem non dimittant, Nosque idem à Deo humiliter assiduis precibus expostulabimus, & Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Octobris 1702. &c.

ARGUMENTUM

Ut Hæreticis ea, quæ favore Catholicæ Fidei in Risuvicensi pacificatione sancita fuere, abrogari conantibus authoritatem, zelumque suum fortiter opponat, Archiepiscopum Salisburgensem hortatur.

Venerabili Fratri, Joanni Ernesto Archiepiscopo Salisburgensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Excubare, quemadmodum pro munere Nobis desuper commisso Nos oportet, profectò non videremur, si ea, quæ in detrimentum Catholicæ Religionis isthic nunc temporis parari dicuntur, quasi Nos laterent, solicitudinem nostram non incenderent. Fertur enim ubique Protestantes Germaniæ hæreticos, qui arcu semper intento occasiones infligendi nova vulnera orthodoxæ fidei diligenter inquirunt, eam arripuisse, quam perturbatus Christianæ Reipublicæ status illorum insidiis opportunam offerre videtur, ac in præsens omni studio contendere, ut siquid favore Catholicorum, qualecumque illud sit, in tractatu Risuvicensi sancitum est, id demum aut revocetur, aut contrario usu aboleatur: quod sanè impetrare posse non desperant, ubi hanc iniquam conditionem ceteris, quæ vicissim ab eis exquiruntur, anteferant. Quod quàm intimo dolore Nos conficiat, facilè pro eximiâ suâ prudentiâ intelliget Fraternitas Tua, cum Dei causam cum humana quasi ex æquo conferri, & ubi id obtineant Hæretici, quod contendunt, eidem manifestè posthaberi conspiciamus. Flagrare itaque inclytum zelum Fraternitatis Tuæ hac etiam occasione vehementer cupimus, & quoniam eâ es Dignitate, atque apud omnes auctoritate, ut meritò ubique exaudiri debeas, consiliorum tuorum pietate, ac gravitate id age, ac perfice, ut hujusmodi conatus evertantur, ne fortè insultent Nobis hostes fi-

dei, & dicant, quod cum ipsi talia, ac tanta adversùs Catholicos molirentur, acriterque urgerent, non fuerit, qui clypeum horum favore protenderet, illosque ab ipsorum insidiis tutaretur. Hæc autem pluribus apud Fraternitatem Tuam non prosequimur, cum omninò persuasum habeamus Te tuâ sponte incitatum stimulis non egere, ut Dei honorem promoveas, & tam necessario tempore adesse cures Catholicorum partibus; memorem tamen Te esse cupimus Te laudem inde singularem à probis rerum æstimatoribus, non interituram verò mercedem à Deo assecuturum esse, remque Nobis omni ex parte gratam esse præstiturum; & Fraternitati Tuæ cum multo felicitatis auspicio Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Octobris 1702. &c.

ARGUMENTUM

Pristinam concordiam inter Regem Christianissimum, & Venetam Rempublicam redintegrari curat, & ad id Majestatem Suam impensè hortatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Cum omninò persuasum habeamus Majestatem Tuam proferendæ ingenitæ magnanimitatis occasiones omnes libenti semper, ac verè Regio animo complecti, grata eidem, atque accepta fore confidimus testimonia constantis, perpetuæque in ipsam voluntatis fusè explicata in literis, quas omni studio, atque officio erga Te, Dignitatemque tuam refertas Venetæ Reipublicæ Senatus ad Te suo nomine deferri mandat, ut per eas Tibi luculenter declaret Rempublicam ipsam, dum non ita pridem pœnas per leges constitutas de quibusdam sontibus sumendas esse duxit, nihil prorsùs, quod Tibi minùs gratum accidere posset, decernere, aut exequi cogitasse. Quia verò satis superque Nobis compertum est, quàm rectâ, ac sincerâ mente hos ad Te sensus gravissimus ille Senatus direxerit, & quàm ille idem optet semper magis animum tuum demereri, Nos non tam pro Paterna nostrâ in eandem Rempublicam de Catholica Religione tot nominibus probè meritam charitate vehementer cupimus, quàm pro ea, quam de eximia tuâ æquitate gerimus, opinione planè speramus Majestatem Tuam, exploratâ tam liquidò ipsius Reipublicæ voluntate, veterem benevolentiam, qua illam semper prosecuta est, retenturam esse, & publici etiam boni, quod adeò Tibi cordi est, singularem rationem habituram, cùm facilè sit spectatæ tuæ prudentiæ intelligere, quantum communis salutis intersit, ne multis, ingentibusque calamitatibus, quibus nimiùm in præsens afflictæ Italiæ Populi divexantur, per nova dissensionum semina cumulus addatur. Parem interim piis tuis votis cum diuturna incolumitate felicitatem precamur Majestati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 6. Novembris 1702. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Petit à Duce Lotharingiæ, ut eos, qui in Avenionensi Universitate ad Magisterium, seu Doctoratum promoti sunt, ad publica Munera in illius Ditionibus obeunda idoneos perpetuò censeri mandet, quemadmodum hactenus servatum est, nihilque eâ in re innovari patiatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Duci Lotharingiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Æquitatis studium, quo inter ceteras laudes incliti Principis nomen potissimùm commendatur, vigere quàm maximè in animo Nobilitatis Tuæ probè conscii, ea tum fidenter, tum libenter à Te requirimus, quæ recta, ac congrua esse intelligimus. Quoniam itaque omni nationi consentaneum esse dignoscitur, ut qui in celebri Civitatis nostræ Avenionensis Academiâ Doctoris gradum consecuti sunt, eorum Privilegia, tanquam quæ ab auctoritate Apostolica eidem Avenionensi Universitati concessa sunt, ubique locorum recipiantur, rataque habeantur: meritò à Te obtinere posse confidimus, ut nihil circa eos, qui ad Magisterium, seu Doctoratum ibi promoti sunt, in tuis Ditionibus innovetur, sed publicis obeundis muneribus, ut hactenus servatum est, idonei perpetuò censeantur. Quod dum Te ad explicandam semper magis egregiam tuam in Nos voluntatem, & ad Paternam nostram benevolentiam uberiùs hoc etiam nomine demerendam, facturum esse Nobis pollicemur, Nobilitati Tuæ in diuturnæ sospitatis, solidæque felicitatis auspicium, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 18. Novembris 1702. &c.

ARGUMENTUM

Chaldæos Catholicos, quòd Hæreticorum pravis consiliis, atque machinationibus fortiter obstiterint, laudibus ornat, ac ipsos ad pium propositum constanter, ac perpetuò retinendum hortatur.

Dilectis Filiis, universis Christifidelibus Nationis Chaldææ, Catholicam Religionem profitentibus.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Repleta sunt ingenti gaudio Paternæ nostræ charitatis viscera, Deoque bonorum omnium Authori in humilitate cordis nostri gratias egimus, ubi audivimus à Dilecto Filio Religioso Viro Joanne Baptista Aurelianensi Ordinis Cappuccinorum nihil apud Vos profecisse prava eorum consilia, qui Vos ab amantissimæ Vestræ Matris Ecclesiæ gremio avellere, atque aliò abducere nitebantur, propositâ scilicet Vobis ad Sacra mysteria obeunda nominatione hæreticorum hominum, qui doctrinam à Sacris Oecumenicis Conciliis, universâque Catholicâ Ecclesiâ dudum damnatam profitebantur. Cùm enim probè sciretis non boni Pastoris,

ſed Mercenarii vocem eſſe illam, quæ Dominicas oves à ſalutaribus Eccleſiæ paſcuis, & à Chriſti Ovili, quod diviſum eſſe non poteſt, avocare curabat, ut eas in ſchiſmatis laqueum impelleret, piè, ac conſtanter, ut par erat, obſtitiſtis, atque per hoc explicaſtis Vos memores eſſe non alibi, quàm in hac omnium Eccleſiarum Matre, ac Magiſtrâ, reperiri poſſe veritatem, atque ſalutem. Nos itaque, quibus, licet immerentibus, imperſcrutabili Dei judicio Fidelium cura demandata eſt, debitis in Domino laudibus virtutem veſtram extollentes, Vos hortamur, ut quemadmodum agnoviſtis Vos tenere manentem ſubſtantiam, ita egregium hoc propoſitum perpetuò retineatis, quatenus boni operis fructum, ampliſſimam ſcilicet, neque interituram mercedem, à bonorum omnium Retributore aſſequamini. Interim verò ſcire Vos volumus nihil eſſe, quod de propenſa in Vos voluntate noſtrâ, & Pontificiâ charitate polliceri Vobis non debeatis, Dilecti Filii, quibus omnia bona precamur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die nona Decembris 1702. Pontificatus noſtri Anno tertio.

ARGUMENTUM

Graviſſimam de Sinicis Ritibus controverſiam, quamvis maturè expenſam, ulteriori adhuc examini ſubjicere velle declarat, ut eam tandem, quemadmodum enixè imploratum Cæleſtis gratiæ lumen Suæ Sanctitati inſpiraverit, definire poſſit. Interim verò hoc negotium ejus eſſe naturæ, ut nullo Partium ſtudio, nullo officiorum genere, urgeri debeat, apertè profitetur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Confidere omninò debet pro ſua in Nos, atque in hanc S. Sedem filiali obſervantia Majeſtas Tua, Nos in Cauſa, quæ agitur, circa Sinenſium Ritus, nullo modo receſſuros eſſe ab inſtituto Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum, qui in ſimilibus controverſiis nullam, quoad maturam rei inſpectionem, diligentiam prætermittere conſueverunt: ferendi verò judicii rationem à Patre luminum ſæpiùs conſulto, ac exorato expetendam, expectandamque eſſe intellexerunt. Quod quàm Nobis propoſitum ſit, vel ex eo facilè conſtare poteſt, quòd quamvis ſatis compertum haberemus, quàm accurato examine hæc ipſa Cauſa ſub fel. rec. Innocentio XII. Prædeceſſore noſtro expenſa fuerit, Nobis tamen ad Apoſtolicum Munus ſubinde evocatis viſum eſt cogitationes, atque conſilia noſtra in eumdem ſcopum conferre, ipſamque controverſiam ulteriori diſquiſitioni ſubjicere, ut demùm, Deo Authore, cujus opem humiliter expoſcimus, & præſtolamur, id, quod Eccleſiæ bono, Animarumque ſaluti expedire docebimur, perficere valeamus. Majeſtati itaque Tuæ, quam in ſolicitudine noſtra conquieturam eſſe non ambigimus, in hoc præſertim negotio, quod nullo Partium ſtudio, nullo officiorum genere, urgeri poteſt, auſpicium uberis felicitatis deferimus, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 9. Decembris 1702. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Cum Acatholici in Germaniâ multa in Orthodoxæ Fidei perniciem attentassent, & alia insuper molirentur, Cardinales à Kolonitz, & de Lamberg vehementer hortatur, ut nullum prætermittant officium, quo Cæsaris animus ad nefarios ejusmodi conatus strenuè repellendos incendi possit.

Dilectis Filiis Nostris, Leopoldo Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbytero, S. R. E. Cardinali à Kolonitz; nec non Joanni Philippo Tituli S. Silvestri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lamberg.

Utrique eodem exemplo.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Digna sanè est, quam omni animi tui studio, & eo, quo pro Dei gloria incenderis, zelo complectaris, causa, quæ nostra in præsens impellit officia, non ista quidem vulgaria, sed qualia in gravi Divini honoris injuria à Pontificia solicitudine prodire debent. Cruciant Nos intimè, quæ de auctâ supra modum adversus res sacras, & verum Dei cultum, Hæreticorum licentiâ, atque audaciâ ad Nos identidem perferuntur; nam hi veteri odio contra Ecclesiam incitati, usque adeò rebus suis favorabilem esse arbitrantur hanc iniquam temporum conditionem, ut fas sibi esse putent jura omnia in Orthodoxæ Religionis perniciem pro libito violare, ac proinde occupatis alicubi Catholicorum Ecclesiis per suæ pravitatis Ministros exercitia in eis suo more palàm habere, magno Fidelium scandalo, atque Animarum periculo, non dubitant. Compertum prætera Nobis est quàm sedulò contendant, ne quæ in Tractatu Risuvicensi favore Catholicorum constituta sunt, effectum suum sortiantur; nec ambigendum est, quin deteriora in Ecclesiæ præjudicium extorquere, aut usurpare cogitent, nisi sit, qui pro Domo Dei murum opponat. Quia verò hæc ejusmodi non sunt, quæ à Nobis silentio præteriri debeant, nisi velimus (quod absit) à Supremo Judice aliquandò redargui, quia quod confractum erat, alligare, aut quod perierat, quærere, quantùm saltem in Nobis erat, distulimus, aut ne cogamur dolentes aliquandò Prophetæ illud usurpare: *Veh mihi quia tacui*: ad Apostolici muneris, & ad Pontificiæ charitatis debitum pertinere ducimus de tam gravibus scandalis eos admonere, qui pro loco, quem obtinent apud Cæsaream Majestatem, possunt, & pro eo, quo in Ecclesia Dei eminent, omninò tenentur, consiliis, & authoritate suâ validam opem tam justæ causæ afferre, & mala hujusmodi omni prorsùs studio impedire, atque compescere. Quod cùm à spectata tuâ virtute Nobis polliceamur, Te vehementer hortamur, ut nullum officium prætermittas, quò Cæsaris animus consuetæ Religionis memor, & avitæ pietatis amplius æmulator, tam iniquis conatibus obsistat; dum Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Decembris 1702. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ARGUMENTUM

Ducem Neoburgi S. R. I. Principem Electorem ad fortiter obsistendum Hæreticis, qui gravia Orthodoxæ Religioni detrimenta inferebant, & quartum Risuvicensis Tractatus Articulum illius favore constitutum effectu carere moliebantur, impensissimè adhortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Dolenda planè est præsens Christianæ Reipublicæ conditio, cum nihil propè sit, quod dubio, & exitiali Armorum arbitrio non videatur esse commissum. Verùm Nos acerbiùs deflere cogimur detrimenta, quæ publica, ac gravia Catholicæ Religioni hac occasione inferuntur, nec ambigimus, quin Nobilitas Tua, quâ est pietate, his malis intimè tangatur. Non enim Te latere arbitramur, quousque progressa sit quorundam Hæreticorum infelici hoc rerum statu abutentium audacia, dum in Urbibus, in quas victores arma intulerunt, Catholicorum Ecclesias ad suæ superstitionis usum convertere non dubitarunt; quin etiam omni studio agere non desistunt, ut quidquid illud est, quod favore Catholicorum in Tractatu Risuvicensi constitutum est, id executioni ne demandetur. Deteriora etiam, prout res feret, Eos ausuros esse meritò timemus, ac proinde Te omni Paternæ charitatis sensu precamur, ut dignum Catholico Principe zelum exhibeas, & consiliis, atque officiis, authoritateque tuâ hostium Orthodoxæ Religionis licentiam opportunè compescere, pro tuo posse, contendas, magnam procul dubio à bonorum operum Retributore Deo mercedem, congruamque apud bonos, cordatosque homines laudem, si id feceris, relaturus; culpam verò non evasurus, si quid omiseris, quod in defensionem, proque indemnitate Catholicæ Religionis conferre posse intellexeris. Nos certè ea de re meritò soliciti levamen aliquod à Tuâ spectatâ virtute speramus, ut augeatur hoc etiam nomine nostra erga Te benevolentia, Dilecte Fili, Nobilis Vir, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Decembris 1702. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiscopo Trevirensi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Quoniam, Grege in discrimen adducto, opus est, ut Pastor Officii sui memor insurgat, & liberâ voce eos admoneat, qui in partem suæ solicitudinis vocati sunt, ut vigilent, & creditarum Ovium saluti consulant, curentque munus suum impigrè obire, ne diligentiores in parandis insidiis filii tenebrarum, quàm in eisdem avertendis filii lucis, deprehendantur, justas timoris, atque doloris no-

stri

ſtri cauſas Fraternitati Tuæ explicamus, nunc quando Acatholici homines palàm ſuæ audaciæ confidere videntur, & Eccleſiæ dignitati, atque authoritati publicè illudentes præclariorem, quàm anteà unquam, triumphum de contempto, dejectoque Catholico cultu agere meditantur. Non enim ſinè vehementi cordis noſtri mœrore audivimus occupatas fuiſſe per hujuſmodi homines in quibuſdam Urbibus Catholicorum Eccleſias, in quas ſtatim ſuæ ſuperſtitionis ſcandala invexerunt, atque in illis Cathedras erroris in magnam Animarum perniciem conſtituere non dubitarunt. Interim verò officiis tum violentis, tum injuſtis, & validioribus etiam mediis obtinere nituntur,ut ſi quæ ratio Catholicæ Fidei in Tractatu Riſuvicenſi habita fuit,ea omni prorſus effectu fruſtretur, nec ambigendum eſt quin ſecretioribus conſiliis deteriora cogitantes bonis, ac juribus præcipuarum Eccleſiarum, deleto ibi ſacrarum Dignitatum, & Epiſcopalis Ordinis nomine inhient, cum ad hujuſmodi impietatem attentandam Majorum ſuorum exemplis animari facile poſſint. Nos itaque uſque ad ima charitatis noſtræ præcordia his malis percuſſi, Dei, & Eccleſiæ honore unicè Nobis propoſito, perpendentes quàm graviter in ſe ſupremi, & diſtricti Judicis iram provocaret, qui hæc Orthodoxæ Religionis detrimenta ita iniquæ temporum conditioni tribuenda eſſe judicaret, ut diſſimulatione quadam præteriri,aut humanis quibuſcumque rationibus poſthaberi poſſe cenſeret: ad eos Nos convertimus, quos commune Nobiſcum officium intendere debet, ipſoſque pro eo, quanti faciunt Dei Cauſam, hortamur, atque obteſtamur, ut omni ſtudio, labore, ac diligentiâ, & qua majori poſſunt authoritate, tam impiis conatibus obſiſtant, ſeriò perpendentes nihil homini prodeſſe, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Ceterùm Fraternitatem Tuam pluribus ad id impellendam eſſe minimè exiſtimamus, cum de ejuſdem eximio zelo plurimum Nobis in Domino polliceamur. Eidem autem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 16. Decembris 1702. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Scriptum fuit eodem exemplo Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principi Electori, atque etiam Archiepiſcopo Salisburgenſi, & Epiſcopis Monaſterienſi, Paderbornenſi, Herbipolenſi, & Auguſtano, nec non Electo Oſnabrugenſi, & Abbati Fuldenſi.

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCCIII.



HÆREDITAS SANCTA NEPOTES EORUM.
Eccl. Cap. 44. v. 11.

Eq. Petrus Leo Ghezzius inv. et del. Petrus Masinj Sculp.

ARGUMENTUM

Archiepiscopo Mexicano committit, ut Episcopum novæ Segobiæ in Insulis Philippinis ad residendum apud suam Ecclesiam Apostolicâ authoritate compellat.

Venerabili Fratri, Ioanni Archiepiscopo Mexicano.

CLEMENS P.P. XI.



VEnerabilis Frater, salutem &c. Molestissimum supra id, quod verbis explicare possumus, Nobis accidit, ab exploratæ fidei testimoniis audire Venerabilem Fratrem Didacum novæ Segobiæ in Philippinis Insulis Episcopum ab eo tempore, quo consecratus fuit, moram in istis Partibus trahere, ac veluti nescium, aut immemorem gravissimi debiti, quo Episcopi ad residendum in Ecclesiis sibi commissis arctantur, hactenus neglexisse ad gregem, cui eum Deus præesse voluit, se transferre, cum interim magno spiritualis suæ salutis dispendio animam suam iis malis, atque scandalis obnoxiam reddat, quæ in Populo Pastoris sui præsentiâ, atque ope destituto, & in ipso Infidelium conspectu posito, facilè contingere possunt. Quocircà Nos, qui pro injunctâ humilitati nostræ omnium Ecclesiarum solicitudine in id potissimùm incumbere debemus, ne Oves Dominicæ ob Pastoris regiminis defectum periclitentur, à Fraternitate Tua, de cujus eximiâ pietate, ac zelo plurimùm in Domino confidimus, vehementer petimus, ut eundem Episcopum authoritate nostrâ moneas, & quatenus opus sit, omninò compellas, ut statim profectionem ad suam Ecclesiam instituat, neque patiaris ullâ eum se excusatione tueri, quominùs id omni ce-

leritate perficiat. Quod eò fidentiùs Te curaturum esse Nobis pollicemur, quò Nobis perspectum est Te fraternæ charitatis, ac Episcopalis zeli partibus hac ipsâ occasione non defuisse. Proderit autem id Tibi valdè ad cumulanda tua in Deum promerita, atque ad conciliandam Tibi usque magis Pontificiam nostram voluntatem, dum Nos Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictiónem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 27. Januarii 1703. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ARGUMENTUM

Quemdam Libellum Parisiis evulgatum, Jansenianis erroribus refertum, improbat, & Cardinali de Noailles districtè injungit, ut illius Authores, atque Fautores sedulò inquirat, eorumque audaciam, invocatâ etiam Regalis Brachii ope, severè coerceat.

Dilecto Filio Nostro, Ludovico Antonio Tituli S. Mariæ super Minervam Presbytero, S. R. E. Cardinali de Noailles nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noster, salutem &c. Non sinè magnâ Paterni cordis nostri amaritudine nuper accepimus editum Parisiis, ac pervulgatum fuisse Libellum quemdam, cui titulus: *Cas de conscience proposè par un Confesseur de Province touchant un Ecclesiastique, qui est sous sa conduite, & resolù par plusieurs Docteurs de la facultè de Theologie de Paris*: mole quidem perexiguum, sed multiplici noxiæ doctrinæ veneno abundè refertum, quo scilicet plures damnati errores, perniciosæque novitates adstruuntur, ac ipsæ etiam fel. recor. Alexandri VII. Prædecessoris Nostri ad Jansenianam hæresim non modò iterum damnandam, sed & præclusis omnibus callidorum hominum effugiis, ac tergiversationibus, radicitùs evellendam, tantâ maturitate editæ Constitutiones, quibus & Nos firmissimè inhæremus, indirectè quidem, ac veluti per cuniculos impetuntur. Quid enim aliud esse dixerimus Libelli hujusmodi Authores tam splendido verborum apparatu erga Pontificias Constitutiones internam semper observantiam polliceri: quam interim exteriùs violant, & ut silentium polliceantur, quotidiè silentium rumpere? Quid inanibus quæstionibus, quæ ad nihil proficiunt, præterquam ad subversionem audientium, Ecclesiasticarum Sanctionum perspicuitati tenebras velle offundere: nisi malum, quod corde fovent, per quamdam dissimulationem aperire? ita ut illud jure usurpari possit: *Sermo eorum, ut cancer, serpit*: & aliud: *Acuerunt linguas suas, sicut Serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum*: Ingemuimus planè videntes homines, qui se Catholicos profitentur, eò temeritatis, ac pervicaciæ devenisse, ut præfatis Apostolicis Constitutionibus, ceterisque hujus Sanctæ Sedis Decretis adhuc obviam ire, eorumque vim, emendicatis undique captiosis subtilitatibus, eludere se posse confidant. Verùm cum subdolis eorum artibus non modò, ut par esset, minimè obsistere, sed potiùs patrocinari, ac veluti manum porrigere conspexerimus non paucos Parisiensis Scholæ Doctores, qui Libellum ipsum palàm ausi sunt suo calculo comprobare, obstupuimus planè, & magnâ simul perturbatione pro Domo

Dei exarſimus, ſtatimque, ne commiſſo Nobis cœlitùs Muneri deeſſe videremur, de valido adhibendo remedio cogitavimus. Quapropter Libellum ipſum prævio, ut moris eſt, Theologorum examine, Apoſtolicâ authoritate damnavimus, ac prohibuimus, ne ejus lectione Fidelium mentes inficerentur. At verò quoniam, ut Sanctus Proſper præclarè admonet, hujuſmodi hominum pravitati non tam diſputationum ſtudio, quàm authoritatis privilegio, eſt reſiſtendum, Circumſpectionem tuam ſedulò admonemus, ut zelum, quo maximè ferves pro ſanâ doctrinâ, Eccleſiæque pace tuendâ, excites, exeras, atque intendas in inveſtigandis omni ſtudio, diligentiâque Libelli hujus Authoribus, ac præcipuis Promotoribus, atque Evulgatoribus (neque enim clam fieri potuit, quod nonniſi à multis valuit perpetrari) ac in eos poſtmodum gravibus, ut tantæ debetur audaciæ, pœnis animadvertas. Porrò Doctores illos, quos ſanè decebat magis expugnandis Eccleſiæ deterrimis hoſtibus, quàm convellendis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus, nomen inſcribere: omninò volumus ſeveram adeò, Te puniente, diſtrictionem ſubire, ut ceteri in poſterùm à ſimilibus abſterreantur. Chariſſimum inſuper in Chriſto Filium Noſtrum Regem Chriſtianiſſimum etiam datis literis, & per Venerabilem Fratrem Philippum Antonium Archiepiſcopum Epiſcopum Imolenſem, Nuncium Noſtrum, qui plura Tecum etiam hac de re differet, enixè rogamus, ut Circumſpectioni tuæ in exequendis hiſce mandatis noſtris, pravorumque hominum nequitiâ coercendâ, Regalis quoque velit auxilii Brachium impertiri; quod quidem Majeſtatem Suam pro ſummo, quem in compeſcendis hæreſum, ac novitatum Fautoribus hactenus oſtendit, zelo confidimus egregiè præſtituram. Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 13. Februarii 1703. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Christo Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Audivimus nuper audaci planè, ac ſubdolâ nonnullorum hominum operâ, qui in id nati eſſe videntur, ut Eccleſiæ, ac Reipublicæ pacem turbare non ceſſent, Libellum quemdam prodiiſſe, cui titulus: *Cas de conſcience proposè par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique, qui eſt ſous ſa conduite, & reſolù par pluſieurs Docteurs de la faculte de Theologie de Paris*: Quo ſanè plura perniciosæ doctrinæ capita, erroreſque damnati revocantur in lucem, & ipſa etiam hæretica Janſenii dogmata non obſcurè foventur, dum editæ olim pro iis omninò abolendis Apoſtolicæ Conſtitutiones captioſis ſubtilitatibus eluduntur. Id porrò in quantum Chriſti Fidelium ſcandalum, atque utriuſque regiminis perturbationem vergat, Majeſtas Tua, cujus mentem tantâ in gubernandis Populis ſapientiâ illuſtravit Altiſſimus, ex ſe ſatis ipſa deprehendet. Quoniam verò contra iſtiuſmodi homines continuâ novitatum prurigine laborantes non ampliùs legibus, ac ſanctionibus, quæ ſatis multæ hactenus promulgatæ fuerunt, ſed gravium potiùs adhibitione pœnarum agendum videtur, ne malum toties

com-

compressum, & quotidiè reviviscens ulteriùs serpat, opportunum existimavimus, damnato prius hic juxtà Sedis Apostolicæ morem Libello, Dilecti Filii Nostri Ludovici Antonii S. R. E. Cardinalis de Noailles Ecclesiæ Parisiensis Præsulis zelum, ac pietatem per Apostolica Scripta excitare, ut in ejusdem Libelli Authores, Evulgatoresque præcipuos summo studio conquisitos severiùs animadvertat, Doctoresque non paucos, qui Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones,& Regia etiam Majestatis Tuæ Decreta contemnentes, eidem Libello palàm subscribere non sunt veriti, debitis pœnis afficiat. Eâ autem in re, quâ non Ecclesiæ solùm, quæ Majestati Tuæ maximè curę est, sed ipsius Regni utilitas quæritur, summoperè decet Regalis brachii tui in præfati Cardinalis auxilium exeri potestatem,atque ita pravorum hominum temeritatem compesci, ut palàm fiat omnibus eam hodie inter Sacerdotium, & Imperium, miserante Domino, vigere concordiam, ut impunè non liceat turbulentis ingeniis, & nunquam cavillandi finem facientibus, Ecclesiasticas simul, ac Regias Leges infringere. Novit profectò, Charissime Fili Noster, novit, & gratulatur Ecclesia omnis, quanto pietatis studio, quanta Regii nominis laude in eliminandis Catholicæ Fidei, ac disciplinæ adversis erroribus, & novitatibus, præcipuè verò radicitùs extirpandis Jansenii dogmatibus, adlaboraveris; Tuæ nunc prudentiæ, Tuæ Religionis, ac pietatis est cæpto operi supremam manum adiicere, traditamque Tibi ab Altissimo potestatem in ipsius, atque Ecclesiæ suæ obsequium exercere. Ne patiaris igitur, Charissime Fili, ut tot labores, ac studia, quæ exterminandæ ex florentissimo Regno tuo pessimæ hæresis contagioni adhibuisti, paucorum hominum vesaniâ fructu vacuentur,& pereant.Sileant inquieti homines: coerceantur protervi: pareant contumaces: & quos Ecclesiæ mansuetudo non flectit, potestas Regalis compescat, & conterat, ut ita quam Ecclesiæ Dei dederis, Deus ipse Regnis tuis donet, ac perpetuò servet tranquillitatem. Eam interim Nos Majestati Tuæ unâ cum ceteris bonis omnibus ex animo precantes,Apostolicam simul Benedictionem Tibi amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Februarii 1703. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ARGUMENTUM

Visitationem ab Archiepiscopo Aquensi habitam in quibusdam Regularium ab illius ordinariâ Jurisdictione exemptorum Ecclesiis, nec non Interdictum, & Censuras ab ipso latas, aliaque ab eo gesta, nulla, ac irrita fuisse declarat, eumdemque Præsulem, ut à similibus de cetero abstineat, & Privilegia præfatis Regularibus ab Apostolicâ Sede concessa violare non audeat, paternè, & graviter admonet.

Venerabili Fratri, Danieli Archiepiscopo Aquensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Apostolicæ libertati, & synceræ in Domino charitati, in primis verò debito Muneris, quod humilitati nostræ inscrutabile Dei judicium imposuit, consentaneum esse ducimus ea diuturniori silentio minimè præterire, quæ ad custodiendam, ut par est, hujus Sanctæ Sedis Dignitatem, atque authoritatem quàm maximè

per-

pertinere intelligimus. Noſtro itaque obſequentes Officio ita hæc ad Fraternitatem Tuam perſcribimus, ut non dimiſsâ eâ, quam de tuâ pietate conſtanter gerimus, opinione, nequaquam refrigeſcat charitas illa, quâ Te proſequimur, imò quò magis perſuaſum habemus Te zelo pro Dei Eccleſiâ incendi, & conſilio, atque doctrinâ præſtare, eò Te propenſiorem fore confidimus in id omne, quod, veritate, ac juſtitia dictante, Tibi explicare cogimur; cum præſertim Te latere non poſſit lædi quodlibet honorabile Eccleſiæ membrum in ipſo Capite, ubi ea, quæ providè Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri conſtituerunt, everti, aut ſuo fruſtrari effectu contingat. Cum itaque apud omnes compertum ſit Ordinum Regularium Mendicantium Eccleſias, Monaſteria, Loca, ac Perſonas ab Ordinariorum juriſdictione per Apoſtolicam Sedem exempta eſſe, & ejuſdem Sedis authoritati immediatè ſubiici, nec cuiquam licere Privilegia hujuſmodi immutare, quinimò nec poſſe Regulares ipſos, niſi de Romani pro tempore exiſtentis Pontificis licentiâ, eiſdem renunciare; propterea non tam grave, quàm mirum Nobis accidit ea audire, quæ Fraternitas Tua in iſtâ Civitate, ac Diœceſi jampridem attentaverat, dum præfatorum Regularium Ordinum Eccleſias, quibus cura animarum non ſubeſt, ac Sedes Confeſſariorum in eis exiſtentes, nec non Sanctiſſimam Euchariſtiam, ac Tabernaculum, Pixidemque, in qua eadem ſervari ſolet, fruſtra reclamantibus, & ſua ſatis nota Privilegia allegantibus Regularibus ipſis, viſitare voluiſti, quaſi in hoc Concilii Tridentini Te tueretur authoritas, aut, quam invaluiſſe in quibuſdam Diœceſibus aſſeverabas, ejuſmodi actum validare poſſet conſuetudo; ſuppoſitis præterea Eccleſiaſtico Interdicto illorum Eccleſiis, qui ſimilibus juribus freti viſitationi hujuſmodi reſtiterant, ſublatâque eorumdem Perſonis facultate excipiendi confeſſiones Sæcularium, ac populo verbum Dei de more annunciandi. Ejuſmodi itaque rerum ſerie à Nobis perceptâ, etsì celeri, ac publicâ opus eſſe reparatione intelligeremus, non tamen animum ſtatim convertimus ad ea conſilia, quibus eadem parari poſſet, ſed ejus exemplo, & monitis, quantùm patitur infirmitas noſtra, inhærentes, cujus vices, licet immeriti, gerimus, rem Tecum in ſpiritu lenitatis agi voluimus, ac proinde injunximus Venerabili Fratri Philippo Antonio Archiepiſcopo Epiſcopo Imolenſi, Nuncio apud Chriſtianiſſimum Regem Noſtro, ut de ejuſdem rei gravitate ea, qua par erat, diligentiâ cum Fraternitate Tua diſſereret, noſtraſque in ſimili forma Brevis literas, quibus eum inſtruximus, Tibi redderet, confiſi Te, pro ſpectatâ tuâ prudentiâ æquitati ipſi, votiſque Noſtris non ægrè adhæſurum. Verùm non multò poſt ab eâ ſpe decipimus, cum nedum Te eodem conſtitiſſe veſtigio intelleximus, ſed ulterius etiam progreſſum fuiſſe, ac viſitationem pariter in Eccleſia Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo, adjunctâ Tibi Sæculari poteſtate, effractiſque (quod planè dolentes dicimus) ſacri illius loci foribus, habuiſſe. Quanto hæc omnia, & quàm intimo mœrore Nos compleverint, verbis vix conſequi poſſumus: imò non ambigimus, quin Tu ipſe, ubi rem ſeriò velis expendere, probè agnoſcas, quàm pravi exempli, quàm gravis apud Fideles, & plebem Tibi commiſſam offenſionis, atque periculi occaſio fuerit eò rem videre adductam, ut Tu ipſe homines retraheres à Sacrificio Domini: validos, ac fortes, robur panis, & robur aquæ à Jeruſalem novâ auferres: conductos à Patre Familias Operarios, ſtrenuèque laborantes ab ipſius vineâ, eo inconſulto, removeres: ac demum adversùs Filios Matris tuæ poneres ſcandalum. Ceterùm quia palàm, ac publicè læſa fuiſſe videmus tum Privilegia Regularibus ob multa,

atque præclara in Ecclesiam Dei promerita, ab Apostolicâ Sede indulta, tum jura ipsius Sanctæ Sedis, ad quam, tanquam ad Conditorem, judicium circa eadem Privilegia pertinet, ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat: liberum non est Nobis, integrâ conscientiâ nostrâ, ulteriùs acquiescere. Cùm itaque satis constet iis, qui in partem solicitudinis nostræ, non in plenitudinem potestatis, vocati sunt, minimè licere in illis, quæ Apostolica Sedes sibi reservavit, manum apponere, nisi quatenus eidem Sanctæ Sedi visum fuerit id specialiter committere: cumque illud, quod Fraternitas Tua in præfatis Regularium Ecclesiis attentavit, neque Concilii Tridentini Decretis relaxatum sit, neque Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut Decretis commissum fuerit, neque usu, seu potiùs abusu contra jus, & authoritatem Sedis Apostolicæ induci potuerit; idcircò de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio declaramus, atque decernimus non licuisse Fraternitati Tuæ, neque licere in Ecclesiis Regularium exemptorum, quibus non incumbit cura animarum, sedes designatas ad audiendas Fidelium confessiones, Pixidem, & Tabernaculum, ac Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, neque ipsas Ecclesias visitare, ac propterea visitationem ipsam, interdictum, censuras, aut prohibitionem audiendi confessiones Personarum secularium, & annunciandi populo verbum Dei, aliaque forsan contra exemptionis Privilegia attentata, & quæ in posterum attentari contigerit, omnia fuisse, esse, ac respectivè fore nulla, atque irrita, nullumque ex visitatione, aliisque memoratis actibus præfatorum Regularium Ordinibus adversus notoriam illorum exemptionem præjudicium illatum fuisse, nec inferri potuisse, ideòque in dictis Ecclesiis posse, uti priùs, Divina Officia celebrari, ac eosdem Regulares liberè, ac licitè ministrare. Quæ dum per hæc Apostolica Scripta Fraternitati Tuæ nota facimus, eamdem enixè hortamur, ut sicut in ista crediti sibi Dominici Gregis parte muneri suo respondere satagit, ita ab iis, quæ Apostolica Sedes sibi reservavit, abstinendum esse intelligat, ne à Capite discrepare videatur id: quod ne cogitare quidem de perspectâ virtute, ac zelo tuo patitur animus, quo in Te sumus, sed imò persuasum Nobis est Te recti amatorem, nostræque in Te eximiæ charitatis memorem, syncerae Tuæ in Nos, & eamdem Sedem, addictæque voluntatis argumenta daturum esse, quibus ab hac gravi curâ præter multiplices, quibus circumdamur, quamprimùm exolvamur, & Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Februarii 1703. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Cum ad Sanctitatem Suam allatum esset Ducem Bavariæ S. R. I. Principem Electorem in Civitate Neoburgi nonnulla admisisse adversùs Ducissam Neoburgensem, & Episcopum Augustanum, ac Reginæ Poloniæ Socrui prædicti Electoris significat, ut quatenùs vera sint, congruè sarciri curet.

Charissimę in Christo Filiæ Nostræ, Mariæ Casimiræ Poloniæ Reginæ Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissima in Christo Filia Nostra, salutem, & Apostolicam Benedictionem. In un foglio pervenutoci non prima di jeri sera alle mani, abbiamo letto, che l'Elettor di Baviera entrato nella Città di Neoburgo non solo abbia fatto travagliare con le bombe il Palazzo, dove dimoravano l'Elettrice Palatina Vedova, e il Vescovo d'Augusta suo Figliuolo, mà di più sia passato ad assicurarsi tanto della Persona dell'istessa Elettrice vecchia settuagenaria, quanto di quella del sudetto Vescovo suo Figliuolo. Confessiamo ingenuamente alla Maestà Vostra, che siamo rimasti tanto sorpresi in udire un'atto sì duro praticato verso una vecchia Principessa, Madre dell'Imperatrice, e di tante Regine, e Principesse, e frà queste della Nuora di Vostra Maestà medesima, e verso un Personaggio rivestito di Carattere sagrosanto, com'è il Vescovo di Augusta, che considerandolo poco proprio della generosità dello spirito dell'Elettore di Baviera, siamo entrati in gran sospetto, che l'avviso datoci sia apocrifo, e mal' fondato: Tuttavia perche chi lo dà, lo dà per sicuro, ed accertato, per non sprezzare totalmente una notizia, che ci viene da buon luogo, abbiamo stimato di recarla, come facciamo, alla Maestà Vostra, affinchè riflettendo Ella per una parte all'obligo, che specialmente ci corre, d'interessarci per l'indennità de' Christi del Signore, & amando per l'altra, come giustamente ama, l'Elettore di Baviera, possa prontamente coll' ordinario di questa sera fargli giungere quelle insinuazioni, che giudicherà più adattate non meno al riparo del successo, quando veramente sia seguito, che alla vera gloria dell'istesso Elettore. E alla Maestà Vostra con tutta la pienezza del nostro affetto diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 3. Martii 1703. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ARGUMENTUM

Regem Poloniæ hortatur, ut in promovenda, curandaque publica Regni tranquillitate, præcipuam Catholicæ Fidei rationem habeat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Cum omnium hominum oculos ad ſe convertat præſens iſtarum rerum conditio, tum noſtros in primis indeſinenter detinet, excitante nimirùm Nos ſingulari, quâ Majeſtatem Tuam complectimur, benevolentiâ, & peculiari noſtra erga inclytum iſtud Regnum charitate, præcipuè verò Apoſtolicâ ſolicitudine, quâ commiſſo Nobis Gregi ſedulò proſpicere debemus, ne quid in perniciem animarum, aut in Catholicæ Religionis detrimentum contingat. Quo fit, ut Te enixè hortemur, ut pro eâ obſervantiâ, quam Nobis, atque huic Sanctæ Sedi profiteris, ita conſilia tua conſtituas, atque componas, ut cum publicâ tranquillitate Religioni ipſi incolumitas, quantùm in Te erit, quamprimùm comparetur. Conſiſtere enim diù non poſſe in corde Fidelium pietatem, debitamque rebus ſacris, Divinoque cultui reverentiam, convulsâ pace, perturbatoque omnium rerum ordine, probè intelligimus. Pluribus autem ſuperſedemus, quia Te Venerabili Fratri Franciſco Archiepiſcopo Neapolitano noſtro nomine ſuper his Te allocuturo pronum, ut ſoles, animum exhibiturum eſſe ſperamus, & Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 3. Martii 1703. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Ordini Senatorio Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Et ſi excitare nunc temporis Nobilitates Veſtras ad ea tandem capeſſenda conſilia, quæ neceſſariam, & præſentem opem periclitanti Reipublicæ iſtius ſaluti afferre poſſint, non aliud ſit, quàm auribus veſtris ea ipſa ingerere, quæ Vos modò, ut par eſt credere, gravi deliberatione animo veſtro verſatis, & quorum momenta ad fidei, ac prudentiæ veſtræ lancem expenditis; tamen quia præter illam, quam de incolumitate, ac felicitate veſtra curam ſanè Paternam gerimus, perſtringit cor noſtrum ſolicitudo maxima pro Dei causâ, quam cum veſtra ſimul agi arbitramur, ante actis noſtris officiis, per Venerabilem Fratrem Franciſcum Archiepiſcopum Neapolitanum Nuncium iſthic noſtrum ad Vos delatis, quibus Vos ad explicandam hac potiſſimùm occaſione pietatem veſtram hortati ſumus, nova hæc addere decrevimus, Voſque iterum, atque iterum hortari, ac commonere voluimus, ut ſedulò caveatis, ne quid iſthic contin-

gat,

gat, quod Catholicæ Religionis statum ullo modo perturbet; non enim decet Vos minori studio Dei, & Ecclesiæ honori, quàm tuendæ libertati vestræ incumbere, ubi utrumque acriter oppugnari animadvertatis: A' Vobis demum pro eâ, qua Vos prosequimur, benevolentiâ exposcimus, ut ita agatis, ut nemo Vobis succensere possit tepuisse in cordibus vestris antiquum erga orthodoxam Fidem zelum, per quem tantam apud probos homines laudem inclyta vestra Respublica promeruit. Hæc à præcordiis nostræ erga Vos charitatis profecta, nec non etiam spem, quam in spectatâ vestra virtute constituimus, fusiùs Vobis explicabit idem Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus, dum Nos Nobilitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 3. Martii 1703. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Ordini Equestri Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Cùm nihil tam propitium, atque opportunum esse videatur eorum conatibus, qui inclytæ istius Reipublicæ tranquillitatem perturbare, atque libertatem evertere moliuntur, quàm si Civium animi in diversas partes trahantur, nemo non intelliget, quid demum florentissimo isti Regno timendum esset, ubi in multorum cordibus tantus esset communis boni neglectus, ut potiùs publicæ saluti, quàm privatis suis studiis quidquam detrahi in hoc rerum statu paterentur. Etsi autem id omninò alienum esse à Vestrorum omnium fide, atque probitate censeamus, ac prorsùs confidamus ea à Vobis tandem ineunda esse consilia, quæ Reipublicæ Vestræ felicitatem reddere valeant; quia tamen intimè Nos angunt Catholicæ Religionis pericula, Vos omnes per antiquam vestram virtutem, atque constantem erga Deum pietatem hortamur, atque obtestamur, ut omnimoda animorum vestrorum consensione quamprimùm statuatis, atque efficiatis id, quod vestram in Deum ipsum, atque in homines fidem commendet, & Patriæ optatam reddat tranquillitatem: in quam sententiam nostros Vobis sensus explicantem Venerabilem Fratrem Franciscum Archiepiscopum Neapolitanum, ut in filialis vestri in Nos, atque in hanc Sanctam Sedem obsequii argumentum diligenter audiatis, cupimus; Et Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 3. Martii 1703. &c.

ARGUMENTUM

Attentata à Cæsareis Militibus in Pontificiâ Ditione propè Bononiam Imperatori denunciat, & ab Eo celerem, congruamque reparationem enixè postulat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Quod insciâ Majestate Tuâ, ut res ipsa satis explicat, attentatum est nuper à Militibus tuis, ut scilicet propè Bononiam, atque sub ipsis ejusdem Civitatis nostræ mœnibus incursionem, atque executionem militari more facere non sint veriti, hoc, quoniam nedum libertatem, atque immunitatem, quâ par est, universam Ecclesiasticam Ditionem frui, sed omnem etiam æquitatem, atque in primis authoritatem nostram manifestè, & vehementer lædit, Tibi pro tuâ pietate, imò etiam pro tua justitiâ, molestissimum fore non dubitamus. Sanè eos, à quibus hujusmodi mandata prodierunt, perpendere oportebat, quòd cum ipsis traducendi commeatus à nostræ Ditionis finibus liberum non semel fuerit, inducendum non erat deterrimum exemplum, quo alii ad abjiciendam erga Pontificium Statum reverentiam, quam ipsi exuisse videbantur, incitarentur. Cùm itaque eo loco res sit, ut omninò, ac severè quidem animadvertendum sit in illos, qui homines, & loca custodiæ nostræ commissa ab eâ securitate, quæ tuæ pietati, justitiæ, ac fidei potissimùm innitebatur, dejecerunt: celerem à Majestate Tuâ, congruamque facti reparationem enixè petimus, ut semper magis explices Te religioso, & obsequenti animo esse erga hanc Sanctam Sedem, nihilque à Te tam alienum esse, quàm velle gravioribus curis inter tot, ac tantas, quas in præsens perferre cogimur, Nos onerare, atque solicitos reddere, qua ratione (& sanè ab eâ, quam animo proposueramus, prorsùs alienâ) indemnitati Populorum, qui Nobis subsunt, consulere, ut nostri muneris est, valeamus. Uberiùs hæc, quæ compendio exposuimus, differet Venerabilis Frater Joannes Antonius Archiepiscopus Episcopus Ariminensis, dum Nos Majestati Tuæ luculentam felicitatem impensè precamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 7. Martii 1703. &c.

ARGUMENTUM

Cum Archiepiſcopus Manilæ nunciaſſet ex fortuito quorumdam exterorum hominum ad Inſulas Philippinas appulſu detectas fuiſſe novas regiones, in quibus amplus proferendæ Evangelicæ veritatis campus aperiebatur, eumdem Præſulem hortatur, ut perſpectum zelum ſuum eâ in re palàm faciat, illarumque animarum ſaluti diligenter incumbat.

Venerabili Fratri, Didaco Archiepiſcopo Manilæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Acceptis Fraternitatis Tuæ literis vigeſimâ quintâ Junii anni milleſimi ſeptingenteſimi primi Manilæ datis eo gaudio perfuſi ſumus, quo Nos affici decet, ubi in argumentum obſequentis in Nos, atque in hanc Sanctam Sedem voluntatis illi Nos officiis conveniunt, qui in remotiſſimis Terrarum partibus conſtituti, quàm loco diſſiti, tam Nobis ſunt Chriſti charitate conjuncti. Mox libentiſſimè ex eiſdem literis agnovimus miſerentis Dei beneficio factum eſſe, ut ex fortuito exterorum quorundam hominum ad iſtas partes appulſu innoteſceret patere ampliſſimum campum proferendæ Evangelicæ Veritatis in Regionibus, à quibus profecti erant, ubi Populis illis in tenebris quidem Ethnicæ ſuperſtitionis verſantibus, nondum tamen pravorum hominum malitiâ ullo ſectarum errore obcæcatis, Divini nominis, & Catholicæ Fidei lumen afferatur. Flagraſſe eâ re perceptâ zelum Fraternitatis Tuæ per id, quod ſcribis, facilè conjicimus ex pietate, qua Te pro tuo munere præſtare in Domino confidimus, & meritò quidem, nam de animarum lucro res eſt, cui nullum nimium eſſe poteſt laboris diſpendium, quando eas Reparator noſter immenſo ſui Sanguinis pretio redemit. Apoſtolicâ itaque ſolicitudine Te in hoc idem incendimus, & veluti currentem ſtimulis urgemus, aſſiduis apud Deum precibus acturi, ut fructum uberem tuis votis, ac ſtudiis, piorumque hominum eâ in re laboribus, atque conatibus indulgere velit: quod ubi, Eodem donante, contigerit, gratum Nobis erit de his omnibus quantociùs locorum, & temporum intervalla permiſerint, certiorari à Fraternitate Tua, cui veram à Deo felicitatem precamur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 24. Martii 1703. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Archiepiscopum Sebastenum à Vicariatu Apostolico Hollandiæ, justis ita suadentibus rationibus, suspendisse, permisso tamen illi ab almâ Urbe, ubi commorabatur, in Hollandiam reditu, ejusque loco Pro-Vicarium Apostolicum constituisse Theodorum de Cok Catholicis illarum partium denunciat, ac ipsos, ut eidem Pro-Vicario morem gerant, debitam Apostolicæ Sedi fidem, & obedientiam custodiant, ac ab insidiis pravorum hominum Ecclesiæ simul, & Reipublicæ Turbatorum caveant, graviter admonet, ac hortatur.

Dilectis Filiis, Universis Catholicis in Partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum constitutis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, salutem &c. Illius vices, licèt immeriti, gerentes in Terris, qui transiturus ex hoc Mundo ad Patrem, pacem, quam nascendo nuntiaverat, Ecclesiæ suæ, veluti testamento reliquit, in eam maximè curam incumbimus, ut Catholici omnes, iique præsertim, qui in sejunctis ab hac Sanctâ Sede Regionibus constituti ab omni specie malâ cavere diligentiùs debent, remotis dissensionum fomentis ea, quæ pacis sunt, studiosè sectentur, quive in unitate ejusdem Fidei consentiunt, concordiæ quoque, & charitatis vinculo conjungantur. Quamobrem turbarum, & dissidiorum mala germina, quæ in Hollandicis Missionibus jampridem exorta quotidiè succrescere, non sinè gravi Paterni nostri cordis amaritudine, deprehendimus, resecare, atque etiam, favente Domino, prorsùs eradicare cupientes, Venerabili Fratri Petro Archiepiscopo Sebasteno justis, gravibusque de causis à Vicariatus Apostolici Officio, quod obtinebat, suspenso, Pro-Vicarioque interim, donec ab eadem Sede aliter provideretur, in ejus locum subrogato, nulli alteri sub Provicariatus, Archipresbyteratus, aut assertorum Capitulorum, ut vocant, Assessoratus, seu cujusvis alterius Muneris, aut Officii obtentu, Pastores, Missionarios, Deservitores, aut alios quoscumque ad animarum curam, Sacramentorumque administrationem, etiam prætextu necessitatis, constituendi, seu deputandi facultatem ullam competere declaravimus. Et nihilominùs ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus esset, omnes, & singulas deputationes supradictorum Officiorum nomine forsitan, ut supra, factas cum omnibus inde secutis prorsùs irritas, ac nullius roboris, vel momenti esse decrevimus: Omnibus propterea Clericis Missionum præfatarum Apostolicâ authoritate, & sub excommunicationis ipso facto, & absque aliâ declaratione incurrendæ pœnâ districtiùs inhibentes, ne in illarum spirituali regimine se ingerere quovis pacto auderent, vel præsumerent. Nunc verò ut, quod paucis denuntiatum est, omnibus istarum regionum Catholicis pleniùs innotescat, nullusque ampliùs de Pontificiâ voluntate nostrâ ambigendi supersit locus, eâde re Vos omnes, Dilecti Filii, per præsentes Literas duximus admonendos, de vestrâ quidem eximiâ pietate, constantique erga Apostolicam Sedem obedientiâ planè confisi nullam in posterùm apud Vos Fidem, aut aditum inventuros paucos illos Ecclesiæ simul, atque Reipublicæ Turbatores, qui subdolis artibus, falsisque narrationibus candidos animos vestros decipere, aut etiam, si possent, in errorem adducere conati sunt. Sinite illos,

Dile-

Dilecti Filii, quia cæci sunt, atque utinam non excæcaverit illos malitia eorum. Ostendite Vos veras Christi Oves esse, quæ supremi in Terris Pastoris ab eodem Domino constituti monitis obsequuntur, & non audiunt vocem alienorum. Alieni profectò sunt, qui dum Gregem Dei dividere tentant, mactare potiùs, ac perdere, quàm custodire velle deprehenduntur. Obtendunt illi quidem exactioris disciplinæ speciem, ac de rigidioris Theologiæ sibi famâ blandiuntur. Quales verò animo sensus foveant, quòve mente colliment, quicumque sapiens rerum æstimator facilè judicabit certissimâ illâ, qua Nos ad eos, qui veniunt in vestimentis Ovium, dignoscendos Salvator noster instruxit, adhibitâ regulâ: *A fructibus eorum cognoscetis eos*: Quis enim, ut cetera taceamus, tot ab iis hac in causâ editos Libellos videat, jurgiis, maledictis, mendaciis, calumniis, apertâque in Apostolicam Sedem irreverentiâ, ac temeritate undequaque scatentes, quos magno, vel ipsis Eterodoxis scandalo fuisse comperimus, quin statim agnoscat, quam longè illorum Auctores, Defensoresque à Spiritu Dei sint, qui non est dissensionis Deus, sed pacis: quam longè à syncerâ Christi charitate, quam adeò verbis prædicant, factis destruunt: quam longè demùm à veræ humanitatis, & obedientiæ, quæ ceterarum virtutum fundamenta sunt, tramite, dum adversùs ipsam Beati Petri Sedem, Christianorum omnium Matrem, & Magistram caput attollere, ejusque mandatis obviam ire, quinimò & potestatem convellere, ac palàm impetere non erubescunt. Vos autem, Dilecti Filii, non sic: sed in accepto à Majoribus Vestris pietatis instituto perseverantes, quem Religione profitemini Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Principatum, promptâ, ut veros Catholicos decet, obedientiâ comprobate; neque enim Vobis, nisi pro vestrâ utilitate præcipimus, nec temporalia vestra quærimus, sed spiritualia Vobis charismata comparamus. Quod verò ad præfatum Archiepiscopum Sebastenum attinet, cum repetitis multorum officiis, atque etiam enixis Dilecti Filii Theodori de Cock à Nobis, ut præfertur, Pro-Vicarii constituti precibus urgeremur, ut illi in Hollandiam redeundi potestas fieret, asserentibus cunctis id quoque à Secularibus Magistratibus de restituendo, ut ajebant, in Patriam proprio Cive solicitis vehementer optari, Apostolica potiùs indulgentiâ, quàm districtori Canonum censurâ usi, discedendi non modò veniam, sed & mandatum ante duos ferè menses ipsi ultrò dedimus; eidem verò, cum se pararet itineri, ad Nos nuperrimè venienti paternè simul, ac perspicuè animi nostri sensus ita explicavimus, ut licèt novi istarum Partium Vicarii Apostolici deputationem diutius adhuc Nos differre contingeret, ipsi tamen spem omnem ejusmodi Munus, quod ei nonnisi ad hujus Sanctæ Sedis beneplacitum demandatum fuisse reperiebatur, & à quo subinde, sicut præmittitur, suspensus fuerat, in posterum exercendi sibi penitùs sublatam esse non obscurè intelligeret. Ita siquidem re satis, superque discussa, auditoque plurium Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, spirituali istarum Missionum bono magis congruere in Domino censuimus. Prætereà eidem injunximus, ut Fautores suos ab omni contentione, & æmulatione sui potissimùm causâ suscitatis curaret avertere, offensiones omnes, querelas, ceterasque terrenas sapientium rationes, ingenito hominibus proprii commodi studio jugiter suggerente, minimè defuturas uno hoc effato Apostoli compescendo: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Hæc omnia, Dilecti Filii, Vobis similiter innotescere necessarium duximus, ut quicumque apud

Vos

Vos Catholicorum nomine censeri volunt, non sint, sicut parvuli, fluctuantes, sed sciant quem Pastorem in viâ Domini sequi, & cujus mandatis parere teneantur. Satagite igitur, ut qui rectè credendi gratiam à Domino consequuti estis, bonorum operum, & præcipuè charitatis, humilitatis, & obedientiæ fructibus eidem Domino respondeatis; frustrà enim fuerit catholicè credidisse, nisi ceterarum quoque virtutum suffragio reportetis finem Fidei vestræ, salutem Animarum; idque, ut faciliùs assequamini, Supremum misericordiarum Patrem, pro Muneris nostri debito, Paternoque, quo Vos omnes complectimur, amore precari non desinemus; & Apostolicam interim Benedictionem Vobis ex animo impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Aprilis 1703. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ARGUMENTUM

Pontificium dolorem ex publicis calamitatibus, & periculis, mox etiam ex terræmotu, quo Urbs ipsa concussa, & aliquot Ecclesiasticæ Ditionis Oppida eversa fuerant, susceptum Ducissa Mantuæ Filialis pietatis officio lenire curaverat; Cui Sua Sanctitas grato respondet animo, ejusque preces ad Divinam indignationem placandam implorat.

Dilectæ in Christo Filiæ, Nobili Mulieri, Annæ Isabellæ Ducissæ Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Filialis erga Nos pietatis officium non minùs opportunè, quàm præclarè implet Nobilitas Tua, dum animum nostrum publicis calamitatibus, atque periculis intimè perculsum solari satagit iis argumentis, quæ sicut singularem tuam in Deum Religionem explicant, ita planè testantur, quàm gravi sensu in Paternis nostris curis afficiaris.. Et sanè rectè de charitate nostra judicat, qui spectari à Nobis sinè maximo dolore non posse præsentes Christianæ Reipublicæ ærumnas, & adversos horum temporum casus existimat; dum cogitationes nostras de communi salute, atque tranquillitate solicitas ad se pertraherent confligtantium invicem Christianorum Principum dissidia, & ea bellorum incendia, quorum vi, atque impetu afflictos Italiæ Populos propè absumi ingenti cordis nostri molestiâ conspiciebamus, corripuerunt nos propria mala, & animorum cum terra ipsa trepidantium clamor, Urbisque nostræ motu pariter, ac metu concussæ pericula curas nostras hùc repentè avocarunt. Auctus est subinde præter modùm dolor noster, ubi eodem casu eversa fuisse audivimus magno cum Incolarum interitu non pauca, neque exigua Ecclesiasticæ hujus nostræ Ditionis Oppida, itaut undique Nobis mœroris, atque commiserationis argumenta suppeterent. Quæ ideò commemoramus non tam, ut intelligas tempestivè ad Nos officia tua delata fuisse, quàm ut scias gratum Nobis fore pollicitâ ope tuarum precum, quibus plurimùm pro tuâ virtute tribuimus, non destitui, dum versamur in propitiandâ ira Dei nostris, & Christiani Populi peccatis usque adeò provocatâ. Agat itaque Nobilitas Tua, ut in communi causa,

prout egit, quandò eorundem malorum non levem partem persensit, & conformatâ in Deum voluntate, constantique animo pertulit, dum Nos eidem, ac Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Carolo Conjugi tuo, cum multæ felicitatis auspicio, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum &c. die 7. Aprilis 1703. &c.

ARGUMENTUM

Regem Christianissimum, quòd in præcipuos deterrimi Libelli, de quo supra, fautores congruis pœnis animadvertere cœperit, meritâ laude prosequitur, ac ut Edictum à Majestate Suâ eâ de re promulgatum, per quod tum impugnandæ, tum etiam tuendæ Jansenianæ hæresis, facultas adempta videbatur, declarare velit, exposcit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Ex iis, quæ Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiscopus Episcopus Imolensis Nuncius noster ad Nos retulit, non sinè maximo animi gaudio percepimus Regium Majestatis Tuæ zelum nostris nuper Paternis vocibus excitatum, cœpisse in præcipuos deterrimi Libelli Approbatores condignis pœnis animadvertere, Ludovicum du Pin nequioris doctrinæ hominem, temeratæque pluries Apostolicæ Sedis dignitatis reum exulare jubendo. Quâ de causâ singulare tuum, ac fervens Ecclesiæ favendi studium, religiosamque Pontificiis monitis obsecundandi voluntatem dignis commendare debemus laudibus, Tibique etiam gratias agere, utque cœptum egregiè opus prosequi velis, vehementer adhortari; quandoquidem adversùs homines agitur, qui nonnisi pœnarum severitate coerceri valent. Neque verò excusationem obtendere jure possunt, qui tot Ecclesiæ, Regnique Legibus, non quidem ignotis, aut ambiguis, sed palàm editis, atque pespicuis, obviam ire sunt ausi, neque admissi criminis veniam solâ Episcopalis judicii agnitione demereri, qui publicè in Ecclesiam, Ecclesiæque Caput Romanum Pontificem non uno nomine deliquere. Nimia videlicet erit impunè peccandi licentia, si gravia quævis, & aperta facinora, vel unâ satis depreeatione purgentur. Ceterùm quòd Libellum eumdem Apostolicæ damnationis sententiâ confixum Edicto quoque Regio proscripseris, summoperè gaudemus; ne tamen ex quibusdam ipsius Edicti verbis quisquam inferre præsumat non sustinendæ modò, sed & pariter impugnandæ Jansenianæ hæreseos in posterùm viam præclusam esse, quod quidem ab æquissima Majestatis Tuæ mente prorsùs alienum esse nemo est, qui non sciat, utque nova omnis subdolis ingeniis cavillandi ansa penitùs præcidatur, maximè expedire arbitramur, ut Majestas Tua ea de re voluntatem suam expressiùs declarare non gravetur, quemadmodùm idem Nuncius Noster Tibi uberiùs explicabit; quod sanè, & fovendæ Christianæ Fidei puritati opportunum, & Nobis porrò gratissimum fuerit; ita enim publicè consulendum tranquillitati est, ut Catholicæ veritati, salvis semper charita-

tis, atque modestiæ legibus, tuendæ locus non adimatur; ac Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem perpetuo cum felicitatis tuæ voto conjunctam amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1703. &c.

ARGUMENTUM

Patriarcham Alexandrinum, ut abrupto divisionis laqueo, omnique posthabitâ cunctatione, ad Catholicæ Romanæ Ecclesiæ unitatem redire velit, enixè adhortatur.

Venerabili Fratri, Ioanni Patriarchę Alexandrino.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Reddidit Nobis Fraternitatis Tuæ literas Dilectus Filius Abrahimus de Anna, quem Romam ablegasti, & præterea quæ de tuo in Nos studio, ac devotâ in hanc Sanctam Sedem voluntate eisdem literis proponebantur, luculenter, ac apertè in eandem sententiam tuo nomine Nos est allocutus. Et hæc quidem charitatem nostram præter modum solabantur, cum spem Nobis facerent Te superni Spiritus aurâ intimè afflatum, & veritatis amore ductum, velle omninò cum hac Omnium Matre, ac Magistrâ Ecclesiâ, extra quam non est salus, abrupto quocumque divisionis laqueo, ex animo consentire. Quo sanè salutari consilio, ubi à Te susciperetur, insignem istam Patriarchalem Sedem eo dignitatis loco reponeres, quo ob eximias prærogativas, & constantem veræ Religionis, atque pietatis cultum, eam olim constitisse omnia propè Catholicæ Fidei monumenta testantur; quin imò si debitam erga Beati Petri Cathedram observantiam (in omnibus cum eâ conveniendo) præstares, jam per Te celeberrima ista Ecclesia in eam gloriam rediret, quam dudum apud universum Christianum Orbem promeruit, propterea quòd ipse Apostolorum Princeps, Ecclesiæ Caput, & Christi Vicarius eam per Divum Marcum erexit, atque fundavit; ac demùm ex hoc charitatis, & fidei vinculo illud Tibi bonum obveniret, quod est compendium bonorum omnium, ut scilicet per gratiam particeps æternæ gloriæ effici posses, id quod à Catholicâ Ecclesiâ in his, quæ ad fidem pertinent, vel minimùm dissentiens frustra præsumeres. Cùm itaque supremi momenti res sit, quæ in deliberatione apud Te esse videtur, omni Apostolici nostri cordis affectu Te hortamur, atque monemus, ut nullâ Te difficultate præpediri, nullâ Te patiaris cunctatione detineri, quominùs statim in hujus amantissimæ Matris Ecclesiæ sinum convoles, hucque alios etiam Tui exempli authoritate perducas. Ut autem Nobis compertum sit Te ita statuisse, necesse est in primis, ut apertè declares velle Te eamdem fidem cum Romano Pontifice, ac Catholicâ Ecclesiâ, cujus visibile Caput Nos, licèt imparibus meritis, à Deo constituti sumus, firmiter, ac inconcusè tenere. Quò verò id faciliùs executioni demandare possis, volumus juxta antiquum morem observari solitum erga omnes Orientales Antistites, qui unitatem cum Romanâ Ecclesiâ inire cupiunt, formulam Professionis Orthodoxæ Fidei ad Te deferri, quam tuâ manu subscriptam, quamprimùm licebit, Romam remittere curabis. Ubi autem Divina ope consilium tam laudabile, tamque salubre compleveris, certò certius Tibi suadere poteris Nos retento instituto

hujus

hujus S. Sedis, quæ Orientalium Ecclesiarum jura, ac privilegia non modò non imminuere, sed profectò tueri, atque amplificare satagit, Te iis benevolentiæ, atque honoris testimoniis, quæ tuo Muneri, tuæque Dignitati conveniunt, esse in Domino complexuros, nihilque à Nobis unquam prætermissum iri, quod Tibi commodo, ornamento, atque splendori futurum esse arbitrabimur. Author Bonorum omnium Deus in Te perficiat, quod cœpit, detque Tibi exequi, quod animo versas, ad ampliorem sui Nominis gloriam, & ad spiritualem Tui ipsius, ac inclytæ istius Nationis utilitatem; & Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1703. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiscopum Naxivaniensem, & Catholicos omnes in Perside commorantes Persarum Regi diligenter commendat.

Illustri, ac Potentissimo Regi Persarum.

CLEMENS P.P. XI.

Illustris, ac Potentissime Rex, salutem, & lumen Divinæ gratiæ. Nihil est Orbi universo tam exploratum, quàm Celsitudinem Tuam in sublimi humanæ dignitatis fastigio constitutam potentiâ, atque opibus affluere, & super Populos, atque Nationes tum multas, tum sanè celebres, & per ingentia locorum, atque regionum spatia authoritatem suam longè, latèque protendere; & Nos quidem, qui hæc omnia novimus, & quanti par est, æstimamus, multò tamen pluris facimus præstantiam animi tui, & egregiam erga Nos voluntatem, quam aliàs Nobis luculentis significationibus perspectam, atque explicatam esse voluisti: sed illud in primis magnitudine tuâ, ac commendatione nostrâ dignum in Te spectamus, quòd cum eâ sis æquitate, ac benignitate, ut velis nedùm subjectos Tibi Populos, sed exteros etiam homines in istis partibus degentes publica tranquillitate, ac Regni tui felicitate perfrui, peculiari etiam propensione Catholicos isthuc adventantes, aut in tuis Ditionibus commorantes, excipere, tueri, atque fovere non prætermittas. Confisi itaque grata Tibi fore officia profecta à Pontificiâ nostrâ charitate tam equidem in te inclinatâ, quàm præclarè de Te sentiente, Celsitudini Tuæ enixè commendamus Venerabilem Fratrem Stephanum Archiepiscopum Naxivaniensem Armenum probitate morum, & Religione in Deum præstantem, vehementerque cupimus, ut Eum præsidio, atque favore tuo ita communias, ut nemo audeat ipsi molestias, aut impedimentum inferre, quominùs liberè munus suum pro Animarum salute obire valeat, imò eidem, ac aliis Catholicis permittas dirutas multis in locis pristinas Ecclesias sui cultus instaurare, ac illas præcipuè, quæ sunt in Koscasce, & Sciabjunix; nam cum hæ omnes aliud non sint, quàm domicilia quædam pietatis, & sedes, atque refugium Fidelium assiduè orantium Deum Optimum Maximum pro temporum felicitate, ac pro incolumitate Principum, quorum beneficio constabilitæ sunt, destitui Regiâ Tuâ protectione non debent. Pertinet prætereà ad Tuam magnitudinem cavere, ne Mercatores pariter Catholici, quorum notum est exiguas esse fortunas, novis tributis per Tui Regni Admini-

ſtros occaſione ultimæ cenſionis, ſivè numerationis prægraventur, cum ipſi antiquis oneribus ferendis impares propè eſſe noſcantur; Quæ eò confidentiùs à Te expoſtulamus, quò Nos eo ſumus erga Te animo, ut vehementer optemus Nobis dari opportunitates, quibus Celſitudini Tuæ gratificari viciſſim poſſimus, precantes interim humillimè miſericordiarum Patrem bonorum omnium Authorem, ut Eamdem diù ſoſpitem eſſe velit, & quod caput eſt, in viam veræ, & non interituræ ſalutis cæleſti ſuo lumine perducat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 17. Aprilis 1703. &c.

ARGUMENTUM

Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterii S. Mariæ Angelorum Florentiæ pergratam Sibi accediſſe ſcribit particulam, quam per manus Cardinalis Panciatici ad Sanctitatem Suam miſerant, Sacri Corporis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, illiſque multas de pio munere gratias agit.

Dilectis in Chriſto Filialibus Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterii Sanctę Marię Angelorum Civitatis Florentię.

CLEMENS P.P. XI.

DIlectæ in Chriſto Filiæ, ſalutem &c. Non piam modò, ſed induſtrem etiam fuiſſe agnoſcimus Filialem veſtram erga Nos devotionem, quę medium præ ceteris omnibus ſanè aptum ad demerendam ſingulari modo Paternam noſtram charitatem excogitavit. Fatemur enim nihil gratius Nobis accidere potuiſſe ſacro illo pignore, quod à Dilecto Filio Noſtro Bandino S.R.E. Cardinali Panciatico fuit Nobis veſtro nomine oblatum; nam, cum peculiari affectu, ac cultu veneremur memoriam Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ tantùm Religioſo veſtro Inſtituto lumen attulit, gaviſi prætermodum ſumus, quòd Vos nullo diſpendio integritatis Sacri illius Depoſiti, quo divites eſtis, liberales Nobis extiteritis aliqualis partis Sacri Corporis: ejus videlicet, quæ de ſubſtantia cutis adhæſit ſtrato, in quo pia Virgo, antequam mortalitatis exuvias poneret, ægra decumbebat. Etſi autem huic muneri veſtro, quod per ſe tanti pretii eſt, nullum videretur accedere poſſe ornamentum, diligentiam tamen, ac ſtudium veſtrum in eo affabrè, eleganterque locando ſuſpeximus; Sed multò jucundius Nobis fuit illud ipſum recipere per manus Cardinalis præfati, quem ob egregias virtutes, atque in Nos, & hanc Sanctam Sedem merita, ſummâ benevolentiâ complectimur, adeòque perſuaſum Vobis eſſe debet, hoc obſequentis veſtri animi documentum omni ex parte fuiſſe Nobis acceptum, ac proptereà paratam ſemper fore in commoda veſtra Pontificiam noſtram charitatem, Dilectæ in Chriſto Filiæ, quarum precibus apud Deum aſſiduè juvari cupimus, dum Vobis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 8. Maii 1703. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

AR-

ARGUMENTUM

Gratum, obstrictumque suum erga Regem Portugalliæ animum profitetur, propterea quòd auditis almæ Urbis à terræmotu periculis, Divinam misericordiam publicis, privatisque precibus exorare filiali studio curaverit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quòd Majestas Tua paternis curis, quas nuper ob timores, atque calamitates Populi nostri persensimus, intimè commota fuerit grato charitatis affectu percepimus ex literis Venerabilis Fratris Michaelis Angeli Archiepiscopi Tarsensis; dignam enim esse agnovimus magnitudine animi tui hanc pietatem, quæ non aliena esse duxit pericula, quæ Fidelibus, etsi locorum intervallo disjunctis, contigerunt; Sua autem prorsus existimavit, quæ ad Nos propiùs accesserunt, & repentino incursu Urbem hanc, Religionis arcem, corripuerunt: neque sanè filiale tuum in Nos studium, & sensum doloris nostri præclariùs testari poteras, quàm cum præire voluisti ceteris omnibus exemplo in propitiandâ precibus irâ Dei, qui equidem in præsenti temporum conditione, si umquam aliàs, exorandus est, ut quando usque adeò ingruentibus undique malis jactamur, sedet, atque compescat non tam concussæ Terræ, quàm discordium animorum motus, & tum ea, quæ ab hominibus, tum quæ ab elementis patimur, potenti suâ dexterâ componat, ac demum tranquillitatem, quæ est votorum nostrorum summa, afflictis rebus adducat. Dum itaque vices tuis erga Nos officiis reddere peroptamus, perpetuum gratæ, ac memoris benevolentiæ nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 12. Martii 1703. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Catharinæ Mariæ Magnæ Britanniæ Reginæ Illustri Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissima in Christo Filia nostra, salutem &c. Etsi dudum Nobis perspectum sit Majestatem Tuam esse in omne Christianæ charitatis officium mirificè propensam, non satis tamen explicare possumus, quàm Tibi Paternum nostrum animum obstrinxerit publicum religiosæ in Deum, & filialis in Nos voluntatis exemplum à Te editum, statim ac percepisti, quàm propè abfuerit hæc Urbs repentino terræmotu nuper concussa à gravissimâ calamitate, quam procul dubio incurrisset, nisi Dominus supposuisset manum suam, ne collideremur. Significavit siquidem Nobis Venerabilis Frater Michael Angelus, Archiepiscopus Tarsensis Te publicis precibus, ad exorandam Nobis, & Christianæ Reipublicæ cælestem opem, hac occasione isthic institutis

ea pietate interfuisse,ut planè constaret Te de nostra,deque Populi nostri incolumitate, atque tranquillitate esse summoperè solicitam. Dum itaque confidimus, Te hanc ipsam communis salutis causam non minori fervore apud Deum subinde acturam esse, Eumdem rogamus, ut tuum in Nos studium suæ Gratiæ incremento, & diuturna felicitate soletur, & Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die duodecima Maii 1703. &c.

ARGUMENTUM

Regem Portugalliæ hortatur, ut Jura Quindenniorum Sedi Apostolicæ non antiquæ modò consuetudinis, verùm etiam justitiæ titulo debita in suo Regno persolvi patiatur, & tergiversantes ad solutionem compellat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Nonnisi re totâ maturè, ac diligenter expensa ad eas literas respondendum esse duximus, quas Majestas Tua sub die sextadecima Octobris Anni proximè elapsi circa interpositas isthic à nonnullis moras, atque difficultates in solutione Quindenniorum ad Nos perscripserat, & licet ubique compertum esse possit, quantâ non antiquitate modò,sed etiam æquitate fulciantur jura, in quorum locum hujusmodi consuetudo inducta est, ne tamen præteriisse videremur ea, quæ in eisdem literis afferebantur, cum præsertim ex plerisque constaret oportere, ut Tu rem totam penitus agnosceres, ac pro tua summa prudentia intelligeres non novum aliquid nunc demum excitari, aut in medium afferri, neque vel minimùm Regia Tua jura attingi, injungimus in præsens Venerabili Fratri Michaeli Angelo Archiepiscopo Tarsensi, Nuncio apud Te nostro, ut de hoc negotio sedulò Tecum agat, ac fusiùs explicet, quàm rationabiliter jura hujus Sanctæ Sedis ad se ipsos transmissa prosequantur illi, qui dicuntur Annatistæ; quo quidem nomine non inferioris notæ homines, sed præcipuos hujus Curiæ Officiales, imò etiam quosdam S. R. E Cardinales censeri deprehendes. Ceterum tam præclarè de eximiâ animi Tui æquitate sentimus, ut nulli ambigamus, quin probè perceptis Justitiæ titulis, qui huic Causæ suffragantur, daturus sis operam, ut qui adhuc tergiversantur, jam non ulteriùs suâ se cunctatione tueantur. Imò etiam Te æqui benignè consulturum esse confidimus, ut Nos, quibus custodiendæ Justitiæ debitum in his, quæ ad hujus Sanctæ Sedis rationes pertinent, incumbit, eidem semper, & iis, quibus, par est, mediis adesse velimus. Et Majestati Tuæ cum diuturnæ, ac solidæ felicitatis auspicio Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 19. Maii 1703. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ARGUMENTUM

Electum Coloniensem S. R. I. Principem Electorem, qui bellicis curis, armisque tractandis implicare se velle ferebatur, gravissimis propositis rationibus ab ejusmodi consilio deducit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quò magis cupidi sumus laudum Nobilitatis Tuæ, eò magis suspensos, ac propè solicitos Nos habet rumor incerto quidem authore excitatus, quo fertur constitutum nunc demum apud Te esse adire castra, & decurrenti Anno militari expeditioni interesse. Nos igitur, qui Te ipsum, tuaque omnia charitate prorsùs Paterna respicimus, non quidem quasi fidem hujusmodi vocibus adhibeamus, sed ut, quæ forte Tibi hac occasione subjici possent, consilia salutari præveniamus officio, perpendere Te volumus quantum æqui, probique rerum Æstimatores splendori Tui nominis ademptum esse censerent, ubi Te Principem tam præclaris Ecclesiæ Dignitatibus ornatum, & sacris obeundis muneribus designatum, bellicis curis implicari, & armorum tractationi volentem, lubentemque adesse conspicerent: ut interim severiorem etiam eorum censuram prætermittamus, qui Catholicorum præcipui gradus facta pravo semper animo interpretantur. Vide itaque ne, quam pridem pio, laudabilique consilio sæculari militiæ prætulisti cælestem, eam modò minori studio complecti videaris: sed imò in Te ipso palàm explica, quàm deceat, ut ii, qui spiritualibus deputantur ministeriis, in ea statione, ad quam vocati fuerunt, zelo tantùm muniti persistant, nec aliam, quàm Galeam salutis induti, ac unicè fidei clypeo protecti Populis, quibus authoritate præsunt, lenitatis, ac pietatis exemplo præfulgeant; dum Nos confisi Te filiali alacritate, atque observantia excepturum esse hæc, quæ Nos, amore dictante, ad Te perscribimus, Nobilitati Tuæ in veræ, ac solidæ felicitatis auspicium Apostolicam Benedictionem peramantèr impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Maii 1703. &c.

ARGUMENTUM

Dispensationem in primo affinitatis gradu, quamvis à Rege Portugalliæ enixè petitam, concedere abnuit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Qui valdè propensam in Majestatis Tuæ vota gerimus voluntatem, permolestè ferimus difficultates, si quæ obstant aliquandò, quominus Tuis petitionibus eâ, qua cupimus, animi alacritate annuamus. Id equidem experti sumus perlectis literis à Dilecto Filio Religioso Viro Antonio Rego Societatis Jesu tuo nomine Nobis redditis, ac luculenter explicatis, in quibus dispensationem in primo affinitatis gradu pro personis Tibi, ut asseris, multis nominibus, ac ipsâ generis præstantia commendatis, à Nobis enixè expostulabas; Statim enim menti nostræ obversata est Sacrorum Canonum dispositio, conjugia inter eos, qui tam arcto vinculo invicem junguntur, districtè vetantium, ac propterea intelleximus allatum impedimentum esse ejus generis, quod à Nobis nonnisi eo fortè casu, quo publici boni ratio inter præcipui tamen ordinis Principes ita exposceret, removeri non debeat. Tuis autem conditionibus, præter nostræ in Te charitatis magnitudinem, tribuendum est, quòd tale aliquid non ita pridem tuis precibus à Nobis indultum sit; tunc enim inspectâ Regii Tui sanguinis prærogativâ, tanquam in re, quæ Te propiùs contingebat, tuarum virtutum, ac meritorum, nec non etiam commodi peculiarem rationem habendam esse existimavimus; quæ eò in præsens commemoramus, ut quoniam aliter modò statuere cogimur, eamdem tamen Nos erga Te benevolentiam fovere intelligat Majestas Tua, cui læta omnia à Deo precamur, & Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona Junii 1703. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ARGUMENTUM

Regis Christianissimi in Civitate Constantinopolitana Oratorem, quòd Catholicos illic, & in aliis Turcici Dominii partibus degentes, à Schismaticis, ac Infidelibus vexatos, strenuè defenderit, honorificâ laudatione prosequitur.

Dilecto Filio Marchioni Ferriol Christianissimi Regis Oratori in Civitate Constantinopolitana.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, salutem, &c. Etsi perspectum Nobis esset Te in fovendis adversùs Schismaticos, ac Infideles Catholicis in istâ Civitate, & in diversis Turcicæ Ditionis partibus commorantibus operam semper tuam præclarè posuisse, gavisi tamen vehementer sumus de his, quæ post

ex-

excitatam adversùs Fideles tam sævam persecutionem, isthic contigerunt, à Dilecto Filio Blondel, qui Tibi à secretis est, certiorari, eumque propterea singillatim, ac disertè omnia Nobis explicantem perlibenti animo audivimus. Paternâ autem charitate ob tam eximia pietatis testimonia à Te hac occasione edita vehementer incensi Deum ex animo rogavimus, ut qui memorem Te exhibuisti sacri illius moniti, quo Fidelium zelus excitatur: *Eruite vi oppressum de manu calumniantis*: spiritualibus, ac temporalibus bonis auctus particeps etiam illius promissi efficiaris: *qui Fratrem adjuvat, exaltabitur*. Rependat Tibi prçtereà idem bonorum omnium largitor opem Missionariis istas, ac finitimas Regiones ad promovendum Divinum cultum adeuntibus, aut peragrantibus præstitam, atque in omnibus robur, & consilium tuum ita confirmet, ut possis authoritate tuâ obsistere his, qui contradicunt veritati. Hæc autem auspicia, & mentis nostræ sensus unà cum benevolentiæ nostræ significationibus isthuc revertens ad Te perferet Dilectus Filius Bruc, quo Interprete in istis Partibus uteris, & Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Junii 1703. &c.

ARGUMENTUM

Quàm enixè à Poloniæ Rege rursus flagitat, ut Principem Natum suum, omni abjectâ cunctatione, ex præscripto Catholicæ Religionis institui curet.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Jamdiù est, quòd Nos Majestatis Tuæ verbis innixi, & præclarâ tuæ virtutis, ac pietatis opinione ducti, Nobis ipsis polliciti sumus Te de instituendo demum ad præscriptum Catholicæ Religionis Principe Filio tuo tam seriò cogitaturum esse, quàm profectò Te decebat, Regem inclytum, qui eandem veritatem coram Deo, & hominibus tantâ tui laude complexus fueras, eamdemque constanti animo colere, atque tueri proposueras; nam quod id à Te jure quodam obtinere confideremus, illa ipsa, quæ non unis literis nostris eâ de re diligentissimè pro Munere nostro ad Te perscriptis filiali studio reposueras, quàm maximè effecerant; verùm cum nondum quidquam audiri, aut ad Nos afferri contigerit, quod communem hanc bonorum omnium expectationem, nostramque solicitudinem, quæ sanè est maxima, solaretur, Officii nostri esse duximus Paterna monita eò accuratiùs nunc iterum ad Te dirigere, quò veremur, ne graviùs in dies conscientiæ tuæ onus imponas, neve quamdam tuo nomini veluti labem inspergas, nisi debitum Deo munus quamprimùm persolvere cures. Quòd enim eam deliberationem ad tempus constabilitæ in isto Regno publicæ pacis protrahendam esse fortè existimes, non videmus, qua ratione tueri possis consilium tuum, nunc præsertim, quando tanta Tibi subest causa propitiandi Tibi, rebusque tuis opem Superni Numinis, cujus oculi præbent fortitudinem his, qui perfecto corde in Eum credunt, atque confidunt, quantam subesse, vel ad ipsam pacem Tibi, Regnoque tuo conciliandam nemo non agnoscit. Vide itaque ne, si moratus fueris in perficiendo tam sa-

lutari proposito, requirat illud Dominus Deus tuus, neve pretium sub æstimatione dare cogaris. Certè legimus parum abfuisse, quin Moysi res prorsùs infeliciter cederet, cum Primogenitum suum Domino offerre distulisset, nam eidem in Ægyptum, prout jussus fuerat, proficiscenti iratus, ac necem minitans, occurrit in diversorio Dominus, ac nisi Sephora Puerum arreptâ statim acutissimâ petrâ circumcidisset, dilati Sacrificii pœnam cum Primogenito suo Moyses ipse procul dubio luisset; absurdum quippe fuerat (quod Beatus Petrus Damiani advertit) si videretur Gentilis in filio, qui Israelita erat in semetipso. Si igitur, Charissime Fili Noster, meritò Tibi gloriæ duxisti Magistram hanc veritatis Dei Ecclesiam sequi, & Apostolicæ Sedi filiale obsequium præbere, ne patiaris Principem Natum tuum alio nomine, quàm quod ipse profiteris, Catholico scilicet, indigitari. Ætatem illam adhuc quidem teneram, & plantarum more pro Cultorum ingenio flexibilem piis, probisque, ac orthodoxis Institutoribus permitte, qui eam dirigere, atque ad Cælum attollere satagant, & quando Te de corporali ipsius Filii salute anxium esse credere fas est, spiritualem, quæ tantò majoris est pretii, negligere ne velis, idque demum sedulò cura, ut Domino serviat in veritate. Neque verò Te in demerendâ Pontificiâ nostrâ benevolentia minus, quàm soles, accuratum fore arbitramur, ut id, in quo summam votorum nostrorum versari intelligis, & quod non alio intuitu à Te petimus, quàm ut rem Deo debitam præstes, & viam ad conciliandam Tibi, ac Filio tuo cælestem opem munias, diutiùs desiderari à Nobis patiaris. Pluribus Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Neapolitanus sensus nostros explicabit Majestati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 7. Julii 1703. &c.

ARGUMENTUM

Regi Poloniæ lætitiam explicat perceptam ex illius literis, quibus Sanctitati Suæ nunciaverat Regni Comitia eâ felicitate ad exitum fuisse perducta, ut spes magna affulgeret publicam tranquillitatem eidem Regno comparandi: & Nuncium Apostolicum laudaverat, quod operam suam eumdem in scopum sedulò, ac utiliter contulisset.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Quantâ Nos solicitudine afficiebant perturbatæ res inclyti istius Regni, & animorum dissidia, quæ cum publicâ salute ipsius etiam Catholicæ Religionis statum in discrimen adducere facilè poterant, tanto Nos profectò gaudio cumularunt literæ Majestatis Tuæ, ex quibus intelleximus Comitia ista Generalia eâ felicitate, Deo opem ferente, ad exitum perducta fuisse, ut compositis intimis motibus externos etiam coercendi, parandæque quamprimùm optatæ tranquillitatis spes præsens, atque tutissima affulgere videatur. Gratissimum prætereà Nobis fuit nosse ex eisdem literis, quòd Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Neapolitanus operam in hunc scopum suam sedulò, ac in-

de-

desinenter contulerit, etsi non ambigeremus, quin ipse in re, quam Nobis summoperè cordi esse intellexerat, vehementer esset allaboraturus; ex quo polliceri sibi omninò debet Majestas Tua Nos hanc ipsam mentem illi pariter Nuncio, quem proximè ad Te allegabimus, explicaturos esse, ut sciat Nobis esse commendatissimam tum Dignitatem tuam, tum Regni ipsius bonum, tum inprimis orthodoxæ Fidei incolumitatem. Cùm itaque rei benè auspicatæ eventus bonorum omnium Datori referendus sit, persuasum planè habemus Te in conciliando Tibi usque magis cœlesti præsidio eximiæ tuæ pietatis ampliora semper testimonia editurum esse, dum Nos benevolentiæ nostræ pignus,& omen uberioris lætitiæ, Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Augusti 1703.&c.

ARGUMENTUM

Gratulatur Reipublicæ Ragusinæ imminutum annuum tributum, quod Turcarum Tyranno pendere cogitur, datamque intermissæ per aliquot annos solutionis veniam. Subsidium deinde pollicetur pro reparatione Ecclesiæ in Adrianopolitanâ Civitate incendio consumptæ.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Rectori, & Consiliariis Reipublicæ Ragusinæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii Nobiles Viri, salutem &c. Quando præter morem efferatæ Turcarum Nationis, opes non secus, ac sanguinem Christianorum sitientis, contigit, ut Gens ipsa annuum tributum, quod Respublica vestra ei pendere cogitur, nunc tandem magnâ ex parte Nobilitatibus Vestris remitteret, & datâ intermissæ per aliquot annos solutionis veniâ, æquior demum, ac mitior erga Vos redderetur: par est, ut intelligatis hanc ei mentem à Deo immissam fuisse, ut vestra in illum fides, ac pietas relati peculiaris beneficii memoriâ magis incenderetur. Quo quidem animo Vos esse libenter ex vestris literis agnovimus, singulari etiam gaudio affecti, quod gratum Nobis fore hujusmodi eventum, tanquam de paternâ nostra erga Vos charitate optimè sentientes existimetis; & sanè voluntatem nostram præcipuis documentis Vobis explicare peroptantes curabimus, quantum præsens nota nimis temporum conditio, ipsi etiam Ecclesiasticæ Ditioni onerosa, patitur, promovere reparationem Ecclesiæ incendio consumptæ in Civitate Adrianopolitana juxta preces Nobis filiali spe delatas à Nobilitatibus Vestris, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 15. Septembris 1703.&c.

ARGUMENTUM

Ut Poloniæ turbas sedari, publicamque tranquillitatem restitui curet, Cardinalem Radzieovvski rursùs impensè adhortatur.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli Sanctę Marię de Pace Presbytero, S.R.E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Neminem esse arbitramur verâ, & Christianâ charitate incensum, qui præsenti istius Regni conditione probè expensâ, vehementer non commoveatur, quique non intelligat tam gravem, tamque diuturnam calamitatem, atque injuriam strenuæ, ac Fideli Nationi ab Exteris, Catholicique nominis hostibus illatam parari non potuisse, nisi dissensionis spiritus quorumdam isthic corda usque adeò occupasset, ut suis rationibus, aut simultatibus priùs consultum esse vellent, quàm ad curandam publicam salutem, aut ad tuendam orthodoxam Religionem, consilia, cogitationesque suas converterent. Nos sanè, qui hoc ipsum mœrenter Nobiscum expendimus, cogimurque dissidio animorum, tanquam præcipuæ causæ, ingruentia mala tribuere, multò acerbiori dolore conficeremur, ubi ab hujusmodi privatis studiis, imò ab omni prorsùs contentione non haberemus immunes illos, qui præcipuis Ecclesiæ Dignitatibus ornati, & tanquam lucernæ in conspectu Populi constituti, exempla lenitatis, & synceræ in Domino dilectionis, ac inprimis pietatis, & zeli pro Catholicæ Fidei incolumitate, ubique præbere tenentur; quo fit ut Te, quemadmodum aliàs pluries hortati sumus, sic nunc etiam, atque etiam obtestemur, atque pro paternâ nostrâ charitate moneamus, ut sicuti gradu ceteros omnes antecellis, ita eos per tua vestigia ad commune bonum deducere cures, ac eo demum, quo par est, zelo incumbas comparandæ Regno ipsi, atque Charissimo in Christo Filio Nostro Augusto Poloniæ Regi, tranquillitati ac paci; cum enim perspecta sit omnibus authoritas, quam apud Rempublicam ob Dignitatem, qua decoraris, obtines, fieri vix potest, ut adversi, aut secundi casus, qui isthic subinde contingent, Tibi potissimùm non adscribantur. Movere autem Te in primis debet Dei causa, quæ hic tam manifestè agitur, in quâ si quæ minùs diligenter, quàm decet, præstiteris, nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis. Age itaque, & dum tui muneris debitum implere satagis, tui etiam nominis splendori consule, ac cura, ut Tibi Patria perpetuò debeat eam felicitatem, quam maximè nunc expetit, Nobisque demum hoc solatium in solicitudine, quàm in tantâ Christianæ Reipublicæ perturbatione gerimus, conciliare ne prætermittas; & Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Septembris 1703. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Constitutiones quasdam, seu Ordinationes à Duce Lotharingiæ editas, quibus Ecclesiastica Immunitas gravissimè lædebatur, reprobasse eidem Duci significat, ipsumque, ut eas omninò aboleri mandet, Ecclesiæque Iura, Majorum suorum exemplo, sarta tecta custodiat, paternè, & enixè adhortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Impositum Nobis cœlitùs Apostolicæ servitutis onus solicitudinem nostram jugiter admonet, atque impellit, ut siquid per universam Christi Ecclesiam inordinatum accidat, ac præsertim contra Canonicas Sanctiones, spiritu Dei conditas, & totius Mundi reverentiâ consecratas, attentari contingat, id statim Pastorali vigilantiâ emendare curemus, ne scilicet æterni Judicis adversus Pastores Israel tremenda nimis in caput nostrum recidat exprobatio: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis.* Idcircò ubi primùm accepimus Constitutiones quasdam, seu Ordinationes Nobilitatis Tuæ nomine editas esse, quæ non modicam bonis omnibus offensionem parare, maximamque tum rebus, tum Personis Deo dicatis, non uno ex capite injuriam afferre possent, nisi quantociùs è medio tollerentur: eas maturo priùs, ut moris est, examine præmisso, reprobare, earumque lectionem, retentionem, & usum omnibus Christi Fidelibus pro Muneris nostri debito interdicere compulsi sumus. Hac porrò de re Nobilitatem Tuam in primis duximus admonendam, ut consilii nostri, quod imminens Nobis Ecclesiam tuendi necessitas unicè peperit, Tibi ratio innotescat, utque easdem Ordinationes, quas inconsultò, ut credimus, & aliorum potiùs suggestione incitatus, ac subreptione deceptus promulgari permisisti, quamprimùm reformari, atque in iis, quæ Ecclesiæ juribus adversantur, quæque proinde nullius prorsus roboris, & efficaciæ existere explorati juris est, omninò aboleri jubeas. Neque enim probum, ac sapientem Principem dedecet ea, quæ minùs rectè gesta sunt, retractare; majorisque est gloriæ malè acta corrigere, quàm cum Ecclesiæ, Deique etiam ipsius offensione, sustinere. Age igitur, Dilecte Fili, irrogatam eidem Ecclesiæ injuriam repara, inflicto medere vulneri, simulque conscientiæ tuæ consule, & dignitati, quam in tuendâ potius Ecclesiarum libertate, fovendis juribus, amplificandisque privilegiis sitam esse, & ipse per Te planè intelligis, & ab inclytis Progenitoribus tuis, qui pietate quidem, & in Ecclesiam obsequio, quàm Principatu ipso clariores extitere, uberiùs didicisti. Interroga Patrem tuum, & annunciabit Tibi, Majores tuos, & dicent Tibi, quantâ in Deum, resque Divinas religione, quantâ erga Ecclesiasticam potestatem reverentiâ in Republicâ regendâ se gesserint, quantisque invicem amoris, benevolentiæ, imò & largitatis, ac beneficentiæ argumentis ab eadem Ecclesiâ affecti sint, ut propterea Nobilitatem Tuam in iis, quæ Ecclesiæ sunt, inviolatè servandis, non modò nulli Principum cedere planè deceat, sed ceteris omnibus antecellere. Itaque quod Ecclesia ipsa, quod pietas, quod animæ

tuæ

tuæ salus, quæ magno aliàs in discrimine versaretur, omninò postulant: quod Nos etiam paterno Tibi amore suggerimus, & Christi, cujus vice fungimur, nomine injungimus, alacri, ac generoso animo exequere; Ecclesiæ, quæ Parens tua est amantissima, juribus in pristinum restitutis, supernam Dei opem, ac protectionem subditis Tibi populis, magnam Nobis, & Consacerdotibus nostris gaudii materiam, ingentem denique Nomini tuo pietatis, & religionis gloriam comparaturus; & Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Septembris 1703. &c.

ARGUMENTUM.

Sacris Præsulibus in Lotharingiæ, & Barri Ditione suas Ecclesias, vel Dioeceses habentibus palàm facit Constitutiones, seu Ordinationes, de quibus proximè, à Sanctitate Sua improbatas fuisse, eosque admonet, ut Lotharingiæ Ducem ad salubriora consilia revocare, & ad custodienda Ecclesiæ Jura adducere omni studio contendant.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis in Lotharingię, & Barri Ditione suas Ecclesias, vel Diœceses habentibus.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, salutem &c. Ingentem sanè dolendi materiam Paternæ solicitudini nostræ attulit, quod ii, qui Dilecti Filii, Nobilis Viri, Leopoldi Lotharingiæ, & Barri Ducis consiliis præsunt, eas non ita pridem illius nomine Constitutiones adornaverint, atque in lucem ediderint, quas nec æquitas patitur, nec Nos ipsi, qui tuendis Ecclesiarum universi Terrarum Orbis juribus vigilare debemus, ullo modo ferre potuimus. Quamobrem & hujusmodi Ordinationes, utpotè Ecclesiasticæ Libertati multipliciter adversantes prævio, ut par erat, maturo examine, damnavimus, illarumque lectionem, retentionem, atque usum omninò interdiximus, prout ex adjunctis Apostolicis literis nostris pleniùs cognoscetis, & eumdem Leopoldum Ducem paternè, ac sedulò admonuimus, ut illas in iis, quæ Ecclesiæ officiunt, quæque propterea juxta Canonicas Sanctiones nulla prorsùs, atque irrita existunt, quantociùs è medio tollat. Quoniam verò Vos, Venerabiles Fratres, pro Episcopalis Muneris instituto, susceptique in vestrâ inauguratione Sacramenti religione maximè oportet Ecclesiarum vestrarum immunitatis vindices esse, & Pontificiæ nostræ solicitudinis adjutores: idcircò Fraternitates Vestras, de quarum eximio zelo plurimùm in Domino confidimus, requirendas, & excitandas existimavimus, ut pro Domo Dei unâ Nobiscum adlaborantes, religiosi Principis animum urgeatis, ut Ecclesiastica jura salva esse velit, nec illis detrimenti quidpiam per suas leges irrogari patiatur. Ostendite quàm turpe sit Catholicum Principem, ac præcipuè Lotharingiæ Domus tantâ pietate insignis, totque etiam Ecclesiæ beneficiis auctæ, à primo sui regiminis limine sacrosancta Ministrorum Dei Privilegia impetere, libertatemque violare, ac veluti Principatus initia ab Ecclesiæ injuriâ auspicari. Proferte sanctas veterum Patrum Regulas, quæ immunem

à Lai-

à Laicorum poteſtate Eccleſiam, ac Venerabilem Clerum ubique clamant, nihilque ad ſeculi Principes in Eccleſiaſticis negotiis, præter reverentiam, pertinere. Edicite non imminutis, ſed auctis potiùs Clericorum in ſortem Domini vocatorum privilegiis, florere Regna, Deoque protegente, firmari, Sacerdotumque potiſſimùm precibus felicitati publicæ conſuli. Denunciate, ſi opus fuerit, parata in adverſantes Eccleſiaſticæ libertati flagella ſuperni Judicis, imminentemque Potentibus, qui potenter tormenta patientur, ſempiternam perniciem, ſi in Eccleſiam peccaverint, eamque conquerentem minimè audierint. Demum ſiquis terminos, quos inter utramque Poteſtatem poſuerunt Patres noſtri, tranſilire præſumpſerint, opponite Vos, tamquam murum pro Domo Iſrael, & Sacerdotali pectore obſiſtite, ne quid ſub regimine veſtro derelictâ Vobis à Majoribus Eccleſiæ libertate, ac Dignitate minuatur. Nos quidem de tanti Principis religione, prudentiâ, ac æquitate prorsùs meliora confidimus, eumque flectendum potiùs veſtris obſecrationibus credimus, quàm increpationibus deterrendum. Agnoſcet enim, ſi ſedulò rem perpenderit ante Divinum Judicem, ſique probos, ac pios Conſiliarios audierit, Nos haud, quæ noſtra ſunt, quærere, ſed quæ Dei, & Eccleſiæ ejus, quinimò & de ipſius Principis ſalute ſolicitos eſſe, dum eum ab inferendâ Eccleſiæ injuriâ revocamus; & Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Septembris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Poſtulat ab Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principe Electore, ut in Conventu Ratisbonenſi Orthodoxæ Religionis rationes ſtrenuè tueatur, eamque præſertim in universâ Palatinatus Ditione conſtabiliri curet.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Præclaram Fraternitati Tuæ occaſionem explicandi ſuum in Catholicam Religionem zelum ſæpè ſæpiùs egregiè comprobatum facilè exhibebit Conventus Ratisbonenſis, qui proximè cogendus dicitur, ad quem procul dubio ultra quàm dici poteſt animati accedent Illi, qui Hæreticorum ſtudia profitentur, & partes acerrimè tutantur, ac fovent, quorum propterea conatibus fortiter, ac ſtrenuè obſiſtendum eſt, in quo ſanè virtuti tuæ campus aperitur ampliſſimus. Quoniam verò illi nullam unquam opportunitatem dilatandi fines ſuos, & propagandi latiùs errores prætermittere dignoſcuntur, par eſt, ut viciſſim ii, qui Dei gloriam, & Eccleſiæ Jura tuentur, veri etiam cultus incrementa nedum pari, ſed multò majori ſtudio, atque ſolicitudine promoveant. Nos itaque aſſiduè pro Muneris noſtri debito, & pro rei momento expendentes detrimenta, quæ meliori cauſæ, Deo occultis judiciis ſuis id permittente, in dies contingunt, de ipſius autem miſericordiâ, ut par eſt, confiſi, advertimus poſſe diſpendia Fidei aliquâ ſaltem ex parte reparari, ubi Orthodoxa Religio in universâ Palatinatus Ditione perpetuò conſtabiliatur. In hunc ita-

ſcopum Tuæ pietati ſtimulum addimus, & Te currentem quidem incitamus, quatenus hoc ſpirituale bonum in eo Conventu validè promoveas. Quod maximè Paternum noſtrum animum, tantis Chriſtianæ Reipublicæ malis jactatum, ac tantùm non jacentem ſolabitur, &, præter ampliſſimum apud Deum meritum, benevolentiam noſtram uſque magis conciliabit Fraternitati Tuæ, cui ſolidam à Deo felicitatem precamur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Octobris 1703. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Monet Nos Muneris noſtri debitum, ut tunc præſertim ſpectatam tuam pietatem, ac zelum in partem Pontificiæ Noſtræ. ſolicitudinis advocemus, cum Eccleſiæ bonum, & Fidelis populi ſpiritualis ſalus id maximè videntur expoſcere. Quoniam itaque non ambigimus, quin in proximè habendo Conventu Ratisbonenſi multa in deliberationem veniant, quæ ad Catholicæ Religionis ſtatum ſummoperè pertineant, etſi profectò confidamus Te veterem laudem, quam ferventi ſemper in eandem Religionem ſtudio luculenter promeruiſti, hac etiam occaſione eſſe cumulaturum: gratum Tibi tamen fore arbitramur noſtræ charitatis officiis in id ipſum uſque magis incendi, ut ſaltem intelligas Nos multùm equidem ſpei in Tuâ eximiâ virtute, ut par eſt, conſtituere; Et ſanè non vulgarem conſtantiam in aſſerendis Orthodoxæ Fidei rationibus hæc tempora expoſcunt, quando ſuos (ſi umquam anteà) vires palàm exerunt ejuſdem hoſtes, quibus jam parum eſt Eccleſiam Dei contemnere, niſi etiam eam evertere, quantùm in ipſis eſt, omni prorsùs conatu moliantur. Oportet itaque, ut (obſiſtentibus fortiter iis, qui ſtare debent, pro Domo Dei) decidant illi à cogitationibus ſuis. Quia verò advertimus non parum incrementi additum iri Catholicorum partibus, ſi eorum cultus, ac Fides in universâ Palatinatus Ditione conſtabiliatur, enixè Te hortamur, ut in hoc bono promovendo, urgendo, ac cum Dei ope perficiendo conſilium, & authoritatem tuam diligenter ponas: quod ſanè gratiſſimum Nobis erit, & magnum tuis apud Deum meritis cumulum adjiciet. Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, in felicitatis auſpicium, & pignus benevolentiæ noſtræ, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 13. Octobris 1703. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Gratum Fraternitati Tuæ fore confidimus hoc Pontificiæ noſtræ erga Te benevolentiæ teſtimonium, tum etiam pignus ſpei illius, quam in perſpecto tuo zelo, eximiâque virtute meritò conſtituimus. Excitatur autem potiſſimùm ſolicitudo noſtra ob proximam convocationem Conventus Ratisbonenſis, in quo facilè conjicimus non impigros fore in fovendis Hæreticorum partibus illos, qui eorum cauſam deterrimo conſilio tuendam ſibi ſuſceperunt. Par eſt itaque, ut Sacerdotali conſtantiâ ſtent ex adverſo, & murum opponant pro Domo Iſrael qui Dei honorem, & Catholicæ Religionis jura debent aſſerere. Nec ambigimus, quin Tu dignam loco, quem obtines, & Munere, quod geris, pietatem explices, ne quid veræ Fidei hoſtes hac occaſione proficiant: imò cum maxima de tuâ pietate Nobis polliceamur, Te ſedulum etiam in propagatione veri cultus fore confidimus, ac præſertim curaturum, ut in universâ Palatinatus Ditione Orthodoxa Fides conſtabiliatur. Sanè mercedem à ſupremo bonorum omnium Largitore hoc nomine referes uberrimam, & Paterno animo noſtro, curis graviſſimis in tanta Chriſtianæ Reipublicæ perturbatione onerato, ſolatium optatiſſimum afferes. Nos interim Fraternitati Tuæ in auſpicium bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 13. Octobris 1703. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Erneſto Archiepiſcopo Salisburgenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Cùm pietatem, ac zelum, quo incenditur Fraternitas Tua, luculenter explicent ea, quæ in diuturnâ, ac ſedulâ Eccleſiæ iſtius adminiſtratione præclarè geſſiſti, ſperare fas eſt Te in iis etiam, quæ Catholicorum omnium commune bonum, & incrementa veræ Religionis reſpiciunt, eamdem etiam vigilantiam tuam diligenti operâ, & incenſo fervore eſſe uberrimè comprobaturum. Cùm itaque in Comitiis Ratisbonenſibus de proximo habendis multa facilè occurrere poſſint, quæ Orthodoxæ Fidei ſtatum non leviter attingant, cupimus, ut tuâ authoritate per eos, qui tuo nomine Comitiis ipſis interfuturi ſunt, diligenter caveas, ne iis detrimentis, quibus pro præſenti iniquâ temporum conditione Orthodoxa Fides nimiùm obnoxia reperitur, graviora fortè hac occaſione ſupperaddantur. Quoniam verò ad Divini cultus incrementum valde conducere poteſt, ut Catholica Religio in universâ Palatinatus Ditio-

ne firmiter constabiliatur, gratissimum Nobis erit, ubi rem ipsam urgeri mandabis, & adversùs eos, qui aliter existimabunt (non enim deerunt multi) inconcusse statui curabis. Hæc mercedem tuam apud Deum affluenter cumulabunt, nostramque benevolentiam semper magis conciliabunt Fraternitati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 13. Octobris 1703. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Venerabili Fratri, Alexandro Sigismundo Episcopo Augustano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Tutelæ, ac incremento crediti Nobis desuper Dominici Gregis sedulò, ac assiduè, quantùm patitur infirmitas nostra, prospicientes, excitamus Pontificiâ nostrâ charitate vigilantiam, ac zelum Fraternitatis Tuæ (etsi per se quidem incensum) enixè à Te petentes, ut omni studio, & consilii tui authoritate Catholicæ Religionis causam in proximè habendo Conventu Ratisbonensi strenuè tuearis. Urgemur verò potissimùm, monente Nos publico rumore, & certo testimonio Nunciorum in istis Partibus nostrorum, ex quibus non defuturos esse adversùs eam validos Hæreticorum conatus non sinè maximâ cordis nostri solicitudine percepimus. Proderit autem vehementer eidem causæ, si Divinum Cultum, & Orthodoxam Fidem constabiliri in universâ Palatinatus Ditione contigerit, in quo ut operam omnem, atque diligentiam adhibeas, Te etiam, atque etiam hortamur. Conciliabis Tibi hoc facto præcipuum apud Deum meritum (ut probè intelliges) nostramque voluntatem uberrimè demereberis. Fraternitati interim Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 31. Octobris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Electorem Palatinum enixè requirit, ut Pro-Vicario Apostolico in Hollandia *Theodoro de Cock, qui nonnullorum improborum hominum operâ indè abscedere compulsus fuerat, omni studio, ac patrocinio adsit, eumque in suæ Ditionis locis humaniter excipi curet.*

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Suppetunt undique Nobis tot, ac tam præclara argumenta præstantis illius pietatis, qua Nobilitas Tua pro Catholicæ Religionis incolumitate, atque incremento incenditur, ut in his, in quibus maximè ipsius Religionis bonum, & Apostolicæ Sedis Dignitas versatur, opem, atque officia tua nunquam defutura esse Nobis fidenter prorsùs polliceamur. Quoniam itaque nonnulli parum

memores debitæ in Nos, atque in eandem Sedem obedientiæ, ac seipsos improvidè, alios autem temerè seducentes, ausi sunt insurgere adversùs Dilectum Filium Theodorum de Cock, quem Nos non ita pridem, prout spirituali saluti Fidelium in Hollandiæ Partibus commorantium expedire in Domino duximus, Pro-Vicarium Nostrum Apostolicum deputavimus: & cum pravâ hujusmodi Refractariorum hominum operâ factum sit, ut idem Pro-Vicarius noster inde abscedere, alioque se recipere cogeretur, Nos qui Animarum salutem, & Dei honorem eâ in re agi perpendimus, Te etiam, atque etiam hortamur, & pro Paternâ, qua Te impensè prosequimur, charitate obtestamur, ut præfato Theodoro de Cock omni studio, ac favore adesse, eumque sub tua Clientelâ susceptum in tuis Ditionibus, & in proximis istarum Partium locis humaniter recipi cures, quatenùs ipse interim partes demandati sibi Muneris obire, & Missionum opus, cui præest, promovere valeat. Facilè autem intelligere poteris, quantùm indè apud Deum meriti Tibi sit accessurum, quod etiam ad cumulandam semper magis singularem nostram in Te benevolentiam pertinebit; & Nobilitati Tuæ, cui uberem à Deo bonorum affluentiam precamur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 13. Octobris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiscopi Salisburgensis pietatem, & liberalitatem commendat, quòd unum ex marmoreis Sanctorum Apostolorum Simulacris, quibus Lateranensem Basilicam Sua Sanctitas ornandam susceperat, ibidem collocare statuerit.

Venerabili Fratri, Joanni Ernesto Archiepiscopo Salisburgensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Ea est Fraternitatis Tuæ pietas, ut nullâ temporum difficultate præpediatur, quominùs ad curanda Domus Dei ornamenta liberalem manum admoveat. Etsi dudum explorata Nobis esset hæc animi tui religio, peculiariùs tamen innotuit, ubi ex Dilecti Filii Comitis Jacobi Maximiliani de Thun Nepotis tui vivâ voce percepimus constitutum apud Te esse unum ex marmoreis Sanctorum Apostolorum Simulacris, quibus Sacra Lateranensis Basilica condecoranda est, in hac ipsâ omnium Urbis, & Orbis Ecclesiarum Principe Ecclesiâ collocare. Quoniam verò, præter explicatam perpetuo hoc monumento tuam in Apostolicam Sedem observantiam, perpendimus Te singularem, quâ Te prosequimur, animi nostri propensionem, atque benevolentiam respexisse, ac præthereà palàm declarasse gratam voluntatem erga hanc Urbem, in qua dudum Gentiles tui Patritiorum nomine censebantur; Nos vicissim curabimus, ut quemadmodum non uno studio Pontificiam charitatem Tibi conciliasti, ita eandem in vota, ac commoda tua pronam, atque paratam semper esse deprehendas. Et Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 13. Octobris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Ut Acatholicorum Militum Bonnæ hoſpitantium, qui damnatæ ſuæ Sectæ exercitia illic in ipſo Electoralis Palatii Sacello peragere audebant, licentiam cohiberi curet, Epiſcopum Jaurinenſem, Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarium, hortatur.

Venerabili Fratri, Chriſtiano Auguſto, Epiſcopo Jaurinenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quid jam ſibi licere non exiſtimabunt hæreticæ pravitatis Sectatores, poſtquam auſi ſunt ſub ipſis Fidelium oculis, nemine reclamante, loca Catholico cultui dicata, & myſteriis veræ Religionis dudum conſecrata, temerè uſurpare, ibique ſui Ritus exercitia, imò potius corruptelas, iniquâ licentiâ peragere? Abominationem hanc contigiſſe nuper in Civitate Bonnæ, ſicut non ſinè intimo dolore percepimus, ita non abſque cordis noſtri gemitu referimus Fraternitati Tuæ; nam eò uſque progreſſa eſt Militum acatholicorum ibi hoſpitantium audacia, ut Electoralis Palatii eam partem miniſteriis ſuis deputaverint, quam ſacram ſibi Ædem Antiſtites Colonienſes conſtituerant. Perpende itaque quanta divino honori, ac Eccleſiæ illata fuerit injuria, & quanti utriuſque interſit, ut tam enorme ſcandalum quamprimùm auferatur, & pro eâ, quam Nobis, atque huic Apoſtolicæ Sedi ſæpè ſæpiùs profeſſus es, filiali obſervantia, præclaris etiam non ſemel documentis explicata, omni ſtudio contende, ne ulteriùs perditionis filii in loco Sancto conſiſtant, neve diutius glorientur irruiſſe in hæreditatem Domini, polluiſſe Templum Sanctum ſuum. Inſignem itaque hanc occaſionem commendandi zelum, quo ferves, & cumulandi tua apud Deum merita ne deſere, ac Paternam ſolicitudinem noſtram novis in dies curis cumulatam gratiſſimo officio releva; dum Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 13. Octobris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Gratum erga Regem Portugalliæ animum profitetur, quòd marmoreum Simulacrum S. Thomæ Apoſtoli in Patriarchali Baſilicâ Lateranenſi locandum elaborari mandaverit, & inſignem Majeſtatis Suæ pietatem meritis laudibus ornat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Veterem, ac præclaram opinionem, quam de ſingulari Regii animi tui in Religionem ſtudio fovebamus, novo, ac peculiari argumento apud Nos confirmari perſenſimus, ubi Dilectus Filius Religioſus Vir, Antonius de Rego Societatis Jeſu inter cetera, quæ Nobiſcum de tuis rebus accuratè diſſeruit, certiores Nos fecit Majeſtatem Tuam conſtituiſſe liberaliter dare operam, ut elabo-

boretur ex marmore Divi Thomæ Apoſtoli Simulacrum cum ceteris, quæ ad ornamentum Sacræ Baſilicæ Lateranenſis parantur, in eadem Eccleſiâ locandum. Quod quidem nedum piè, ac munificè, ſed ſcitè etiam, ac congruè ab eo Rege deliberatum eſſe advertimus, qui cum Majorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum exempla in propaganda latiùs, & ad remotiſſimos uſque Orientis Populos Chriſtiana Fide æmuletur, meritò ejuſdem Apoſtoli memoriam ſibi colendam, ac præſidium implorandum ſuſcepit, qui primus diſſitis Terrarum Nationibus, atque ipſis Indiarum Gentibus Evangelicæ veritatis facem adduxit. Gaviſi itaque vehementer ſumus ſtatuendum eſſe in noſtro, & in totius Populi conſpectu, atque in celeberrimâ univerſi Orbis Eccleſiâ dignum hoc perpetuâ Poſteritatis laude tuæ virtutis monumentum, ob quod, dum Nos in primis gratum Tibi profitemur animum, Pontificiæ benevolentiæ, qua Te complectimur, præcipua documenta dare cupimus Majeſtati Tuæ, cui cum uberis auſpicio felicitatis Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima Octobris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Epiſcopi Herbipolenſis pietatem laudat, quòd in ornatum Baſilicæ Lateranenſis unum ex Marmoreis Sanctorum Apoſtolorum Simulacris ibidem locandis conferre decreverit.

Venerabili Fratri, Joanni Philippo Epiſcopo Herbipolenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Commendatam ſæpè Nobis, ac multis documentis exploratam ſingularem Fraternitatis Tuæ pietatem, animique præſtantiam prolixè, ac uberiùs teſtatur deliberatio per Te ſuſcepta conferendi in ornatum Sacræ Lateranenſis Baſilicæ unum ex marmoreis Sanctorum Apoſtolorum Simulacris ibi de proximo locandis, quod gratiſſimum Nobis accidit; gaudemus enim, quod perpetuum tuæ virtutis, ac religionis monumentum, quale illud erit, in celeberrimâ totius Orbis veneratione Eccleſiâ conſtituatur. Qua in re tuam etiam egregiam voluntatem, & obſervantiam erga Nos declaras, quòd ſcribis velle Te in noſtro delectu eſſe, cujus potiſſimùm Apoſtoli imago, Te curante, elaboretur; adeò nihil prætermittis, quod ad demerendum animum noſtrum pertineat. Nos itaque, officioſâ conditione libenter acceptâ, advertentes nihil tam congruere, quàm ut Divo Philippo Apoſtolo, cujus nomen præfers, hujuſmodi cultum exhibeas, opus Ipſi dicandum eſſe (ubi ita Nobiſcum ſentias) arbitramur. Pluribus autem explicaremus quàm ſolida, ac perennis permanſura ſit apud Nos tuæ hujuſmodi præclaræ erga Nos ſignificationis memoria, niſi oblationis in honorem Dei factæ meritum Tibi prorsùs integrum eſſe cuperemus, uberi tamen charitate, ubi occaſio dabitur, reſponſuri Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 8. Decembris 1703. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

De Catholicæ Religionis periculis fusè differit, & Archiepiscopum Moguntinum S.R.I. Principem Electorem ad eam strenuè propugnandam impensè hortatur.

Venerabili Fratri, Lothario Francisco Archiepiscopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Percussi sumus intimo, acerbissimoque dolore, ubi agnovimus præsens, manifestumque periculum, in quo Catholica Religio nunc temporis in istis partibus versatur ex iis, quæ Fraternitatis Tuæ nomine Dilectus Filius Joannes Philippus Comes de Schonborn Nepos Tuus diligenter Nobis explicavit. Spem tamen, quam præcipuam in Dei ope constituimus, confisi eum suæ causæ nostris, & Fidelium precibus exoratum esse adfuturum, non leviter confirmavit zelus, quem pro ejusdem Religionis indemnitate fovere declaras, dum Nos, quæ Muneris nostri partes sunt, vias, ac rationes omnes inire parati sumus, quibus tanto malo occurratur, adhibitâ tamen eâ circumspectione, quam Tui præsertim intuitu servari oportere ipse Nepos tuus scitè advertebat, Nosque ipsi probè intelligimus. Interim verò urget Nos eadem solicitudo nostra, ut Te quo majori possumus studio, hortemur, atque obtestemur, ut in susceptâ orthodoxæ fidei defensione, tanquam in tuâ statione, immobilis persistas, neque ullam unquam conditionem, utcumque amplissimam, quâ ipsa vel minimùm lædi possit, admittas; non enim Te latet totius etiam Mundi lucrum in jacturâ meritò reputari, ubi illud vel exiguo Animæ detrimento contingat. Quod si post spirituale dispendium, quod longè maximi ponderis est, temporalia etiam commoda spectare placeat, ea nequaquam expectanda sunt in iis, in quibus Divini honoris contemptus intervenit, quæ plerumque, Deo ipso pœnas in hoc seculo de Nobis sumente, felici exitu destituuntur, neque prorsùs attendenda sunt consilia eorum, qui Authores sunt præstare in hujusmodi negotiis minora mala, ut majora declinentur, admittere, cum imò satis rerum usus, atque experientia doceat, quod qui hoc obtentu leviora, ut ipsi autumant, pericula subire non renuunt, gravissima, & extrema sæpè sæpiùs incurrunt. Verùm nihil magis huic temporum conditioni, & universę Christianæ Reipublicæ salutare, nihil dignius eximiâ tuâ pietate existimamus, quàm si omnem operam, studium, ac laborem, quantum in Te erit, impendas, ut quæ tot malis ansam præbent, & Acatholicis animos, ac vires in dies addunt, discordiæ, & bella inter Christianos Principes semper magis incensa defervescant, & Dei ope aliquandò componantur. Hoc summum Pontificiæ nostræ charitatis votum ut enixè promoveas, etiam atque etiam à Te expetimus. Plura accipies ab eodem Comite Nepote tuo, cui sensus nostros latè aperuimus, & Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 10. Decembris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Agit de conversione Angeli Visini ex Judaica perfidia ad Christianam Religionem, & à Magno Duce Etruriæ petit, ut ubi ejusdem Angeli Uxor, & Filia illius vestigia sequi velint, ipsis benignè adesse dignetur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Qui è Liburno Romam nuper se contulit, Angelus Visinus, cum è Judæis, quorum leges, & instituta usque modò miserè secutus est, ad Christianorum Fidem, cujus veritatem, aspirante misericordiarum Patre, cognovit, transire, eamque per Baptismum, complecti se velle firmiter asserat, eam cordi nostro lætitiam attulit, qua decet Nos affici ob lucrum unius animæ, quo Coelum ipsum, & Angelos Dei certum est recreari. Omni propterea charitate hominem ad Matris Ecclesiæ sinum confugientem excepimus, paratique sic sentientem perpetuò fovere, eum ritè institutum sacro Fonte nostrâ manu abluere constituimus. Quoniam verò ipse fusè Nobis exposuit, quantum præsidii ad perficiendum hoc propositum in eximiâ pietate Nobilitatis Tuæ nactus sit, opportunum esse ducimus à Te petere, ut pergas ipsi, rebusque ejus adesse: quod tamen Te ultrò facturum esse, de tuâ virtute meritò confisi, eidem non semel polliciti sumus, & sanè cum ipsum viam salutis alacriter nunc demum ineuntem, nihil subinde tam remorari possit, aut ad respiciendum retrò evocare, quàm suorum memoria, Uxoris præsertim, ac Filiæ, quas inter perpetuos Christiani nominis osores Judæos reliquit, præclaram, ut soles, operam præstiteris, si eum ab hac cogitatione exolveris, & præter res ipsius, præfatas Uxorem, & Filiam authoritate tuâ ità iuveris, ut quatenus illæ, vel earum altera, ut spes esse videtur, vestigia ejus sequi velit, nullo impedimento detineatur, quominus id exequi valeat. Pluribus autem id non prosequimur, cum magnitudo tuę virtutis Nobis admodum explorata sit, & majora in hujusmodi causâ sperare à Te liceat, quàm expetere; in auspicium interim multæ felicitatis Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Decembris 1703. &c.

ARGUMENTUM

Susceptum ab Episcopo Barchinonensi consilium fundandi in eâ Civitate Domum Congregationis Missionis probat, & laudat.

Venerabili Fratri, Benedicto Episcopo Barchinonensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Cùm de profectu Ovium maneant æterna gaudia Pastorum, meritò solicita est Fraternitas Tua nedum de custodiendo credito sibi Grege, sed de eodem etiam salubrioribus in dies, atque uberioribus pabulis reficiendo; ita enim promissa utili, ac fideli Dispensatori mercede, & perenni in Cœlis lætitiâ non fraudabitur. Probatur proptereà Nobis vehementer consilium tuum inducendi in istam Civitatem, atque in eâ fundandi pium Missionum Institutum, cujus quidem receptio, cum ingentem ubique fructum pepererit, fieri non potest; quin magno spiritualis rei compendio in istâ etiam inter ceteras insigni Diœcesi contingat; imò etiam confidimus fore non multò post, ut perceptâ ipsius utilitate aliæ, atque aliæ ejusdem Congregationis Domus istis in partibus erigantur, quod sanè gratissimum Nobis erit, qui nihil tam cupimus, quàm ut, benedicente Domino, eadem Congregatio propagetur, ut per eam levamen aliquod tuis curis, atque laboribus accedat. Præsens sanè præsidium in regimine suarum Ecclesiarum percipere solent Episcopi ab hujusmodi Operariis, pondus diei, & æstus non levi ex parte subeuntibus; horum enim ope, quod perierat, requirere, quod confractum fuerat, faciliùs alligare valent, & oves sibi creditas per vestigia salutis in sedem optatæ felicitatis deducere. Dignum itaque esse ducimus hoc tuum propositum, ut perficiatur, atque præcipuis in Domino laudibus à Nobis commendetur. Nec verò prætermittemus ullo Pontificiæ nostræ charitatis argumento eidem, ubi res feret, adesse, quò intelligas gratum Nobis admodum accidisse præclarum hoc tuæ vigilantiæ specimen, nec non testimonium singularis tuæ in Nos, atque in hanc Sanctam Sedem observantiæ, in eo præsertim declaratum, quòd nonnisi exploratâ mente nostrâ id à Te aggrediendum esse existimasti. In auspicium proindè secundi eventus, quem huic operi à Deo apprecamur, Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 29. Decembris 1703. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Permoleſtas Sibi accidiſſe ſcribit anguſtias Ducis Mutinenſis, cui quidquid à Pontificiâ authoritate in illius ſolatium proficiſci poteſt, benignè pollicetur, ejuſque interim rationes Regi Chriſtianiſſimo enixè commendaſſe ſignificat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Raynaldo Eſtenſi, Mutinæ, & Regii Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Iddio, che vede li cuori, ben' vede di qual' grave afflizione ſia riempito il noſtro ſul' rifleſſo delle preſenti anguſtie dell'A.V. Senza però più lungamente diſtenderci sù queſto argomento, mentre ſiamo certi, che Ella ci crede, penſiamo ad offerirle con ſincerità, e con cordialità tutto ciò, che è in poter noſtro, e che poſſa in qualſiſia maniera conferire al ſuo ſollievo. L'offerta non ſarà diſgiunta dall'opere, ſe Ella riſolverà di prevalerſene, come vivamente bramiamo. Abbiamo ſcritto fortemente in Francia, e appunto in quei termini, che ci ſono ſtati inſinuati dal noſtro amore, e dal ſuo biſogno; ſtiamo ora con anſietà attendendo il frutto de' noſtri uffizii. Quanto a' Soli ſiamo riſoluti di conſolarla, ſiccome in tutto altro, che dipende, ò può dipendere da Noi; abbiamo perciò ordinato à noſtri Miniſtri, che ne diviſino li modi più proprii, perche abbia à conſeguire l'intento, come meglio l'A.V. ſentirà da Monſignore di Marſciano, al quale ci rimettiamo. E pregando inceſſantemente Dio, che la conſoli con quei ſucceſſi più felici, che Ella tanto merita, e che da Noi tanto ardentemente le vengono deſiderati, diamo all' A.V. con tutta la pienezza del noſtro affetto l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 29. Decembris 1703. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

EPISTOLÆ
ET
B R E V I A
SELECTIORA
ANNI MDCCIV.



IN NÕE I. C. BAPTIZABANTVR VIRI AC MULIERES.
Act. Ap. Cap. 8. u. 12.

ARGUMENTUM

Ducis Sabaudiæ conditionem ob perturbatam illius rerum tranquillitatem dolet, & ad eam restituendam Pontificia eidem Duci officia exhibet, ipsumque adhortatur, ut cælestem intereà opem sibi conciliare satagat, & hunc in finem Filialis suæ erga Sanctam Sedem observantiæ testimonia diutiùs desiderari non patiatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Victorio Amedeo
Duci Sabaudiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Paternæ charitati, qua Nobilitatem Tuam, Tibique subditos Populos in Domino complectimur, permolestum accidit, ac planè acerbum ex tuis ad Nos literis cognovisse, quibus Te nunc gravissimis curis ob perturbatam nuper rerum tuarum tranquillitatem implicari contingat. Accedit ad cumulum doloris nostri, præter Tui ipsius, tuæque Ditionis intuitum, quòd cernimus novas bellorum flammas in Italiâ nunc potissimùm incendi, quando Nos illas, quæ miserè, ac diù nimiùm ipsam, ac tot alias, tamque præclaras Christiani Orbis Provincias absumunt, extinguere omni studio contendebamus. Ferventiores propterea ad Deum preces ex intimo cordis effundimus, enixè ab eo petentes, ut jam non culpas nostras, omnia iræ suæ flagella promeritas, sed suam Ipse misericordiam unicè respiciat, detque Nobis sedium suarum assistricem sapientiam, & ea super Nos lumina effundat, quorum ductu in difficillima hac rerum, ac temporum conditione Muneris nostri

par-

partes implere valeamus. Cælesti sanè hujusmodi præsidio confisi alacriter Tibi exhibemus, sicut aliis Christianis Principibus non semel obtulimus, officia nostra, & quidquid studii, atque operæ ad parandam, atque constabiliendam tum tuam peculiarem, tum publicam tranquillitatem, à Nobis proficisci potest. Verùm quia probè scimus ad obtinendam eam, quam Mundus dare jam non potest, pacem necesse esse eamdem priùs cum Deo ipso firmiter inire, hinc quemadmodum non cessamus assiduè clamare, ut Christianum Populum excitemus ad propitiandum dignis pęnitentię fructibus Deum, peccatis nostris justè indignatum, ita non prętermittimus Te peculiariter hortari, ut curam omnem adhibeas ad supernam Tibi opem in primis conciliandam, sine quâ frustra laborant, qui Civitates, & Regna custodiunt. Præclarum porrò tam necessariæ ejusmodi curæ testimonium dabis, si diutius à Nobis desiderari non patieris ea, quæ Filialem tuam in hanc Sanctam Sedem observantiam commendent, atque reipsâ comprobent. Votis interim tum enixis, tum assiduis Deum Optimum Maximum rogabimus, ut consiliis tuis salubriter aspiret, & Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Januarii 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Commemoratis officiis, quæ per Nuncium Apostolicum apud Ordinem Ecclesiasticum Regni Poloniæ interponi mandaverat, à Rege Augusto vicis loco reposcit, ut in suis hæreditariis Ditionibus orthodoxæ Fidei cultum strenuè promoveat, ac Principem in primis Natum suum, omni sublatâ cunctatione, catholicè institui curat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Rectè animum, quo sumus, expressit Majestati Tuæ, qui eidem asseruit nihil tam à Nobis optari, quàm ut illi, qui in Regno isto Ecclesiasticum Ordinem constituunt, & præcipuis in eo Dignitatibus præfulgent, post debitum erga Catholicam Religionem cultum, Regiam tuam Dignitatem tueantur, & quæ cum illâ conjunctissima est, Regni ipsius salutem, atque tranquillitatem promoveant. Mentem hanc nostram diligentissimè explicavimus Venerabili Fratri Horatio Philippo Archiepiscopo Thebarum, cui Nuncii apud Te nostri munus obituro injunximus, ut sedulò apud præfatum Ordinem, singulasque ipsius Personas agat, ne cura hæc adeò necessaria hoc præsertim perturbatissimo temporum, & rerum statu ab ullo eorum prætermittatur, cum ea maximè respiciat debitam in Deum, & in Patriam fidem, qua eos præ omnibus decet, & oportet incendi, ut ceteros authoritate, & exemplo suo contineant, & in commune bonum convertant. Hoc Pontificiæ charitatis, & Paterni amoris documentum eò libentiùs Tibi detulimus, quò ampliora à Te semper speramus argumenta addictæ illius erga orthodoxæ Fidei propagationem voluntatis, quam Te egregiè fovere Dilectus Filius Noster Franciscus Cardinalis Pignattellus disertè Nobis testari non omisit. Quod etsi Nobis pridem persua-

ſum omninò eſſet, gaudemus tamen Te ſæpiùs hoc ipſo nomine apud Nos commendari: imò quia cupimus Te ad ſummum uſque faſtigium ejus laudis, quæ à pietate eſt, pertingere, aſſiduè, & anxiè à Te præſtolamur præclarum aliquod tui zeli ſpecimen, cujuſmodi profectò eſſet, ſi de conſilio ejuſdem tuæ pietatis aliquid in tuis hæreditariis Ditionibus ſtatueres, quod ad bonum, & commodum Catholicæ Fidei pertineret. Quid enim tam rationi conſentaneum eſt, quàm ut Populis pateat aditus ad ſuſcipiendam eam veritatem, quam Princeps ſemel agnitam ſtrenuè complexus eſt, ac publicè profitetur? Aut quid tam expedit, quàm ut tuo ductu, atque ope, ſi qui velint, poſſint tandem emergere à fœdo illo, atque luctuoſo naufragio, quo ea pars Chriſtiani Orbis à gremio Eccleſiæ olim avulſa miſerè deperit. Præſta itaque Patriæ, ac Populis, qui tuæ authoritati ſubſunt, inſigne hoc beneficium, ut eam veram, atque unicam Religionem eſſe intelligant, quam Tibi commendatiſſimam eſſe agnoſcent. Ac ne ea interim præterire videaris, quæ Tibi omnium maximè cordi eſſe debent, ſi Filium tuum verè diligis, ſi Paternis noſtris vocibus obſequi ex animo cupis, cura omninò, & quamprimùm effice, ut Filius ipſe catholicè inſtituatur: ne ſi diutiùs id negligi contingat, ipſe cum aliis, quibuſcum fortè vivit, aberrare, atque deſipere incipiat, quod periculum nunquam ſanè avertetur, niſi hac ætate, qua eſt, aurem præbere aſſueſcat præceptis, ac ſermonibus Domini, quorum declaratio illuminat, & intellectum dat parvulis. Atque hæc ſunt, quæ tuæ pietatis nomen apud homines augere, & cæleſte Tibi præſidium conciliare, & uſque magis benevolentiam noſtram demereri poſſunt. Quæ ut alacriter præſtes, Te Paternâ charitate hortamur, dum Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 19. Januarii 1704. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Bugienſem Vicarium Apoſtolicum Cocincinæ, Miſſionarios, & alios Fideles, qui diram in illis partibus perſecutionem ob Chriſtianam Religionem patiebantur, paternè conſolatur. Mittit illuc Epiſcopum Tilopolitanum, ut ipſis afflictis Fidelibus ſolatio, ac eidem Vicario in ea temporum acerbitate adjumento ſit. Injungit demum prædicto Vicario, ut Nomina, & Acta Fidelium, qui vitam pro ſuſcepta Chriſti fide illic fortiter poſuerant, ad Sanctitatem Suam quamprimùm perferri curet.

Venerabili Fratri, Franciſco Epiſcopo Bugienſi, Vicario Apoſtolico Cocincinę.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Acceptis Fraternitatis Tuæ literis vigeſimâ quinta Julii Anni ſecundi ſupra milleſimum ſeptingenteſimum ex Cocincinâ ad Nos datis, atque occurrente ſtatim Nobis in eis ubertate ſpiritualis fructus tuâ ſedulitate, atque eorum etiam operâ, qui Tecum in Evangelio laboraverunt, iſthic relati, intimè lætati ſumus, ſicut qui lætantur in meſſe, & ad ſperanda majora in dies Chriſtianæ Fidei incrementa animum ereximus. Verùm quemadmodum gaudium noſtrum ſubinde non leviter imminutum eſt, percepto ex iiſdem literis graviſſimo periculo, quod in

præ-

præſens imminet Fidelibus iſtis, ac præcipuè Tibi, & iis, qui propagandæ Fidei dant operam, ob excitatam, faciente inimico homine, adversùs Chriſtianum nomen tam diram in iſto Regno perſecutionem, ſpes omnis majoris iſthic profectus in corde noſtro prorsùs interiiſſet, niſi reputatis Nobiſcum Eccleſiæ naſcentis exordiis illa eadem cogitatio ſubiiſſet: Regnum Dei, quod per Fidelium olim adverſitates, atque tribulationes, perque preſſuras, & vincula, & ſanguinis effuſionem fuit in terris conſtitutum, iiſdem etiam mediis, quoties res feret, eſſe amplificandum: ac propterea ſtatuimus nullo modo abiiciendam eſſe ſpem conſtabiliendi Divini cultus in remotiſſimis iſtis Terrarum partibus, neque dolendam eſſe eorum conditionem, qui ærumnas, utcumque maximas, ac etiam extremas, pro Chriſti Nomine iſthic modò patiuntur; ſed imò cum ipſi ad eam ſortem vocentur, quam in ipsâ Evangelii promulgatione fortiſſimi Chriſti Pugiles ſubierunt, ad aſſerendam ſcilicet ſuo ſanguine Evangelii veritatem, debere eos reputari cum ipſis Beatis, quos legitimi certaminis corona manet in Cælis. Hoc Te deſiderio cum videamus incenſum, Apoſtolicâ charitate complectimur, & quò alacriùs arduum Miſſionum Cocincinenſium munus perferre valeas, mittimus iſthuc Venerabilem Fratrem Epiſcopum Tilopolitanum, confiſi ejus pietatem, atque prudentiam Nobis perſpectam, & longo uſu, multiſque argumentis in rebus ad Dei gloriam, & ad animarum ſalutem pertinentibus, iſthic quoque comprobatam, fore tum magno ſolatio iſtis Fidelibus, tum grato præſidio Tibi ipſi, qui pari fervore flagras, nec ambigentes, quin junctis ſtudiis, atque conſiliis, & æmulando invicem chariſmata meliora, ambulet Uterque veſtrum in Domo Dei cum conſenſu. Interim verò recreare Te ſummoperè debet inſignis conſtantia tum Miſſionariorum, qui inter vincula, & carceres mortem ipſam perpeti non timuerunt, ut miniſterium ſuum implerent, tum etiam Chriſtianorum iſtorum, quorum non paucos vitam ſtrenuè, ac fortiter pro ſusceptâ Chriſti Fide poſuiſſe intelleximus, quorum Nomina, tanquam in libro vitæ conſcripta, ſicut glorioſa eſſe in Cælis non ambigimus, ita æquum, ac pium eſſe ducimus, ut in Actis Eccleſiæ ad perennem eorum laudem, & ad Fidelium ædificationem, & exemplum recenſeantur. Proinde gratiſſimam rem Nobis feceris, ſi illa ad Nos unàcum Actis, quæ huc pertineant, fideli, quantùm fieri poterit, teſtimonio ſuffultis, diligenterque deſcriptis, perferri curaveris. Ceterùm volumus, ut noſtro nomine omnibus, qui ſub Chriſti vexillo militare gloriantur, veram, ſolidamque ſalutem appreceris, eoſdemque horteris, ut memores ſe tenere manentem ſubſtantiam, ſtabiles ſint, ac immobiles, & abundantes in opere Domini, utque nihil metuant à facie illorum, qui eos perſequuntur, dexterâ Omnipotentis dubio procul conterendi. Sciant autem, quòd benedictio Dei in mercedem Juſtorum feſtinat, cujus in auſpicium Nos Fidelibus ipſis, ac in primis Fraternitati Tuæ, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Januarii 1704. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

AR-

ARGUMENTUM

A Cardinali de Kolonitz enixè petit, ut operam, studium, authoritatemque suam interponat, quatenùs detrimenta ab Hæreticis Ecclesiæ Hildesiensi illata sarciantur, & alia graviora imminentia repellantur.

Dilecto Filio Nostro, Leopoldo Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbytero, S. R. E. Cardinali à Kolonitz nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Intimè commoti gravissimo periculo Ecclesiæ Hildesiensis, quam nunc maximè vexandam sibi esse eterodoxi quidam Principes, junctis inter se consiliis, constituerunt, eximium zelum, quo Te in Dei causâ incendi non semel experti sumus, nunc præsertim in præsidium nostræ solicitudinis adhibemus, quando eo loco res est, ut præter interceptos fructus, quibus Clerus illius Ecclesiæ alitur, Templa etiam, atque Cœnobia quædam ejusdem Diœcesis insidiis pateant, & manifestum detrimentum in eâ parte immineat Catholicæ Religioni. Enixè propterea à Te petimus, ut omnem operam, studium, atque laborem, ac authoritatem in primis, quâ præstas, interponas, quatenùs avertantur tot mala, & hostium Ecclesiæ impetus elidatur. Satis esse arbitramur Tibi hæc innuisse, ut in eâ re solertissimè verseris, cum facilè intellecturus sis summæ Tibi laudi, ac præcipuo apud Deum merito fore susceptam hoc præsertim tempore Ecclesiæ illius tutelam, quo etiam nomine charitatem nostram arctissimè obstringes, prout fusiùs accipies à Venerabili Fratre Joanne Antonio Archiepiscopo Episcopo Ariminensi, dum Nos Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Januarii 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Ioanni Philippo Tituli S. Silvestri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Gravissimam Deo, & Catholicæ Religioni injuriam parari advertentes per ea, quæ acatholici quidam Principes consiliis suis moliuntur, & vi, ac potentiâ urgent in præsens adversùs Ecclesiam Hildesiensem, nihil jam memoramus de magnitudine doloris indè à Nobis percepti, quem porrò, etiam tacentibus Nobis, Tibi perspectum esse arbitramur, sed Te, quem zelo flagrare novimus divini honoris, hortamur, ut statim diligenter expendas, qua viâ, ac ratione tantis ausibus obsisti possit; quod verò expedire duxeris, id validissimè pro Tuâ authoritate, & gratiâ apud eos, à quibus præsidium expectari potest, ac debet, promoveas; non enim libertas tantùm illius Ecclesiæ impetitur,

quod quidem dolendum per se esset, sed cogitationes, & insidiæ tendunt ad evertenda etiam sacra loca, in quibus Divinus Cultus à multo tempore ibi peragitur, aut, ut compendio res dicatur, ad delendam in eâ parte prorsùs Orthodoxam Fidem. A' Venerabili Fratre Joanne Antonio Archiepiscopo Episcopo Ariminensi pluribus solicitudinem eâ de re nostram, & quæ à Te requiramus, officia, & opem intelliges, dum Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Januarii 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Filialis studii, quo Nos prosequitur Nobilitas Tua, præcipuum documentum à Te petimus, dolore maximo affecti ob gravissimam injuriam, quæ infertur in præsens Ecclesiæ Dei, ac Catholicæ Religioni, dum nonnulli Principes acatholici extremam perniciem Hildesiensi Ecclesiæ comminantur, & occupatis Ecclesiasticis illius Cleri proventibus, Templa etiam, ac Monasteria evertere se velle non jam occultè, sed palàm profitentur. Res tibi exploratior erit, quàm ut repeti à Nobis debeat. Enixè itaque à Te petimus, ut zelum, quem pro Orthodoxâ Fide foves, hac maximè occasione explices, & qua viâ, ac ratione expedire duxeris, tantos ausus cohibeas; dum Nos de tuâ pietate admodum confisi Deum precabimur, ut quæ pro ejus causâ susceperis, feliciter ad exitum perducat, & amplissimo Tibi præmio rependat, utque vota nostra in hac molestissimâ curâ soletur. Et Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Januarii 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Christiano Augusto Episcopo Jaurinensi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, salutem &c. Intelliget facilè Fraternitas Tua, quàm gravi, & intimâ solicitudine affecti simus, ex quo audivimus nonnullos magnæ quidem in istis Partibus authoritatis, ac potentiæ Principes, sed in Catholicam Religionem veteri odio animatos eò usque produxisse cogitationes suas, ut velint de juribus Ecclesiæ Hildesiensis pro arbitrio disponere: imò etiam quibusdam Templis, atque Monasteriis ejusdem Dioecesis, quæsitis coloribus, ruinam minitari non dubitent, & inferre parent, nisi sit, qui conatibus tam iniquis celeriter, ac validè obsistat. Hortamur itaque, & coram Deo Servatore nostro Te obtestamur, ut Ecclesiam eamdem contra fas omne temerè concussam tuo zelo tuearis, ne publicâ Ca-

tho-

tholici nominis injuriâ, & perpetuo Divini Cultus detrimento hæc, quæ meritò timentur, & quæ tam proximè imminent, mala contingant. Acerbissimus dolor, quem eâ de re persensimus, dignus sanè est, qui filiali tuo studio à Te relevetur, quod ut sedulò præstes, iterum, atque iterum à Te petimus, & Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Januarii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Episcopum Tullensem laudat, quòd Constitutionibus à Duce Lotharingiæ adversùs Ecclesiæ Libertatem editis sacerdotali pectore obstiterit, ipsumque hortatur, ut susceptam Dei causam constanti animo tueri pergat.

Venerabili Fratri, Henrico Episcopo Tullensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Conceptum pridem ex Dilecti Filii Nobilis Viri Leopoldi Lotharingiæ, & Barri Ducis nomine editis Constitutionibus, quibus Ecclesiæ jura multifariam, multisque modis violari conspeximus, dolorem nostrum lenivit admodùm, quod nuper audivimus, Fraternitatem scilicet Tuam paternis monitis nostris obsecundantem pro causâ Dei tuendâ strenuè insurrexisse, multisque apud præfatum Ducem argumentis egisse, ut ab inconsulto nimis Ministros Ecclesiæ turbandi consilio desisteret. Gratias propterea egimus maximas Omnipotenti Deo, quòd periculosis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videntur, quos prænunciavit Apostolus: qui sanam doctrinam non sustinent, & ad sua desideria coacervantes sibi Magistros, à veritate quidem auditum avertunt: talem Ecclesiæ Tullensi suscitaverit Sacerdotem fidelem, qui Evangelium non erubescens, nec formidans vultum Potentum, fortiterque Dei, & Ecclesiæ causam agens, liberè loquatur, ut proindè gloriari meritò possit in Domino vocibus illis: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar*. Atque utinam multis Ecclesia Dei abundet hujusmodi Sacerdotibus, qui Principes etiam Viros, si quandò à veritate aberraverint, paternâ quidem charitate obsecrent, sed & Pastorali itidem zelo arguant, eâque demum cum opus fuerit, libertate increpare non dubitent, quæ verè Episcopos decet; dum præsertim non privatam, sed publicam Ecclesiæ rem promovent, ipsorumque Principum, qui & Oves Christi sunt, & Ecclesiæ Pastoribus curæ esse in primis debent, æternæ saluti prospiciunt. Age igitur, Venerabilis Frater, susceptam viriliter Dei causam constanti animo exequere: dabit enim Deus voci tuæ vocem virtutis, dabit & voci nostræ, quâ ex altâ universalis Ecclesiæ speculâ clamare nunquam cessabimus, ac pro commissâ Nobis cœlitùs potestate propulsandæ à Sanctuario Domini tam gravi, & non ferendæ injuriæ totis viribus intendemus, usque dum prædicti Ducis pietas, & innata Religio Nos audiens, ut planè confidimus, ablata Ecclesiæ jura restituat, abjectisque, quod Principis verè Catholici est, iniquis hominum, qui solùm terrena sapiunt, consiliis revertatur ad terminos Patrum suorum. Supernam interim Dei, qui virtus, & fortitudo nostra est, opem, adjutricemque in opportunitatibus dexteram Fraternitati

Tuæ, ſicut, & ceteris Epiſcopis in eâdem Eccleſiæ causâ laborantibus imploramus ex animo, Tibique, Venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Januarii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Duci Mutinæ ſcribit ſe prompto animo annuiſſe iis, quæ in illius ſolatium ceſſura fore credebantur, & ad ampliora Pontificiæ benevolentiæ teſtimonia ipſi tribuenda ſe paratum exhibet.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Raynaldo Eſtenſi Mutinæ, & Regii Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Prontamente ſiamo condeſceſi à tutto ciò, che da Monſignore di Marſciano in nome dell'A. V. ci è ſtato ſuggerito poter riuſcir opportuno al di Lei ſollievo. Piaccia ora à Sua Divina Maeſtà di benedire li paſſi da Noi fatti, e di renderli fruttuoſi, come vivamente bramiamo. In tanto ritragga quindi l'A. V. un chiaro argomento di quel diſtinto, e Paterno amore, con cui la rimiriamo, e ſi aſſicuri della noſtra diſpoſizione di darlene altri maggiori, mentre implorandole da Dio i più opportuni conforti, diamo all'A. V. di tutto cuore l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 30. Januarii 1704. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Cardinalem Radzieovvski iterùm ſeriò hortatur, ut ad publicam Polonici Regni tranquillitatem, & Catholicæ Religionis incolumitatem promovendam ſtrenuè incumbat.

Dilecto Filio Noſtro, Michaeli Tituli Sanctę Marię de Pace Presbytero, S.R.E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Extremam Regno iſti perniciem impendere, Deo adversùs illud in flagella parato, tunc ſanè timendum eſſet, ubi non poſtremæ in eo conditionis, neque vulgaris Ordinis, aut Dignitatis homines tanta cepiſſet publicæ ſalutis, imò etiam Divinæ Legis oblivio, ut mallent ſua cum Reipublicæ, & Catholicæ Religionis hoſtibus conſilia conjungere, quàm ab odio intimè concepto, vel ab ambitu, aut à quocumque privato ſtudio vel minimùm recedere. In tantam cæcitatem neminem eorum Civium, quorum inſignis in Deum, & in Patriam fides ſemper extitit, deveniſſe certè Nobis perſuaderemus, niſi præſens nimiùm luctuoſa rerum iſtarum facies, & publicus rumor Nos admoneret non aliundè tot ma-

la strenuæ Nationi virtute olim bellicâ satis, superque claræ contigisse, quàm ob simultates, atque cupiditates eorum, qui res suas alieno etiam exitio, & si opus sit, libertatis, jurium, ac Regis, Regnique ipsius jacturâ, atque eversione provehere non verentur. Quocircà, cum Nos ingenti solicitudine de rebus istis, quas in summum discrimen videmus adductas, teneamur, ad Te, Dilecte Fili Noster, oculos iterum convertimus, Te etiam, atque etiam hortantes, atque obsecrantes, ut hoc perturbatissimo tempore talem Te exhibeas, ut nedum immunem Te esse à quâcumque censurâ neglectæ publicæ salutis omnes Nobiscum agnoscant, sed ut qui in Te oculos pro loco, quem in Ecclesia Dei, & in Republicâ obtines, conjecerint, præclarum zeli pro patriis Juribus, ac legibus, pro Regiâ Dignitate, atque pro Catholicæ Fidei incolumitate exemplum propositum in Te habeant. Hoc sanè animo Te esse confidimus: verùm præstat, ut nedum cupidus, sed, quod Dignitati tuæ probè congruit, auctor etiam communis boni, & optatæ tranquillitatis perpetuâ tui nominis laude dicaris; In cujus rei auspicium Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Februarii 1704. &c.

In eamdem sententiam scriptum etiam fuit reliquis Regni Poloniæ Præsulibus.

ARGUMENTUM

Charitatis officia ab Episcopo Meliaporensi exhibita Missionariis Apostolicis pergrata sibi accidisse profitetur, ipsumque Episcopum, ut eos omnes, qui illac pertransibunt, libenter excipere, atque fovere velit, hortatur,

Venerabili Fratri, Episcopo Meliaporensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Gaudium in Domino singulare percepimus ex literis Fraternitatis Tuæ Meliapori primâ Januarii anni post millesimum septingentesimum primi datis, nam pro solicitudine, quam gerimus omnium Ecclesiarum, nihil tam cupimus, quàm de statu Dominici Gregis supernâ Omnipotentis Dei ordinatione Nobis, licèt immerentibus, commissi certiorari. Verùm ea præsertim nosse cupimus, quæ in remotissimis istis terrarum partibus circa incrementa Christianæ Fidei, & Animarum salutem eveniunt, nec satis explicare possumus quàm grata Nobis contingant synceræ charitatis officia exhibita Missionariis, qui ab hâc Sanctâ Sede ad evocandos, ac perducendos ad Christi Ovile Infideles, & ad confirmandos in veritatis cultu Fideles, ad diversas Orbis partes allegantur. Quocircà cum Nobis perspectum sit Te singulari pietate adfuisse nonnullis eorum, ut illi ipsi Nobis testati sunt, deesse Tibi nolumus in præsens hoc testimonium illius laudis, quam propthereà uberem à Nobis retulisti. Optatum hoc, atque profectò necessarium mutuæ inter Episcopos, & hujusmodi Operarios dilectionis vinculum nunquam dissolvi, sed imò semper magis obstringi cupientes, molestè ferimus si quæ fortè aliquandò accidant, quæ illud quodammodò laxare videantur. Sanè nihil est, quod magis curet, ac velit Apostolica Sedes, quàm ne jura Episcoporum per Missionarios ullo modo per-

turbentur; viciſſim verò Pontificia ſolicitudo negligere non debet Animarum ſalutem, & lucrum in partibus extra Diœceſim Epiſcoporum poſitis, quæ cum propter locorum diſtantiam curari ab ipſis nequeant, Paſtoris ſolatio deſtituerentur, niſi pro ſuo munere Supremus Chriſti Vicarius per Sacros Adminiſtros ſpiritualem opem ipſis afferret. Cum verò non ſemper commodum ſit, aut proficuum, ut novi Epiſcopatus erigantur, providè ſecundùm antiquam Eccleſiæ conſuetudinem ſervatum eſt, ut hæc Sancta Sedes Apoſtolicos Vicarios, vel eorum Delegatos in hujuſmodi Locis conſtituat. Quod certè gratum eſſe deberet Epiſcopis ipſis, quos decet eodem deſiderio propagandi Divinum Cultum incendi, neque de protendendis Juriſdictionis ſuæ finibus ad ea Loca, quibus præſto eſſe non poſſunt, nimiùm haberi ſolicitos. Ceterùm quoniam advertimus, quòd illi Miſſionarii, per quos aliquam moleſtiam Tibi illatam fuiſſe ſignificas, iſthinc aliò profecti ſunt, & cum ii, qui in poſterùm iſthuc mittentur, feriò monendi ſint, ut debitam Locorum Ordinariis reverentiam exhibeant, & quamdiù intra Juriſdictionis ipſorum limites exiſtent, ſub eorum directione operentur, non ambigimus, quin pro tuâ pietate, & obſequenti in eandem Sanctam Sedem voluntate libenter excipias, ac foveas eos omnes, qui iſtac fortè pertranſibunt, præſidiumque eis præbeas, quo ſuſceptum iter proſequi valeant. Quod autem attinet ad articulos doctrinæ, qui ſunt in controverſiâ circa praxim Miſſionariorum in Indiis, confidere debes maturè, ut par eſt, expenſum iri à Nobis id omne, quod Nobis ſignificandum eſſe duxiſti, nihilque cum Dei ope conſtitutum iri, quod ad ipſius honorem, & ad ſtabilitatem, ac propagationem Catholicæ Fidei pertinere non dignoſcetur. Fraternitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die duodecima Februartii 1704. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Epiſcopo Paderbornenſi gratias agit de Sacra Reliquia S. Liborii Epiſcopi Cenomanenſis, quam ad Sanctitatem Suam dono miſerat; deindè ſuſceptum ab eo conſilium decorandi Lateranenſem Eccleſiam Simulacro marmoreo S. Joannis Apoſtoli illi effusè gratulatur.

Venerabili Fratri, Hermanno Epiſcopo Paderbornenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quam Fraternitatis Tuæ nomine Dilectus Filius Decanus Theodorus Ulter ad Nos detulit ex Reliquiis Beati Liborii olim Epiſcopi Cenomanenſis partem cryſtallinâ thecâ, & quidem admodùm eleganti incluſam, eam prætermodum gratam habuimus, cum non tam ex diſertis ejuſdem Decani verbis, quàm ex Muneris, quo Nos ditaſti, raritate, ac præſtantiâ intelligeremus ineſſe Tibi ſingulare deſiderium, ac ſtudium demerendi charitatem noſtram, quæ ſanè præclariùs conciliari non poterat, quàm ſacro hoc pignore, in quo propoſita Nobis eſt Sancti illius Præſulis memoria, quem Nos quidem peculiari devotione colimus, ſed & communi propè voto Fidelium pietas multis, aſſiduiſque beneficiis excitata veneratur. Ad explicandam verò uberiùs religioſam tuam

in

in Deum, & officiosam in Nos voluntatem, retulit idem Nobis velle te marmoreum Sancti Joannis Apostoli Simulacrum celebri scalpro elaborandum liberali manu conferre in ornatum Basilicæ Lateranensis, quam Nos quidem, utpotè Urbis, & Orbis Ecclesiarum Caput, ac Principem, Sanctorum Apostolorum, qui Fidei fundamenta extitere, sculptis Imaginibus condecorari cupimus, ut ejus, quæ vivis ex lapidibus construitur in Coelis, Hierusalem species quædam in eâ ob oculos confluentium constituatur. Dum itaque aucti decoris, ac cultus Domus Dei non modica laus ad Te pertinebit, persuasum Te esse volumus nostram quoque erga te propensionem hoc etiam nomine non leviter cumulatam esse, quemadmodum fusè declaravimus præfato Decano, quem suis dotibus, & ob diligenter actas in Urbe res tuas, nostrâ sanè commendatione dignum, & ad Te revertentem confidimus luculentum testem fore, quanti ob spectatas virtutes, & Pastoralem vigilantiam faciamus Fraternitatem Tuam, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die tertiâ Martii 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Acceptis à Rege Æthiopiæ literis per Religiosum Virum Josephum à Hierusalem allatis, quibus significabatur ipsum Regem ad amplectendam cum Romana Ecclesia in cultu Christianæ Fidei unitatem propensum esse, Sua Sanctitas eum enixè adhortatur ad salutare adeò propositum exequendum, suoque exemplo subjectos sibi populos ad veritatis semitam revocandum; & hunc in finem prædictum Religiosum Virum cum aliis Missionariis, & aliquot Munusculis ipsi Regi Pontificio nomine exhibendis ad illas partes remittit.

Illustri, ac Potentissimo Regi Æthiopiæ.

CLEMENS P.P. XI.

ILlustris, ac Potentissime Rex, salutem, & lumen Divinæ gratiæ. Omnipotenti Deo, qui fons est, & origo bonorum omnium, in humilitate cordis nostri gratias egimus, ubi literas Celsitudinis Tuæ accepimus à Dilecto Filio, Religioso Viro, Josepho à Hierusalem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci strictioris observantiæ, eodemque interprete, & multa de Te Nobis ingenti cum laude referente, cognovimus præclarum desiderium, quod foves nedum amplectendi veram, ac synceram cum hac Sancta Romana Ecclesia in professione, & cultu Christianæ Fidei unitatem, sed ad eam ineundam inducendi exemplo, & authoritate tuâ amplam istam Nationem, hoc ipso nomine olim celebrem, quia haustam ab ipsis primordiis Ecclesiæ catholicam veritatem fideliter custodivit. Credere sanè par est Deum ipsum authorem Tibi fuisse tam salutaris consilii, ut eò per Te alacriter suscepto fluant super caput tuum cœlestis misericordiæ divitiæ. Monitis itaque supernis obsequi ne differas; Decet enim ut quando in excelso terrenæ Dignitatis solio constitutus ad multos latè Populos tui nominis authoritatem protulisti, conversis in Cœlum oculis ad veram, atque mansuram felicitatem aspires. Frustrà verò tantùm bonum assequi contendes, nisi Deo placere satagas consentiendo in his, quæ ad æternam salutem pertinent, cum hac Sanctâ, & Apostolicâ ipsius Ecclesiâ, quæ traditum sibi ab eo veræ Fidei de-

po-

positum fideliter servavit, & servat, fuitque anteà, estque modò, & erit perpetuò omnium per Orbem Ecclesiarum vera, & unica Mater, ac Magistra. Cum itaque Nos, nullis quidem meritis nostris, sed Dei ipsius ordinatione regimen ejusdem Ecclesiæ obtineamus, & ad obeundum per totum Christianum Orbem universalis Pastoris munus vocati simus, libenti animo, & omni charitate complectimur Celsitudinem Tuam tam probè inclinatam, hortantes, & obsecrantes Te per Nomen Domini Nostri Jesu Christi, cujus vices in terris gerimus, ut initâ præfatâ unitate, eaque ad tuas Ditiones, ac Regna, quantocitiùs fieri poterit, propagatâ, properes ad salutem. Curare autem potissimùm debes, ut Subditi tui documentis Fidei Christianæ rectè instituantur, & quæ aut per longam annorum seriem de primævâ veritate isthic exciderint, aut per quascumque rerum vicissitudines adversùs eam inducta fuerint, sublato omni errore, ac falsitate ad puritatem, & receptam ad hac veritatis Cathedrâ intelligentiam reducantur. Quod ut feliciter cum Dei ope perfici possit, iterùm istùc mittimus cum nonnullis Sociis præfatum Religiosum Virum Josephum ob singularem integritatem, ac pietatem Nobis admodùm gratum, atque probatum: qui quidem omnes incensi zelo honoris Dei, pro cujus amore terrena quoque à se abdicarunt, optimè autem in præceptis Evangelicæ Doctrinæ versati satagent Populos istos erudire eâ lenitate, atque mansuetudine, quæ publicarum rerum ordinem, ac statum nullo modo perturbare possit. Gratissimum propterea Nobis erit, si eundem Josephum, veluti Ablegatum nostrum, aliosque ejus Socios non sua, sed quæ Christi sunt, quærentes, nullique lucro, præterquam Animarum, inhiantes benignè exceperis, tanquam eos, quos Successor Principis Apostolorum, Caput Ecclesiæ, & Christi Vicarius, istuc misit ad afferendum Tibi, ac Regno tuo spirituale bonum, & ad detergendam omnem maculam, mentibus hominum fortasse inspersam, quæ in ipsis candorem Fidei inficere quoquomodo potuerit. Ut autem aliquale pignus amoris nostri ad Te perveniat, nonnulla munuscula sæpè memorato Josepho tradidimus, quorum quædam ad tuendam, aut reparandam corporis incolumitatem valdè proficere dijudicantur, ac pretiosa habentur, ut intelligas Nos, dum cordi in primis habemus spiritualem tuæ animæ salutem, quæ profectò longè maximi momenti est, temporalis etiam rationem habere: quædam verò raritate, & industriâ potius operis, quàm suo pretio æstimanda, quæ Nostro Nomine ad Te deferentur. Deum interim enixè precari non omittemus, ut Tibi sit liberalis ejus luminis, per quod ad perfectam catholicæ veritatis agnitionem Ipse devenias, ac tecum eos, qui Tibi subsunt, in gremium amantissimæ Matris Ecclesiæ deducas; & Celsitudinem Tuam diù lætam, & sospitem esse peroptamus. Datum Romæ &c. die octavâ Martii 1704. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Angelum Visinum, qui Magni Etruriæ Ducis potissimùm operâ, relicto Judaismo, Christianam Religionem amplexus fuerat, necnon illius Uxorem, & Filiam solemni pompâ baptizasse eidem Magno Duci significat; eumque insuper de Constitutione nuper editâ favore illorum, qui ex Judaicâ perfidiâ ad Christianam Fidem transire velint, certiorem facit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quemadmodum Nobilitatem Tuam in pietatis studia per se admodùm propensam nuper hortati sumus ad tuendas, fovendasque authoritate suâ res domesticas, ac familiam Angeli Visini, tum quidem à Judæis ad Christianorum partes, ac Religionem accedere cupientis, & veritatis complectendæ desiderio incensi, ita nunc quando ipse, miserentis Dei beneficio, sacro Baptismate jam expiatus, & Dominico Gregi sub Clementis Cosimi Albani nomine adscriptus, peculiaria à Nobis Paternæ charitatis officia suo quasi jure exposcit, lætum hujusmodi eventum significandum Tibi esse ducimus non tam, ut pergas eidem, ubi res feret, adesse, quàm ut Tu, qui ipsi non levi præsidio ad ineundam viam salutis extitisti, quique eum Sacro Fonti tuo nomine admoveri curasti per Dilectum Filium Nostrum Petrum Cardinalem Otthobonum eo, quo solet, splendore, hoc etiam munere perfunctum, percepti indè fructus, & gaudii particeps per Nos potissimùm efficiaris. Nos itaque hunc ipsum hominem, ejusque Uxorem, ac Filiam, post exploratam diligenter singulorum voluntatem, ritè omnes institutos sacris, ac salutaribus undis solemniori, quâ fieri potuit, pompâ nostrâ manu abluimus, nihilque prætermisimus, quo publicè testaremur Nos de hoc spirituali, & quidem triplici lucro, eâ lætitiâ intimè perfundi, qua decet Pastorem inventâ, vel unâ Ove, quæ perierat, exultare. Illud prætereà propositum fuit Nobis explicare tum hac celebritate, & gaudii nostri significatione, tum curâ adhibitâ, ne hujusmodi Familia post susceptam Fidem inopiâ premeretur, tum demum Constitutione editâ favore eorum, qui fortè ex eadem Natione ad veram Religionem transire vellent, Ecclesiam amantissimam esse Matrem, quæ confugientes ad se libentissimè complectitur, & syncerâ charitate suscipit, ac fovet. Nobilitati Tuæ, cui nihil gratius esse scimus, quàm ea, quæ Divinæ Gloriæ incrementa respiciunt, nihil horum reticendum esse existimavimus, incitati nostræ in Ipsam benevolentiæ abundantiâ quadam, à qua etiam manat Apostolicâ Benedictio, quam eidem peramantèr impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Martii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Quàm enixè postulat à Rege Poloniæ, ut Principibus Jacobo, & Constantino Sobieski Majestatis Suæ jussu in custodiam traditis pristinam libertatem restitui mandet.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. E' sì noto, e sì grande il debito, che dalla Chiesa tutta, e dalla nostra Santa Religione si professa alla gloriosa memoria del Re Giovanni III. Antecessore della M. V., che trovandoci Noi per inscrutabile consiglio dell'eterna Providenza, benche senz'alcun nostro merito, destinati al governo dell'istessa Chiesa nella suprema Sede del Principe degl'Apostoli, non abbiamo potuto udire senza nostro gravissimo cordoglio, che li Principi Giacomo, e Costantino Figli di sì gran Padre siano stati arrestati per ordine della Maestà Vostra nel ritorno, che facevano da Uratislavia alla loro solita Residenza di Olau; tanto più, che oltre li meriti di Sangue sì chiaro, riluce specialmente nel primo di loro quello di avere nell'età sua più tenera tanto contribuito col proprio valore alle glorie del Padre, e ai trionfi della Cristianità in occasione della liberazione di Vienna, e degl'altri felici progressi, che allora piacque al Signore Iddio di concedere alle Armi Cristiane. Si aggiunge in accrescimento della nostra afflizzione per sì sorprendente successo quella, che giustamente ne risulta alla Regina loro Madre, che accrescendo colla sua dimora in questa nostra Alma Città tanto di lustro, e di ornamento alla medesima per gli esempii continui, che vi dà di pietà singolare, e recandoci sempre maggiori prove della sua filiale divozione verso questa Santa Sede, meritamente viene da Noi rimirata co' più distinti riflessi del nostro Paterno affetto. Tali riguardi siccome fortemente ci obligano à interessarci per la libertà de' sudetti Principi, così ci spingono à portarne alla M. V. con questa Lettera scritta di nostro pugno, che le inviamo per Corriero espresso, le nostre più vive, e premurose istanze con fiducia, che Ella non ricusarà di donare à Noi una cosa, che non solo può riuscire di tanto vantaggio alla sua gloria presso il Mondo, mà anco può attirargli dal Cielo quei più prosperi avvenimenti, che Noi di tutto cuore le bramiamo. E rimettendoci à quel di più, che le verrà esposto in nostro nome dall'Arcivescovo di Tebe nostro Nunzio, diamo alla M. V. con tutta la pienezza del nostro affetto l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 1. Aprilis 1704. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Missionem destinatam ad Insulas recèns detectas in Oceano Sinico ultrà Philippinas Regi Catholico enixè commendat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Confisi gratam admodùm fore eximiæ pietati Majestatis Tuæ occasionem explicandi præclarum zelum, quo pro Divini Cultus, & Catholicæ Religionis propagatione fervet, libenti animo eam Tibi proponimus, quæ satis insignis in præsens occurrere videtur ex his, quæ suis literis Venerabilis Frater Archiepiscopus Manilæ, & vivâ voce Dilecti Filii Religiosi Viri Andreas Serranus, & Dominicus Medel Societatis Jesu ex Philippinis Insulis hùc nuper advecti Nobis exposuerunt; Referunt itaque appulsos elapsis annis vi tempestatis, sed potiùs, ut pium est credere, fuisse Divinâ Providentiâ ad præfatas Philippinas adductos exteros nonnullos homines, qui se ad quasdam Insulas pertinere dixerunt, quas conjicere erat nondum ab ullo Nautarum nostri Orbis fuisse detectas, aut saltem esse hactenùs incertâ, & obscurâ famâ vix cognitas, & inter Philippinas ipsas, & Marianas Insulas jacere, multas illas quidem numero, & incolis valdè frequentes. Quod verò attinet ad eorum Populorum indolem, ipsi nedum suo testimonio, sed eo, quod præferebant, miti, ac facili ingenio satis explicabant docilem eam esse, & in æquitatem summoperè propensam, idololatricæ verò superstitionis prorsùs nesciam. Quæ ubi veritati undequaque consentiant, campum, & quidem præclarum aperire videntur Fidelibus ad inferendam in illas Partes non magno admodùm, ut creditur, locorum intervallo à Regionibus, quæ authoritati tuæ subsunt, dissitas Christianam Fidem; ubi Tu propenso, quo soles esse, in pium Missionum opus animo, Sacris Operariis eò proficisci paratis navigia, & commeatum per Administros tuos suppeditari mandes; Quod, ut facere velis, Te etiam, atque etiam hortamur, & Te quidem facturum non levi Nobis argumento pollicemur, cum exploratum habeamus quanto fervore, & quàm liberali manu eamdem Dei causam aliis in locis, & præcipuè in ea Americæ Septentrionalis Insula, quæ California dicitur, promoveris, undè certè Nobis magna suppetit Tibi gratulandi occasio, & perpetua tuo Nomini laus accessit. Itaque Animarum lucri, quod nunc quoque à propositâ novâ profectione speratur, ac proindè meriti, quod jure maximum indè expectandum est, itemque spiritualis mercedis particeps procul dubio efficieris, ac præcipuus tanti boni Author meritò reputaberis. De quâ re, quæ sanè pro munere nostro Nobis valdè cordi est, pluribus nostro nomine aget Nuncius noster apud Majestatem Tuam, quam sospitem, & bonis omnibus cumulatam esse cupimus, dum eidem Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 4. Aprilis 1704. &c.

ARGUMENTUM

Regem Christianissimum requirit, ut Catholicum Regem Nepotem suum excitet ad juvandam, fovendamque Missionem, quam Sua Sanctitas ad Insulas ultrà Philippinas recèns detectas destinaverat, & utriusque studium pro Christianæ Fidei propagatione collaudat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Quemadmodùm singularis illa felicitas, quâ à tot annis Regnum istud fruitur, jure est adscribenda peculiari studio fovendæ, ac tutandæ Catholicæ Religionis, quod Majestas Tua tot in occasionibus luculenter, ac magnificè declaravit: sic meritò credimus nihil fieri gratiùs Tibi posse, quàm si occasio aliqua ejusdem Religionis amplificandæ, ornandæque Tibi ipsi præbeatur. Detectæ sunt nuper ultra Philippinas in vastissimo illo circa Sinas Oceano, quem tuæ classes interdum navigant, novæ Insulæ, in quas Religio Catholica nondum penetravit. Id accepimus è literis Venerabilis Fratris Archiepiscopi Manilani, & è narratione Nobis oblatâ per Religiosos quosdam Viros Societatis Jesu, qui Romam procuratorio nomine advenere. Iis in Insulis, ut ipsi referunt, permagno numero sunt homines optimæ indolis, & ad Fidem Catholicam amplectendam satis propensi. Pro eo itaque desiderio, quo flagras, propagandi Divinum Cultum, & Catholicam veritatem, Te hortamur, ac rogamus, ut opus tanti momenti ad salutem Animarum promovere velis, siqua se dabit occasio, ac præsertim, ut novam Missionem ad illas ipsas Insulas destinandam commendare per literas Regi Catholico ne graveris. Etsi enim satis eum incitet, accendatque pietas sua, quam à Majestatis Tuæ sanguine, & exemplis hausit, nihilominus intelligimus quantùm habitura sit ponderis apud ipsum tam insignis commendatio; & habemus sanè, unde eidem Regi Nepoti tuo gratulemur, ut nostris literis fecimus, quod Avi vestigia tam splendidè, tam religiosè premat, studiumque singulare præseferat amplificandæ Religionis non solùm in Europâ, sed etiam in remotissimis Regionibus, ubi nuperrimè Præconibus Evangelicis in Insula Californiâ laborantibus summam non levem pecuniæ singulis annis erogandam certo, & perpetuo censu assignavit. Quod verò spectat ad Insulas illas recèns detectas adjuvandas, & invehendam in easdem Christianam Fidem, id maximè præstandum esse videtur à Rege Catholico, ut per Gubernatorem Philippinarum Navem comparari jubeat, & Operariis illùc mittendis necessaria suppeditari; quod quantocitiùs fieri poterit, tantò fructus major existet, tantòque uberior in ipsum, & Regna sua superni Numinis favor redundabit: Deus enim Regibus, quæ Ipsi gloriæ, & honori sunt, promoventibus affluenter retribuit; id quod Majestas Tua per sese abundè cognoscit, ac ut experiri pergat in posterùm, auspicem felicitatis Apostolicam Benedictionem Eidem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Aprilis 1704. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopi Manilæ zelum, & ſtudium invehendi Chriſtianam Fidem in novas Regiones ab Inſulis Philippinis non longè diſſitas commendat, eumque certiorem facit de officiis, quibus Sua Sanctitas Regis Catholici pietatem ad ſanctum hoc opus ſtrenuè promovendum excitaverat.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Manliæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Nullis concluſa finibus Apoſtolica noſtra charitas tunc maximè exultat, cum in cordibus eorum, qui in remotiſſimis à Nobis Terrarum partibus agunt, fervere zelum amplificandæ Catholicæ Religionis, & filialem in Nos, atque in hanc Sanctam Sedem obſervantiam vigere conſpicimus. Hoc ſanè gaudio affecti fuimus, ubi tum ex Fraternitatis Tuæ literis, tum ex narratione Nobis factâ à Religioſis Viris Procuratoribus Societatis Jeſu,qui ex iſtis Partibus hùc nuper advenerunt, agnovimus ſpem, ac deſiderium à Te, & ab illis, qui ſoliciti ſunt de Fidei incrementis, conceptum invehendi ipſam Fidem in alia loca, ad quæ nondum delata eſt, ex quo per fortuitum elapſis annis nonnullorum hominum ad iſtas Inſulas appulſum innotuit Regiones, unde illi prodierunt, amplas eſſe, & Populorum frequentiâ cultas, ibique homines ingenio mites, ac in æquitatem propenſos facilè imbui poſſe ſuaviſſimis Evangelicæ legis præceptis, utpote qui ethnicæ ſuperſtitionis nullum unquam anteà præjudicium, quo mens eorum labefactari poſſet, perſenſerint. Adjecimus itaque Nos ipſi, quo majori potuimus ſtudio,animum ad tantum Dominici Gregis bonum promovendum, egimuſque tum noſtris literis, tum per Nuncium noſtrum omni officiorum genere apud Catholici Regis Majeſtatem, ne dimittatur tam præclara lucrandi animas, & demerendi Deum occaſio, quam imò Rex ipſe complecti vellet eâ pietate, atque magnanimitate, qua ipſe alibi Operariis veritatem ad exteras Nationes allaturis adfuerat. Dum itaque fructum noſtræ ſolicitudinis relaturos Nos eſſe confidimus, ſignificandum Tibi eſſe duximus, quantùm res ipſa Nobis cordi ſit,non tam ut commendemus curam, ac vigilantiam tuam in ſuſcipiendo, ac fovendo tanti momenti negotio, quàm ut Tibi ſpontè incitato ſtimulos addamus, quatenùs conſiliis tuis, & fuſis ad Deum precibus, & piis crediti Tibi populi ſtudiis, atque conatibus urgeas hoc opus Deo procul dubio gratiſſimum, dum Nos ſingularis benevolentiæ, qua Te complectimur, perpetuum pignus, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 4. Aprilis 1704. &c.

ARGUMENTUM

Oblatâ ſpe detegendi novas Inſulas in Oceano Sinico, earumque Incolas ad Chriſtianam Fidem perducendi, Archiepiſcopum Mexicanum hortatur, ut quæcumque poterit temporalia, ac ſpiritualia ſubſidia ad negotium tanti momenti, in quo Divinæ Gloriæ incrementum, multorumque populorum æterna ſalus agitur, promovendum conferre velit.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Mexicano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Spectatam pietatem, ac zelum Fraternitatis Tuæ affuturum Nobis eſſe confidimus, dum, quod Muneris noſtri ratio poſtulat, ad propagandam Chriſti Fidem in alias Terrarum partes, in quas nondum invecta eſt, arreptâ propitiâ occaſione animum, cogitationeſque noſtras dirigimus. Admoniti itaque per literas à Venerabili Fratre Archiepiſcopo Manilæ, & coram à Religioſis Viris Societatis Jeſu, qui procuratorio nomine ab Inſulis Philippinis Romam nuper advenere, ſpem ibi certam elapſis annis affulſiſſe detegendi novas Inſulas in Oceano Sinico, ex quo nonnulli illarum partium Incolæ in eas oras conjecti fidem de illis fecerunt, & locorum conditione, Populorumque Indole explicatâ, non obſcurè indicarunt magnam ibi meſſem proponi, ubi eò mittantur Evangelici Operarii, qui in Fide erudiant homines pacis per ſe, ac æquitatis amantes, eòque magis ad Chriſti Fidem ſuſcipiendam idoneos, quò nihil uſque modò erroris de Idololatrica ſuperſtitione contraxerunt, licet alioquin in tenebris quoad veri Dei cultum, & in umbrâ mortis verſentur. Ut itaque fax veritatis in eas Inſulas pro ſpirituali tot Animarum ſalute inferatur, omninò cupimus, & poſtquam eximiam pietatem Catholici Regis ad promovendum, quâ ſolet, liberali manu tantum opus incendere curavimus: Fraternitatem quoque Tuam omni ſtudio hortamur, ut quibus in rebus per Te, aut per Fideles vigilantiæ Tuæ commiſſos opem tùm ſpiritualem, tum temporalem, negotio, quod tanti momenti eſt, ad Divinam Gloriam conferre poſſe cognoveris, eam præſtare diligentiſſimè velis; quod cumulum addet tuis apud Deum meritis, & noſtram Tibi benevolentiam uberiùs conciliabit; & Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die quarta Aprilis 1704. &c.

ARGUMENTUM

Quæ egerat, ut Regiis Poloniæ Principibus Jacobo, & Constantino in custodiam traditis, & extra Regnum transmissis, pristina libertas redderetur, Cardinali Radzieovvski significat; quem insuper de Jubilæo Polonis concesso, ut ad Divinam misericordiam propitiandam excitentur, certiorem facit; eumque tandem ad publicam Regni tranquillitatem, & Fidei Catholicæ bonum promovendum enixè hortatur.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbytero, S.R.E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Non facilè explicare possumus, quantam Paterno animo molestiam perceperimus, ubi præter notam nimis istarum rerum perturbationem, quæ sanè Nos supra modùm solicitos habet, innotuit etiam Nobis ex tuis literis, & ex publico rumore, Regios Poloniæ Principes Jacobum, & Constantinum militari Custodiæ traditos, in alias à Regno isto Partes fuisse transmissos. Occurrit statim menti nostræ propter singularem ipsorum Principum præstantiam, inclytæ memoriæ Joannis Poloniæ Regis eorum Genitoris nunquam satis laudati, & de Regno isto, deque Ecclesiâ, ac universâ Christianâ Republicâ optimè meriti Nomen, cui omni, & quovis tempore grata deberi Pontificiæ charitatis officia intelleximus. Ad quæ sanè hac occasione impendenda Nos excitavit intimus, ac justus dolor, quem ob ademptam Principibus Filiis libertatem efflictim testabatur Charissima in Christo Filia Nostra Maria Casimira Poloniæ Regina, ac propterea opem, quæ in Nobis erat, promptiùs allaturi per citatum Cursorem Literis manu nostrâ, omnique verborum pondere exaratis Majestatem Regis Poloniæ hortati, ac obtestati sumus, ut ipsos Principes liberos quamprimùm esse vellet, neque diutiùs spem, ac vota nostra in eâ expectatione esse pateretur. Adjecimus etiam, id quod maximè in præsenti rerum statu oportere, & expedire duximus, Literas in formâ Brevis, quibus Fideles istos ad propitiandam certis pietatis operibus, prævia culparum expiatione, Divinam misericordiam sub ampla Ecclesiæ Indulgentiarum concessione in forma Jubilæi excitavimus, neque prætermittemus assiduis Nos ipsi precibus Deum rogare, ut in animos eorum, quorum sententiis, authoritate, ac viribus Respublicæ componi possunt, immittat ea consilia, quæ ad Fidei Catholicæ bonum, & ad conciliandam publicam salutem quammaximè tendant; in quem scopum Te collaturum esse studia, omnemque diligentiam pro eâ, qua teneris, erga Deum, ac Patriam religione, ac fide non dubitamus, atque ut id ipsum peragas, etiam, atque etiam, quantùm in Domino possumus, obsecramus; Et Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Aprilis 1704. &c.

ARGUMENTUM

Regem Christianissimum impensè rogat, ut Ducem Mutinæ in pristinum gratiæ locum tum apud Majestatem Suam, tum etiam apud Regem Catholicum ejus Nepotem, restituere benignè velit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Il Duca di Modana, che in mezzo alle sue gravissime angustie non risente alcun'altra maggiore afflizione, che quella di trovarsi privo della buona grazia della Maestà Vostra, e del Re Cattolico suo Nipote, non ad altro oggetto è venuto in Roma, e da tanto tempo in quà vi si trattiene, che per procurarne col nostro mezzo la reintegrazione. Non dubitiamo però ora di avanzarci à chiederla alla Maestà Vostra con tutta l'efficacia maggiore, e con tutto l'impegno del nostro spirito: massime sul fondamento delle prove assai chiare, e patenti, che l'istesso Duca ci ha date delle sue sincere intenzioni, e che in realtà hanno ormai reso l'affare più nostro, che suo, come più pienamente verrà esposto alla Maestà Vostra dall'Arcivescovo Gualtieri Vescovo d'Imola Nostro Nunzio, quale le renderà la presente Lettera scritta di nostro pugno, e trasmessale per Corriere straordinario. Confidiamo per tanto, che la Maestà Vostra, riguardandoci col solito suo Filiale amore, non lascerà in questa occasione, come vivamente la preghiamo, di soddisfare l'ardentissimo desiderio, che abbiamo, di veder contento detto Prencipe, per sempre più autenticare al Mondo, che Chi si abbandona alla sua Regia Clemenza, non s'inganna, e che Chi ricorre alla nostra intercessione presso la Maestà Vostra, rimane consolato. Pieni di tale speranza preghiamo Dio, che conservi lunghissimi anni la Maestà Vostra per sostegno, e difesa della nostra Santa Religione, e con tutta la pienezza del nostro Paterno affetto le diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 30. Aprilis 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Excipit pio, gratoque animo Reliquiam Sacri Corporis S. Francisci Salesii à Monialibus Ordinis Visitationis B. M. V. Annesii sibi dono missam. Ipsis facultatem recludendi Arcam, in qua ejusdem Sancti Corpus asservatur, concedit. Earum petitionem pro cultu Sanctimonialis de Chantal in Sacrâ Rituum Congregatione ritè, ac ordine discutiendam esse significat. Demum curaturum se spondet, ut siquid inordinatum in Monasterio ejusdem Ordinis Monachii in Bavaria contigerit, ab Episcopo Frisingensi emendetur.

Dilectis in Christo Filiabus Prępositę, & Monialibus Ordinis Visitationis Beatę Marię Virginis Annesii in Sabaudiâ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilectæ in Christo Filiæ, salutem &c. Ex sacro pignore, quod Nobis Filiali devotione obtulistis, probè agnoscimus, quanto studio curetis Pontificiam nostram charitatem demereri; Cum enim Vobis facilè perspectum esse posset, quàm intimo, ac peculiari nostri cordis affectu insignem memoriam S. Francisci de Sales Institutoris vestri recolamus, meritò existimastis gratum Nobis admodùm fore, si per Vos parte aliqua ex reliquiis Sacri illius Corporis ditaremur. Quod planè ita accidit; nam vestro hoc munere summoperè oblectati sumus, confisi præsertim non defuturum esse Nobis, tanquam ejusdem muneris complementum, vestrarum apud Deum precum officium, quatenus spiritu tam pii, vigilisque Antistitis augeamur, cujus ope plenum curarum, ac solicitudinis Pastorale Munus impigrè obeamus. Mutuæ interim erga Vos voluntatis nostræ argumentum fuisse Vobis arbitramur facultatem per Congregationem Sacrorum Rituum nuper ad preces vestras à Nobis impertitam recludendi argenteam Arcam jussu fel. record. Alexandri VII. Prædecessoris nostri pridem obsignatam, in qua præfati S. Præsulis Corpus asservatur, quatenùs novis sacris indumentis eorum loco, quæ tempore detrita sunt, idem Sacrum Corpus exornetur. Ceterùm quod attinet ad promovendum, ut exposcitis, cultum piæ Sanctimonialis de Chantal, quæ Ordini vestro primum præfuit, & singularis pietatis monita, & exempla Vobis reliquit, non ambigimus quin intelligatis tanti momenti causam ritè priùs institui, ac præordinari debere, ut congruo demum tempore, quemadmodum Ei visum fuerit, cujus solo nutu, & afflatu hæc aguntur, perficiatur. Maturum item, ac diligens examen postulat petitio vestra circa celebrationem illius Festi, de quo Nobiscum agitis, cum interim vel ex eo Nobis detur agnoscere non vulgarem, neque modicum esse fervorem, quo in spiritualium rerum cultu corda vestra incenduntur. Quod demùm superest, curabimus, ut si quid adversùs præscriptum Constitutionum vestrarum in vestri Ordinis Cœnobio Monachii in Bavàriâ circa tempus, quo ejusdem loci Præposita suo munere persungi debet, contigerit, id omne Venerabilis Fratris Episcopi Frisingensis vigilantiâ, ac diligentiâ in ordinem redigatur; dum Vobis, Dilectæ in Christo Filiæ, in auspicium bonorum omnium, quæ cum Domino sunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 6. Maii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Cum Præpositam Monialium Ordinis Visitationis B.V. in Cœnobio Monachii Officium suum ultrà tempus in illius Instituti regulis constitutum protrahere comperisset, Episcopo Frisingensi injungit, ut id Munus alteri demandari curet, perniciosumque exemplum de medio tollat.

Venerabili Fratri, Episcopo Frisingensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Cum Pontificiæ nostræ charitati inter cetera incumbat curare, ut Sacrarum Virginum cœtus, qui ad Ecclesiæ ornamentum in diversis Christiani Orbis partibus constituti sunt, virtutum omnium, ac præsertim regularis observantiæ specimen ubique præseferant, non ambigimus, quin Fraternitas Tua, quâ est vigilantiâ, ac zelo, Nobiscum datura sit operam, ut id maximè contingat in locis, in quibus Pastorali officio persungitur. Quoniam itaque allatum est ad Nos Præpositam Monialium Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ Virginis in Cœnobio Monachii, post jam expletum secundum sui Muneris triennium, eodem adhuc gradu perfrui, cum tamen id neque æquitati congruere, neque consentaneum esse videatur Constitutionibus sacri illius Instituti, quod ab humilitatis potissimùm, & religiosæ disciplinæ studio commendatur: Nos, etsì persuasum omninò habeamus non leves rationes, imò etiam, ut par est credere, præstantes ejusdem Præpositæ dotes in causa fuisse, ut ipsa præfatum locum diutiùs obtineret, nihilominus, pro Paternâ nostrâ erga universum illum Ordinem charitate expedire in Domino ducimus, ne hujusmodi exemplum inducatur, neve inductum protrahatur, aut in consuetudinem abeat. Erit propterea spectatæ tuæ prudentiæ diligenter cavere tum saltem, cum lapsum fuerit jam initum triennium (quod fortè abrumpi modò sine manifesta ipsius injuriâ non potest) illa eadem ne ulteriùs præsit Cœnobio, sed ut, quemadmodum ratio postulat, id genus sive honoris, sive oneris alteri demandetur. Ceterùm benevolentiæ, quâ Te prosequimur, luculenta testimonia Tibi reddere peroptantes, Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17. Maii 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

AR-

ARGUMENTUM

Ordinariis suas Ecclesias, vel Diœceses in Ditione Ducis Lotharingiæ habentibus injungit, ut ejusdem Ducis Subditos, ac Officiales compellant ad debitam obedientiam præstandam Literis Apostolicis, per quas Codex Leopoldus damnatus, ejusque usus, & retentio sub anathematis pœnâ interdicti fuerant: ac insuper Confessarios, qui Refractarios ad Sacramentorum participationem admittere non erubuerant, canonicis pœnis afficiant.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis in Lotharingiç, & Barri Ditione suas Ecclesias, vel Diœceses habentibus.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, salutem &c. Paternæ vigilantiæ, qua de universorum Christifidelium æternâ salute soliciti esse debemus, grave admodùm accidit, quod nostras nuper ad aures delatum est, complures scilicet in Dilecti Filii, Nobilis Viri, Leopoldi Lotharingiæ, & Barri Ducis Ditione Viros, ac præsertim Officiales, & Administros Ordinationes, seu Constitutiones ejusdem Ducis nomine dudùm editas, atque à Nobis per alias nostras in simili formâ Brevis Literas sub die vigesimâ secundâ Septembris proximè præteriti damnatas, ac reprobatas, non modò penès se retinere, sed iis etiam uti tam in judicio, quàm extra illud, contra præfatarum nostrarum Literarum formam, neglectâ Excommunicationis ipso facto, & absque aliâ declaratione incurrendæ pœnâ, non erubuisse; quodque deterius est, ac minimè tolerandum, non defuisse Confessarios adeò proprii muneris inscios, aut obligationis oblitos, qui eosdem, ut præfertur, Mandatis Apostolicis contumaces, adeòque & præfata Excommunicatione, cujus absolutionem Nobis reservavimus, innodatos perperam ad Sacramentorum participationem admittere non sint veriti. Quare Nos, ne tam enormis, ac publici scandali, tacendo, participes apud Supremum Pastorum Judicem habeamur, postquàm coram Altissimo non tam de Filiis aberrantibus, quàm de Patribus eos corripere negligentibus plurimùm ingemuimus, Vos potissimùm, Venerabiles Fratres, qui iisdem proximè præsidetis, ac zelo Dei æstuatis, per præsentes duximus excitandos, ut corripiatis iniqua agentes; vestrumque Clerum, ac Populum sedulò admoneatis de exhibendâ Apostolicæ Sedis Mandatis obedientiâ, deque imminente Animarum pernicie, si tremenda nimis censurarum Ecclesiæ fulmina parvi pendantur. In primis verò omnibus Sacramenti pœnitentiæ Ministris denuntiare Vos volumus, quàm indignum Dei Sacerdote sit sacrarum Legum Infractores, immò & anathemate percussos falsâ conscientiæ pace deludere: pace scilicet, ut veteres ajunt Patres, periculosâ dantibus, & nihil accipientibus profuturâ. Profectò non isti Pastores, sed Mercenarii dicendi sunt, & communicantes peccatis alienis, qui salutaribus monitis Oves pascere, immò & errantes arguere, ac increpare non audent; dum enim humanis potiùs, quàm divinis intenti rationibus peccantes blandimentis adulantibus palpant, peccandi fomitem subministrant. Væ canibus istis mutis latrare non valentibus, quorum ignaviâ Ecclesiastica disciplina penitùs enervatur, & ad majora crimina perpetranda peccatorum quo-

tidiè crescit audacia; Silente scilicet Sacerdotis voce, quin immò & vitiis tacitè connivente, paulatim fit, ut Impii sensum omnem conscientiæ amittant, quo uno ad bonam frugem revocari potuissent. Quapropter Vos, Venerabiles Fratres, maximè decet in tanto Gregis periculo clamare, & quasi tubâ, exaltare sonitum vocis vestræ, ut Sacerdotalis disciplinæ vigore correpti, qui sæcularibus funguntur Magistratibus, revertantur ad cor, discantque Ecclesiam revereri, qui Rempublicam administrant; Scriptum est enim: *Virga, atque correctio tribuit sapientiam*: Confessarii verò, qui aliorum conscientiam regunt, suæ priùs consulant, & in quo versantur, Sancta indignis administrantes, discrimen agnoscant, ne si cæci cæcis ducatum præstent, omnes in foveam cadant damnationis æternæ. Porrò si quos deprehenderitis, vel terrenæ potestatis obsequio, vel nimio hominibus placendi studio, publicè in præfata nostra Mandata peccantibus, damnatasque leges adversùs Ecclesiæ jura tuentibus absolutionis beneficium impendisse, à sacro Ecclesiæ Clavium Ministerio arcete, aliisque pœnis in eos agite juxta canonicas Sanctiones, ut & ceteri timorem habeant; ita profectò fiet, ut divinâ opitulante virtute, Sacerdotibusque implentibus Ministerium suum, agnoscant omnes Dei primùm legibus subdi, qui leges hominibus condunt, & quicumque Oves Christi esse voluerint, Pastores Christi vice loquentes audire non dedignentur. Agite igitur, Venerabiles Fratres, & pro restituendis Ecclesiarum vestrarum juribus (neque enim nisi vestram causam agimus) Nobiscum strenuè laborate. Quod sanè de singulari vestrâ pietate confidimus, deque à Vobis hactenus in eadem causâ fortiter gestis argumentum capimus, & quod caput est, de eximiâ Principis, apud quem agitis, religione, synceràque in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotione, quam suis ipsemet literis nuperrimè ad Nos datis luculenter testatus fuit, fiduciâ confirmamur, & Apostolicam Benedictionem, cui validum Divinæ Gratiæ præsidium adjungi precamur, ut non inaniter laboretis, sed fructum afferatis, & fructus vester maneat, Vobis peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 10. Maii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Iteratis officiis apud Regem Poloniæ vehementer urget negotium liberationis Principum Jacobi, & Constantini Sobieski, quam sibi commendatissimam esse profitetur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Siamo tanto sorpresi non solo per non vedere fin'ora alcun favorevole effetto delle vive, e premurose istanze, che portammo alla M.V. con lettera di nostro pugno mandatagli per Corriero espresso per la liberazione de' Principi Giacomo, e Costantino Sobieski, mà quel che più ci reca maraviglia, per non avere nè pure ricevuta risposta à detta nostra lettera, che non sapendo rintracciarne la cagione, abbiamo risoluto di reiterarle con quest'altra lettera parimente scritta di nostro pugno l'istesse, sempre però più efficaci, e più fervorose istanze, sperando, che queste siano per sortire più felice successo, se la Mae-

stà Vostra vorrà riflettere, come la preghiamo, non meno à quel merito, che appresso di Lei hà potuto farci acquistare la condotta tenuta in suo servigio da nostri Nunzii, che l'obligo, che abbiamo, di condurci in avvenire in tal guisa, che resti in faccia del Mondo autenticata la sincerità dell'impegno, che abbiamo preso per la libertà de' sudetti Principi: tanto più, che questo è stato giustamente regolato dalla considerazione del molto, che si deve dalla Chiesa, e dalla nostra Religione alla chiara memoria del Re Giovanni loro Padre, e di quel', che altresì dobbiamo Noi stessi alla Regina loro Madre. E alla M.V. con tutta la pienezza del nostro Paterno affetto diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 30. Maii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Regi Poloniæ officia significat cum singulis illius Regni Ordinibus pro publicâ tranquillitate adhibitâ, ac præthereà susceptum à Sanctitate Suâ consilium illuc quamprimùm mittendi Cardinalem Legati Apostolici Munere decoratum, qui Pontificio nomine hoc ipsum negotium agat; deindè Majestatem Suam, ut eorumdem Ordinum, Civiumque studia sibi conciliare satagat, paternè hortatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Optantes præclara Pontificiæ Nostræ charitatis testimonia deferre Majestati Tuæ, simulque inclyti istius Regni tranquillitati prospicere, opportunum esse duximus per citatum, celeremque Cursorem Paterna nostra monita, atque officia ad singulos ejusdem Regni Ordines dirigere, ut memores, quibus erga Patriam, atque Regium nomen vinculis teneantur, eo, quod par est, zelo inquietos homines turbarum cupidos compescant, & diffidentes animos ad studia pacis convertere satagant. Notum præterea ipsis facimus constitutum apud Nos esse, unum ex S. R. E. Cardinalibus Apostolici Legati Munere insignitum, istuc quamprimùm mittere, qui ea, quæ ad conciliandam concordiam pertinere intelliget, nostro nomine agat: quod ad continendos, coercendosque omnes motus isthic fortè excitatos non parùm profuturùm esse speramus. Interim verò confidimus Majestatem Tuam, propitiato in primis Deo, sine quo frustra terrena consilia laborant, omni æquitate, prudentiâ, atque benignitate curaturam esse eorundem Ordinum, Civiumque omnium voluntates sibi devincire, & in scopum parandæ Tibi, ac Regno tranquillitatis id omne, quod congruè expediet, diligentissimè perficere. Assiduis Nos certè Deum precibus rogare non prætermittemus, ut res ad eum exitum perducantur, qui Nos à gravissimâ curâ, qua intimè tenemur, exsolvat, sospitemque diù esse velit Majestatem Tuam, cui Nos Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die sextâ Junii 1704. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Cardinali Radzieovvski consilium significat à Sanctitate Sua susceptum mittendi in Poloniam Cardinalem de Latere Legatum, qui dissidentes Civium animos conciliare studeat, publicamque Regni tranquillitatem pro viribus stabilire contendat.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli Sanctę Marię de Pace Presbytero, S.R.E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Paternis oculis luctuosam Reipublicæ istius faciem assiduè respicimus, & ex his, quæ in dies ad Nos perferuntur, dolentes agnoscimus quàm graviora ipsi mala immineant, ubi dissidentes Civium animi ad concordiam quamprimùm non revocentur. Cùm verò vix sperari posse videatur, quod Partes, nisi aliquo summæ fidei, spectatæque authoritatis Conciliatore, per seipsas conveniant, reputantes Nobiscum non Regni solùm, ac Reipublicæ vestræ (quæ quidem Nobis maximè cordi est) sed & Catholicæ Religionis, quæ in summo discrimine versari potest, causam agi, ne fortè ob neglectum tam necessario tempore Pontificiæ charitatis officium conscientiam nostram apud Supremum Judicem onerari contingat, decrevimus unum ex S.R.E. Cardinalibus nostri, & hujus Sanctæ Sedis Legati à Latere Munere insignitum isthuc mittere, qui singulari prudentiâ præstet, & in neminem pronior habeatur, quique totâ re diligentissimè inspectâ vias, ac media opportunè suggerat, quibus, illæso uniuscujusque jure, ac salvis potissimùm, atque inconcussis Patriæ legibus, totius Regni, atque adeò Religionis bono, publicæque tranquillitati prospici possit. Quod nostrum consilium Tibi in primis per celerem Cursorem significandum esse duximus, de animi tui præstantiâ, deque Tuâ in Nos voluntate confisi gratum Tibi summoperè fore, quòd Nos operam, authoritatemque nostram componendis rebus istis præstare parati simus: nec ambigentes interim, quin Tu pro loco, quem in Ecclesiâ, & in Senatu honestissimum, & præcipuum obtines, quo in promovendis consiliis pacis ceteris præire omninò debes, omni studio curaturus sis aliorum animos continere, ne ad prærupta consilia convolent, quatenùs Dei ope salutaria Regno, ac Reipublicæ statuantur. Qua in re præclarum Tibi apud Deum meritum conciliabis, nostramque benevolentiam, si aliàs unquam, arctissimè demereberis, Dilecte Fili Noster, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die sextâ Junii 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli S. Mariæ de Pace Presbytero, S. R. E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Explicatam sæpè sæpiùs solicitudinem, quàm de Regni istius præsenti perturbatissimo statu, deque periculis ipsi undique impendentibus intimè persentimus, iteratasque propterea à Nobis in scopum conciliandi animos, parandæque concordiæ, & obviandi majoribus malis, quæ facilè in detrimentum Reipublicæ, imò etiam Catholicæ Religionis, exoriri possent, Paternas hortationes, & monita parum, aut nihil adhuc quidem profecisse dolentes agnoscimus, cum sanè libentissimis auribus, gratoque, & obsequenti animo excipi officia nostra debuissent, tum quia à Pontificiâ nostrâ charitate provenire, tum quia communi bono prorsùs salutaria esse facilè erat dignoscere. Non ideò tamen tepescit in Nobis ipsius nostræ charitatis fervor, sed imò usque magis incenditur, quo fit, ut constitutum sit apud Nos nullum ex validioribus mediis, quæ in rem fore intellexerimus, & quæ Deus, cujus opem flagrantissimè exposcimus, Nobis suggeret, prætermittere, quoad, Eodem benedicente, optata tranquillitas, sedatis tot fluctibus, Regno isti reddatur. Quæ quidem vota, ac desideria nostra, & instituta consilia fusiùs Tibi significari volumus à Venerabili Fratre Horatio Philippo Archiepiscopo Thebarum Nuncio isthic nostro; & Tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die sextâ Junii 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, salutem &c. Spem sanè præcipuam, post efflagitatam intimo cordis affectu Divinam opem, pro Regni istius salute, atque tranquillitate, de quâ vehementer soliciti sumus, in vigilantiâ, ac pietate constituimus Fraternitatum Vestrarum, quæ cum in eo loco consideant, undè Ecclesiæ, & Reipublicæ consulere, & spirituali, ac temporali Populorum saluti prospicere possunt, optimè omnium intelligent, quantum publicæ causæ intersit, ne dissidia Civium, quæ isthic usque adeò exarserunt, ulteriùs progrediantur, nevè rem in eum statum adducant, cui postmodùm faciliùs sit condolere, quàm opportunis remediis occurrere. Quod quidem periculum sæpiùs Nobiscum reputantes, Paternæ nostræ charitatis esse duximus impendere rebus istis præcipuum sanè, ac maximum officii genus, quod à Nobis proficisci potest, ut ab omni onere, quod propter mala,

quæ indè graviſſima conſequi poſſent, conſcientiam noſtram coram Deo, & hominibus perpetuò liberemus. Conſtitutum propterea apud Nos eſt iſthuc, quàm primùm fieri poterit,mittere noſtrum,atque hujus Sanctæ Sedis à Latere Legatum, deligemuſque ad hoc munus aliquem ex Collegio S. R. E. Cardinalium ſummæ integritatis, & prudentiæ, qui Partium ſtudiis nullo modo addictus haberi poſſit, totumque hujuſmodi negotium diligentiſſimè inſpiciat, ac omnibus ad æquitatis normam expenſis, viam adaperiat, per quam res omnes juxtà commune votum, ſalvis cuique juribus, felici exitu conficiantur. Celeris Curſoris operâ hæc ad Vos perferri curavimus rati, quæ noſtra eſt de veſtro eximio zelo opinio, Vos inſpectâ ſolicitudine, quam de tranquillitate iſtius Regni gerimus, ac de Religionis potiſſimùm Catholicæ ſecuritate, operam daturos, ne aliquid interim ab hominibus turbarum cupidis attentetur, quo univerſæ Poloniæ res, & Eccleſiarum etiam veſtrarum jura in extrema diſcrimina prolabantur. Author bonorum omnium aſpiret piis conſiliis Fraternitatum Veſtrarum, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 6. Junii 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Ordini Senatorio Regni Poloniç.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Fili, Nobiles Viri, ſalutem &c. Cum non ſinè maximo cordis noſtri mœrore perceperimus, quòd inteſtini illi motus, quibus nunc temporis Reſpublica iſta jactatur, adeò uſque modò non conquieverint, ut potiùs metuendum ſit, ne majores perturbationes, gravioraque pericula in dies prolabantur, congruere omninò duximus Paſtorali Muneri, & Pontificiæ noſtræ charitati, quibuſcumque poſſumus mediis ejuſmodi malis occurrere, ne defuiſſe ſolicitudinis noſtræ partibus coram Deo Supremo Judice in re graviſſimâ ad Regni iſtius ſalutem, & tranquillitatem, nec levi ex parte ad Catholicæ Religionis integritatem pertinente, dicamur. Per celerem itaque Curſorem, quem iſthuc ad hoc mittimus, Nobilitates Veſtras pro ſuâ in Deum pietate, ac pro filiali in Nos obſervantiâ hortamur, atque obteſtamur, ut ſuæ authoritatis, atque prudentiæ pondere omninò curent continere animos, ac præfatos motus coercere, ne ad ea extrema proruant, quibus arduum ſubindè ſit afferre remedium, dum Nos ad contentiones omnes, atque diſſidia feliciter, ut optamus, componenda miſſuri iſthuc ſumus, quamprimùm fieri poterit, aliquem ex Collegio S. R. E. Cardinalium, qui Apoſtolici Legati munere inſignitus procul ab omni Partium ſtudio, juſtitiæ ſolius, ac veritatis intuitu operam omnem, ac diligentiam adhibeat, ut ex dignitate, atque utilitate Reipublicæ, & ex veſtrarum potiſſimùm legum præſcripto, ſalvis omnium Juribus, tota res conficiatur. Quod quidem cum adjuvante primùm Deo, veſtrâque inde agente prudentiâ, ſperari meritò poſſit, poſtulat omninò Patriæ veſtræ bonum, poſtulat Eccleſiæ, ac Reipublicæ ſalus, poſtulat ipſe, quem more Majorum erga Sanctam hanc Sedem ſemper profeſſi eſtis, amor, ac reverentia, ut Paternis noſtris obſecundantes vocibus, quibus non-

nisi rem vestram agimus, ad pacis consilia revertamini, paratamque jam præsenti totius Regni discrimini Legati nostri opem paulisper expectetis, communi omnium commodo maximè profuturam. Et Apostolicam Benedictionem Nobilitatibus Vestris peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 6. Junii 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Ordini Equestri Regni Poloniæ:

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Cùm gravia profectò sint mala, quibus in præsens Poloniæ Regnum undique concutitur, majora tamen adhuc pericula metuenda sunt, ubi in tanto voluntatum, animorumque dissensu pergat unusquisque in studiis suis, nullâ præsentis, ultimique discriminis, quo salus publica, imò & Catholica ipsa Religio periclitari potest, habitâ ratione, progredi, velitque propositum suum ad extremum usque provehere. Quam Nos infelicem hoc turbatissimo tempore rerum istarum conditionem sæpè sæpiùs spectantes, pro singulari, quâ Regnum ipsum prosequimur, charitate, gravissimo dolore conficimur, nihilque tam cupimus, quàm ut consilia pacis Paternis vocibus non semel isthuc delata aliquandò exaudiantur. Verùm quia adhuc officiorum nostrorum fructum præstolamur, decrevimus pręcipuâ significatione magnitudinem solicitudinis, quam eâ de re gerimus, palàm explicare, ne defuisse Muneris nostri partibus apud Deum Supremum Judicem redarguamur. Constitutum itaque Nobis est Munus Apostolici Legati alicui ex S.R.E. Cardinalibus demandare, qui isthuc properet, & procul ab omni Partium studio, æquitate unicè sibi propositâ, ea, quæ ad conciliandos dissidentes animos, & ad commune bonum constabiliendum pertinere cognoverit, Vobis ipsis amicè suggerat, omnique studio, ac sedulitate promoveat; quod consilium à Nobis susceptum ut celeriùs, & tempestivè Vobis innotescat, citati Cursoris, qui has nostras literas ad Vos perferat, diligentiâ utimur. Quia verò de spectatâ virtute vestrâ, deque vestrâ in Patriam fide, ac in Nos filiali observantiâ, præclarè, ut par est, sentimus, confidimus per Vos factum iri, ne res interim in deteriores deliberationes abeant. Neque enim hìc de vestris turbandis rebus, aut infringendis legibus, immutandâque ullatenùs Reipublicæ facie, sed de procurandâ, salvis cujusque juribus, intactisque prorsùs Majorum vestrorum Statutis, animorum concordiâ, quâ Regnorum salus, atque felicitas constat, unicè agendum est. Quamobrem æquum profectò est, vestrâque prudentiâ, maturitate, generosique animi præstantiâ dignum, ut dum nullum à Nobis testimonium propensæ in Vos voluntatis prætermittitur, quo saluti, commodo, tranquillitatique Reipublicæ vestræ consultum sit: Vos debito cultu, atque alacritate Paternis nostris monitis obsequentes, paratam Vobis pręfati Legati nostri manum adiutricem, atque beneficam experiamini. Et in auspicium bonorum omnium, quæ Vobis ipsis, universoque Poloniæ Regno precari à Deo non cessabimus, Apostolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 6. Junii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Enixo Regis Catholici desiderio satisfacturus indulget Archiepiscopo Hispalensi, ut à residentiâ abesse, & Majestati Suæ usque ad certum tempus assistere possit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ancorchè il grave debito del nostro Pastorale Offizio ci faccia provare non poca pena in considerare l'Arcivescovo di Siviglia per sì lungo tempo lontano dalla sua Chiesa, come più, e più volte habbiamo detto al Duca d'Ucceda Ambasciatore della M.V., nondimeno per dare alla medesima un nuovo assai chiaro argomento del nostro ben grande, e Paterno amore, con cui la rimiriamo, attesa la molta soddisfazione, che la M.V. si dichiara di ricevere dall'assistenza del sudetto Prelato, e la gran premura, con cui brama, che da Noi gliene sia permessa la continuazione, ci contentiamo, che egli possa continuare ad assisterle per tutto il tempo della presente Campagna. Confidiamo, che quella terminata, la M. V. medema, per il zelo che hà del servigio di Dio, e del buon governo anco spirituale de'suoi Sudditi, sarà quella, che lo stimolerà à portarsi sollecitamente alla sua residenza per ivi sodisfare, come deve, e come speriamo nell'ajuto del Signore, che egli farà molto bene, alle parti del proprio Ministero. E alla M. V. con tutta la pienezza del nostro affetto diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 16. Junii 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Quæ Rex Christianissimus rogatu Sanctitatis Suæ concesserat Duci Mutinæ, sibi admodum accepta fuisse profitetur, eumdemque Ducem uberioribus Regiæ benignitatis testimoniis dignum ostendit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Cum in iis omnibus, quæ à Majestate Tua statuuntur, atque geruntur, eluceat semper singularis quædam animi magnitudo, quæ pretium rebus ipsis adjungit, & eorum, quæ à Te obtinentur, gratiam valdè cumulat, meritò plurimi à Nobis fiunt ea, quæ favore Dilecti Filii Nobilis Viri Raynaldi Ducis Mutinæ Te nuper concessisse percepimus. Illud verò, quod summoperè Paternum cor nostrum obstringit, est profectò peculiaris ratio officiorum nostrorum, quam à Te habitam fuisse cum Ipse scribis, tum Nos agnoscimus, cujus præclaræ tuæ voluntatis memores Nos jugiter fore existimare sanè debes. Verùm æquitas poscit, ut de eximio ipsius Ducis in Te studio, & cultu Te hac etiam occasione

ne certiorem facere non prætermittamus; videmus enim esse hujusmodi, ut ipse nedùm collatis nuper in Eum benignitatis tuæ testimoniis, sed uberioribus etiam, quibus ipsum ornare Tibi subindè placuerit, dignum se præstare perpetuò curaturus sit. Benevolentiæ interim nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 8. Julii 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Mariȩ Magnæ Britanniȩ Reginæ Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissima in Christo Filia Nostra, salutem &c. Non levi incitamento fuisse arbitramur eximia merita Majestatis Tuæ Christianissimi Regis animo ad proferenda ea benignitatis suæ testimonia erga Dilectum Filium, Nobilem Virum Raynaldum Ducem Mutinæ, Patruum tuum, quæ ab Eo nuper prodiisse ex ipsius Regis ad Nos literis admonemur. Quoniam verò latere nullo modo Nos potest eumdem Regem hac in re Paterna nostra desideria, & officia peculiariter respexisse, cum id Ipse humaniter admodùm profiteatur, lætamur profectò præstitisse aliquid, quod in commodum ejusdem Ducis, quem unicè diligimus, cedere possit, & quod gratum Tibi, quæ tam præclaris virtutibus apud Nos commendaris, acciderit. Lætum hoc auspicium majora etiam, & ampliora consecutura esse confidimus, nam certè ea est Regii animi magnitudo, ut quæ impetrari semel à Se patitur, pignus eorum, quæ expectanda sunt, meritò haberi debeant; non enim ambigendum est, quin Dux conciliatam sibi Regis voluntatem satagat in dies magis demereri, quod Nos testari non prætermisimus. Luculentis interim significationibus tuis uberi charitate ex animo respondentes, Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die octava Julii 1704. &c.

ARGUMENTUM

Ortum Principis Primogeniti Ducis Burgundiæ Regi Christianissimo amanter gratulatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. La felice novella, che V. M. hà voluto parteciparci del nascimento del Principe Primogenito del Duca di Borgogna, ci hà riempito di tanta consolazione, che per spiegarla adequatamente, non ci sovvengono parole corrispondenti à sentimenti del cuore. Preghiamo per tanto la M. V. à misurarla dal contento suo proprio; mentre quanto Ella gode della prosperità dell'avvenimento per le ragioni del Sangue, altretanto siamo Noi persuasi

à goderne non meno da quel Paterno distinto amore, con cui rimiriamo la M. V., che dallo stretto, e preciso debito, che abbiamo d'interessarci in un successo sì avventuroso alla Cattolica Religione. Assicuriamo in tanto la M. V. che sì come non abbiamo lasciato di renderne subito le dovute grazie al Signore Dio nel sagro Altare, così continui saranno i nostri voti à S. D. M., affinche benedica, e conservi lungamente alla Francia questo Principe, e insieme conceda lunghissimi anni alla M. V., perche possa col suo grand'esempio trasfondere non solo nel Regio Fanciullo, mà anco in quelli, che da Lui nasceranno, quelle eroiche virtù, che tanto rilucono nel suo animo sublime. E rendendo alla M. V. molte grazie dell'ufficio passato con Noi in tale occasione, e delle cortesi espressioni, con le quali l'è piaciuto d'accompagnarlo, diamo alla M. V., e à tutta la sua Real Discendenza l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 10. Julii 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Electoris Palatini studium pro publicâ Polonici Regni tranquillitate laudat, ejusque consilio obsecundasse scribit, Poloniæ Reginam adhortando, ut Principem Alexandrum Natum suum Romam evocet, certâ eidem spe factâ consequendi hac ratione aliorum Majestatis Suæ Filiorum, qui captivi detinebantur, nimirum Principum Jacobi, & Constantini, libertatem.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quales, & quantas animo nostro curas assiduè ingerant præsentes Polonici Regni calamitates, Nobilitati Tuæ exploratiùs esse credimus, quàm ut oporteat multis explicare: imò esse neminem arbitramur, qui ignoret excogitata à Nobis, oblata, atque adhibita fuisse valida, ac præcipua media ad compescendos, componendosque eos motus, atque ad comparandam, quantum in Nobis erat, illius Reipublicæ tranquillitatem; quâ in re, etsi Nos vehementer commovit pro Paternâ nostrâ charitate tot Populorum salus, atque incolumitas, impulit tamen adhuc vehementiùs, pro debito Muneris nostri, Catholicæ Religionis integritas, quam in summum discrimen adduci, scissis in diversa studia omnium prope Ordinum animis, intelligebamus. Gratum propterea Nobis fuit, quòd Tu eodem publici boni fervore incensus ea Nobis aperueris, quæ aliquid in scopum conciliandæ ibi tranquillitatis allatura esse existimasti. Hinc eximiæ tuæ prudentiæ, ac fidei innixi libenter curam suscepimus hortandi Charissimam in Christo Filiam Nostram Mariam Casimiram Poloniæ Reginam, ut Filium suum Principem Alexandrum, datis ad eum literis, Romam accire vellet, certâ eidem spe factâ additum iri ipsi Principi Alexandro Viennam pertransituro, veluti itineris comites, quemadmodum Tu ipse ad Nos perscripsisti, Regios Principes germanos ipsius Fratres Jacobum, & Constantinum, quorum omnium conspectu tantum Ipsa solatium perceptura sit, quan-

tum

tum molestiæ pro horum detentione persensit. Et sanè Eadem, quâ est in omnibus, egregiâ pietate, atque in Nos studio, nullâ interjectâ difficultate, ac morâ literas ad Principem Alexandrum dedit, eumque dicto auditurum, tanquam sibi voluntate, germanis verò Fratribus summo amore conjunctum, non dubitavit. Quæ omnia Nobilitati Tuæ significanda esse duximus, ut quod à Te tam laudabiliter cœptum est, ope tuæ virtutis, atque authoritatis perfici feliciter possit; dum perpetuæ benevolentiæ nostræ pignus Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima sexta Julii 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Novam à Duce Lotharingiæ editam, sibique transmissam Constitutionem reprobat, eumque seriò, ac paternè hortatur, ut Paternas tandem Sanctitatis Suæ voces potiùs, quàm assentantium hominum consilia audire velit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, &c. Uberes Filialis devotionis significationes in postremis Nobilitatis Tuæ literis eò libentius excepimus, quò ex iis, quæ propriâ manu scripsisti, intimos erga Nos, & hanc Sanctam Sedem animi tui sensus faciliùs intelleximus, indèque non dubium capere potuimus argumentum ea, quæ priùs tuo licet nomine scripta, seu promulgata fuerant, alienâ tamen potius mente prodiisse. Gaudemus itaque in Domino admodùm, quod pia, & religiosa consilia nutrias, Majorumque tuorum more, eo sis in Sacrosanctam Dei Ecclesiam animo, ut ejus jura tueri, & sarcta tecta servare intendas, non convellere, aut imminuere. Id porrò, Dilecte Fili, (quidquid non nulli minùs æqui rerum æstimatores Tibi fortè suggesserint) minimè præstitisti novo edito Libello Nobis transmisso, in quo Constitutio, seu Ordinatio quædam ampliativa, ut nuncupant, continetur; eâ siquidem confirmari potius primæ à Nobis reprobatæ Constitutiones videntur, quàm emendari. Quare novam istam Constitutionem eidem, cui priores, censuræ obnoxiam fore dubitandum non est. Si igitur verè Nobis, si Ecclesiæ, si Deo ipsi satisfacere velis, ut profectò velle Te credimus, nihil agere consultiùs potes, quàm si nostris, ut sanè probum, & Catholicum Principem decet, editis hac de re Decretis obsequaris, iisque omnibus, quæ adversùs Ecclesiarum jura, & libertates ab aliquot annis in Nobilitatis Tuæ Ditione innovata sunt, prorsùs abolitis, ac de medio sublatis, cuncta in pristinum, ac eum, in quo anteà erant, statum plenè restituas. Id autem nunquam efficies, si mundanæ tantùm prudentiæ (quæ apud Deum stultitia est) homines, quique suæ potius fortunæ, privatæque utilitatis, quàm decoris, atque conscientiæ, adeòque, & veri commodi tui rationem habere dignoscuntur, audias, eorumque consiliis morem geras. Audi potiùs, Dilecte Fili, vocem Patris tui, qui verâ Te charitate diligens, non, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, Ecclesiæque ejus quærit, & Tibi quærenda suadet, ideòque, & de maximo est

Nobi-

Nobilitatis tuæ bono, ac dignitate ſolicitus, Noſque moleſtiſſimâ hac curâ exime, qui ſatis multis, ac nimis gravibus undequaque oneribus premimur; neque enim Dei Cauſam deſerere Nobis liberum, neque in tanta Eccleſiæ, & Miniſtrorum Chriſti injuria ſilere integrum eſt, nec demum ipſius Animæ tuæ ſalutem, quæ Nobis à Domino commiſſa eſt, negligere. Omnia ſperamus ab eximiâ, ac ſingulari pietate tua, quin etiam Nobilitatem Tuam rogamus, atque obſecramus in Domino, ne Te eorum abripi aſſentatione ſinas, qui tum maximè Te Reipublicæ quæſtum feciſſe putant, cum aliquid Eccleſiæ detraxerint. Age igitur, Dilecte Fili, redditiſque Deo, quæ Dei ſunt, ſplendido avitæ pietatis exemplo, ſuſcepti regiminis auſpicare primordia, ut omnibus palàm fiat Te Domini Sacerdotes ante Tribunal Chriſti non accuſatores, ſed deprecatores velle, ſubjectiſque Tibi populis non niſi propitio primùm, ac favente Deo bonorum omnium largitore, plenam felicitatem præſtolari. Eam Tibi, ac univerſæ Ditioni tuæ Nos quoque precamur ex animo, & Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 29. Julii 1704. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Regi Poloniæ dolorem ſignificat, quem ex attentatis Varſaviæ contra Majeſtatis Suæ dignitatem ſuſceperat, eumque certiorem facit ſe non tantùm ea improbaſſe, verùm etiam Cardinali Radzieovvski, & Epiſcopo Poſnanienſi, præcipuis facti Authoribus, Apoſtolico Præcepto mandaſſe, ut ſtatim Romam ſe conferant, quatenus, iis Regno amotis, publicæ res faciliùs componi poſſint. Regem deindè Paterno affectu conſolatur, ac omnia Pontificiæ Auctoritatis præſidia Illi pollicetur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Incredibili ſanè dolore pro ſummâ, qua Majeſtatem Tuam proſequimur, charitate perculſi ſumus, ubi quid apud Varſaviam contra ejuſdem Majeſtatis Tuæ Dignitatem, contra humana, Divinaque jura tentatum fuerit, audivimus ab iis hominibus, qui novandarum rerum cupidi publicam pacem, Regnique iſtius olim florentiſſimi ſtatum auſu tam nefario perturbant. Quamobrèm ut his malis eâ, qua par eſt, celeritate occurreremus, Dilectum Filium Noſtrum Michaelem S.R.E. Cardinalem Radzieovvski nuncupatum, necnon Venerabilem Fratrem Epiſcopum Poſnanienſem feriò quidem monere, atque etiam arguere nihil diſtulimus, ipſiſque Apoſtolico Præcepto mandavimus, ut ſtatim ad Almam hanc Urbem ſe conferant, eâ ſcilicet ſpe freti, ut iis Regno amotis, faciliùs componi res poſſint, ſuaque tandem Majeſtati Tuæ quies, tranquillitaſque reſtitui. Prætereà, cum ex animi noſtri mœrore quàm gravi Majeſtas Tua indignatione ex hac tam inſigni injuriâ prematur, facile intelligamus, Pontificii Muneris noſtri, atque erga Majeſtatem Tuam amoris eſſe judicavimus eamdem, quàm maximè poſſumus, conſolari, atque etiam hortari, ne tam adverſis in rebus deficiat, ſed egregiæ ſuæ conſtantiæ eò nobiliora pro-

ferat argumenta, quo Regii sui animi virtus majoribus infortuniis conflictatur. In primis autem suam spem omnem, atque fiduciam in Deum, qui pacis Author est, ponere non prætermittat, ipsumque sibi perpetuo, ac peculiari Catholicæ Religionis promovendæ studio demereri; potens est enim Dominus hujusmodi hominum consilia dissipare, præcipuè cum hæc inimicorum suorum, Hæreticorum nempe, armis, atque potentiâ nitantur, quæve in Majestatem Tuam admissa sunt, omnia eorumdem Hæreticorum furore, ac violentiâ gesta videantur. Siquidem pro certo habeas Deum Optimum Maximum, si Ipse ejus causam pro virili tutatus fueris, tuam hanc indefensam, ac hostium temeritati obnoxiam non relicturum. Ceterùm, quod ad Nos attinet, Majestati Tuæ non deficiemus, atque ea, quæ possumus, omnia pro Regiâ tua Dignitate tuendâ, servandâ, atque etiam amplificandâ promptis, ac libentibus animis præstare non omittemus Tibi, Charissime in Christo Fili Noster, cui Apostolicam interim Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die tertia Augusti 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Cardinalem Radzieovvski de iis, quæ, ipso potissimùm authore, in Comitiis Varsaviensibus adversùs Regem Augustum attentata fuerant, graviter increpat, eidemque Cardinali in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut infra tres menses Romam accedat, censuras, & pœnas à sacris Sanctionibus constitutas, nisi paruerit, subiturus.

Dilecto Filio Nostro, Michaeli Tituli Sanctę Marię de Pace Presbytero, S.R.E. Cardinali Radzieovvski nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Postremis literis tuis, quibus animum nostrum commoveri meritò sensimus, iterum rescribere parabamus, ut Circumspectionem tuam Paternis officiis nostris, nonnisi Reipublicæ vestræ, imò & Religionis Catholicæ utilitatem respicientibus, quâ omninò par erat, observantiâ minimè respondentem, Apostolicâ libertate seriò admoneremus, cum ad intimi doloris nostri augumentum confusa quidem, constanti tamen famâ præter omnem expectationem nostram perlata fuere, quæ in ultimis apud Varsaviam Comitiis (si tamen hoc nomine digna sunt) perperam acta, seu veriùs attentata sunt. Decebat sanè Ecclesiasticum Virum, decebat Antistitem, decebat maximè hujus S.R.E. Cardinalem, Pontificis potiùs, qui Christi vices in terris gerit, quàm exteri, atque etiam etherodoxi Principis vocibus auscultare, optatamque Reipublicæ tranquillitatem, quæ non nisi salvâ Catholicâ Religione constare potest, ab ejusdem Religionis hostibus non emendicare. Nos quidem pro commissâ Nobis universarum Christi Ovium solicitudine, Paternaque, qua omnium Catholicorum Regnorum pacem, felicitatemque curare tenemur, charitate, nihil omisimus, quo impendentia Reipublicæ vestræ mala avertere satageremus: quid enim potuimus facere, & non fecimus? Tu autem contra, qui Nobis jungi debueras, propositasque in Literis nostris commodas ineundæ publicæ pacis rationes

ultrò

ultrò amplecti, Deumque in primis publicè à Nobis indictis precibus toti Regno propitium conciliare: Muneris tui, ac Dignitatis oblitus, ad ea potiùs conversus es sequenda consilia, quibus per populorum scissuram extrema expectari possit universi Regni, imò, & Religionis pernicies; id verò quanto totius Christianæ Reipublicæ scandalo, quanto nominis tui dedecore, quantâ Ecclesiastici Ordinis invidiâ (nisi Deus averterit) eventurum sit, nec Nos explicare pro dignitate possumus, nec Tu fortè satis intelligere. Quis enim probus, ac verè Catholicus sine indignatione audiat hæc omnia, tanto cum Regni periculo Hæreticorum armis in Patriam inductis, Sacerdote Dei, Episcoporum Regni Primate, Romanâque insuper Purpurâ condecorato, non assentiente solùm, sed Authore, ac Duce patrata fuisse, illaque Romano nequidquam reclamante Pontifice, imminentemque Regno cladem, ac Religioni probrum, exitiumque frustra obtendente: scilicet Regni malis, Te judice, occurri non poterat, nisi Hęreticorum arbitrio à primo Regni Sacerdote Respublica committeretur? & firma, solidaque pax, quæ Christo in terras veniente nunciata, ad Cælos ascendente, relicta est, ab etherodoxis hominibus malæ voluntatis, & Ecclesiæ Christi hostibus unicè expectanda erat? *nunquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi*? an non erat inter Nos Sapiens quisquam, qui inter Fratres nostros judicare posset, ita ut quod olim exprobravit Apostolus, auderemus judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? Falleris profectò, Dilecte Fili Noster, jungens amicitias cum habitatoribus terræ alienæ, qui erunt Tibi in ruinam, *speransque in baculo arundineo, atque confracto Ægipti, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam*. Quoniam verò rem istam eò jam adductam videmus, ut nisi deteriora in dies pericula subire velimus, tuamque etiam Personam, ac Dignitatem, de qua pro Muneris nostri debito soliciti esse volumus, ac debemus, periclitari patiamur, validiori prorsùs remedio utendum sit. Propteteà Circumspectioni Tuæ tenore præsentium Apostolicâ, quam Nobis Altissimus credidit, authoritate districtè præcipimus, atque in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut omni morâ postpositâ è finibus Poloniæ Regni discedens intra proximorum trium mensium spatium ad hanc Almam Urbem nostram omninò Te conferas, Ecclesiasticas censuras, & pœnas à Sacris Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus adversùs inobedientes, & Sedis Apostolicæ Mandatis contumaces inflictas, atque statutas, nisi promptè, ut speramus, parueris, subiturus. Tibique interim, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem, cui Cęlestem accedere optamus, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 3. Augusti 1704. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Quæ in Comitiis Varſavienſibus geſta fuerant adversùs Regis Auguſti dignitatem, improbat, damnatoque paucorum Eccleſiaſticorum, qui Hæreticis adhærere non erubuerant, ſtudio, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni laudat, quòd Regiam cauſam ſtrenuè propugnent, cum qua Religionis etiam Catholicæ cauſa, imò & ipſius Regni felicitas conjuncta eſt, ac illos ad tam egregium, & ſalutare propoſitum conſtanter tuendum hortatur.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Polonię.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, ſalutem &c. Quàm triſte Nobis acciderit, quod nuper è Polonia nunciatum eſt de iis, quæ apud Varſaviam contra Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem per ſummam temeritatem patrata ſunt, non aliundè melius, quàm ex Paterna, qua Regem ipſum, univerſumque Poloniæ Regnum charitate complectimur, Fraternitates Veſtræ deprehendent. Id verò dolorem noſtrum adauxit maximè, quòd cuncta ſciamus Hęreticorum arbitrio geſta eſſe, iiſque nonnullos ex Epiſcoporum numero ſuffragari non erubuiſſe. Teſtes Vosmet ipſos volumus, & appellamus, quanto ſtudio, diligentiâque uſi fuerimus, ut pro Muneris noſtri debito imminentia ex Civium diſſidiis Poloniæ mala, Catholicæque etiam Fidei aperta diſcrimina averteremus: ſed ſpe noſtrâ fruſtrati ſumus eorum potiſſimùm operâ, qui Sacerdotalis officii, ac dignitatis immemores hoſtibus Fidei adſtipulari, quàm à Chriſti Vicario conſilia pacis, & charitatis audire maluerunt. Vos autem non ſic, Venerabiles Fratres: ſed proſtitutam à paucis Eccleſiaſtici Ordinis dignitatem unà Nobiſcum Sacerdotali conſtantiâ ſuſtinete, ac Regem veſtrum, ſimulque impetitam Hæreticorum violentiâ Catholicam Religionem tuemini, qua felicitas ipſa Regni totius innititur: id quidem Nobis perſpecta Fraternitatum Veſtrarum in Deum pietas, in Regem Fides, atque etiam in Nos amor, atque obſervantia pollicentur. Quare à pluribus in præſentia abſtinentes, ad Deum Optimum Maximum precibus convertemur, ut perturbato nimis Reipublicæ veſtræ ſtatui Divino adſit præſidio, imperetque ventis, & mari, & faciat tranquillitatem, Vobiſque omnibus, Venerabiles Fratres, Paternæ noſtræ benevolentiæ pignus, Apoſtolicam Benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ &c. die 3. Auguſti 1704. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Ordini Senatorio Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Perturbationes, atque dissidia inclytæ, Nobisque charissimæ Reipublicæ vestræ, quibus componendis studia omnia nostra contuleramus, exardescere in dies magis, non sinè maximo cordis nostri dolore, intelligimus: ea verò præcipuè Paternum animum nostrum pulsant, quæ nuper temerario paucorum ausu per Divinarum, humanarumque legum contemptum, apertamque vestri Regis injuriam,apud Varsaviam nuper patrata esse cognovimus. Quid enim clarissimo Poloniæ Regno indignius, quid Patriæ libertati nocentius, gloriæ ignominiosius, Religioni denique ipsi perniciosius, accidere potuit, quàm Exterorum, quodque deterius est, Hæreticorum armis, atque insolentiâ publica jura turbari, Regiam Majestatem contemni, Senatus Authoritatem negligi, omnia demum susdeque verti, Catholicamque ipsam Fidem, quæ Poloni nominis primum semper decus, & ornamentum extitit, unâ cum toto ipso Regno, quod divisum, si fides Evangelio est, desolabitur, ad ultimum exitium postulari? Quamobrèm pro Paterno nostro, quo vehementer urgemur, in Gentem vestram amore, Deique, cujus causam agere tenemur, cultu, ac religione ad vestram, Dilecti Filii, pietatem, sapientiamque convertimur, Apostolicâ Vos adhortatione excitantes, ut pro Patriis legibus fortiter stetis, Regique vestro, cui & justitia favet, & constanter asserta Religio meritum auget, ipsaque Sedes Apostolica adstipulatur, debitâ fide unanimes adhæreatis, læsamque per summum scelus Majestatem tueamini. Agnoscite, ac sedulò pro vestrâ prudentiâ reputate nonnisi Reipublicæ vestræ infensos esse posse, qui veræ Fidei, atque adeò & Dei hostes esse non erubescunt. Nos interim Deum Optimum Maximum, ut hactenùs fecimus, imò & impensiùs rogare non desistemus, ut suo Vobis præsidio adsit, propulsatisque ab universo Regno malis omnibus, pristinam in Patriam vestram revocet tranquillitatem, ac pacem; atque in id ipsum Nobilitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 3. Augusti 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Ordini Equestri Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, salutem &c. Non sinè gravissimâ animi nostri perturbatione, atque dolore, quæ nuper in Charissimum in Christo Filium Nostrum Augustum Poloniæ Regem per summam injuriam apud Varsaviam admissa fuere, cognovimus. Itaque, cum ea omnia hominum improborum, Hæreticorum nempè, qui hac publicâ Regni calamitate, ac penè

vaſtitate ſuo in Religionem Catholicam furori, atque odio litare maximè gaudent, conſiliis, armis, ac violentiâ geſta fuerint, Paternæ noſtræ ſolicitudinis, & in Regem, atque Rempublicam veſtram amoris eſſe duximus Vos etiam, atque etiam hortari, ut pro egregiâ Veſtra fide, ac fortitudine Regi veſtro in tanto diſcrimine adeſſe, ejuſque dignitatem ſtrenuè aſſerere ſtudeatis. Cùm autem Religionis Catholicæ ratio cum ejuſdem Regis causâ conjuncta eſſe videatur, utramque Vos pro virili tuendam, propugnandamque ſuſcepturos eſſe ſperamus. Ad hoc ſanè exempla Majorum Vos provocant, veſtra Vos pietas monet, ſpectata hucuſque erga Reges veſtros, Patriam, ac Religionem charitas, atque conſtantia excitat, & planè compellit. Conſulite igitur Regni tranquillitati, conſulite etiam famæ, atque avitæ gloriæ veſtræ; dum Nos omnia quidem Vobis, ac Reipublicæ veſtræ proſpera, atque felicia à Domino deprecantes, Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 3. Auguſti 1704. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

A' Rege Poloniæ rurſus enixè flagitat libertatem Principum Jacobi, & Conſtantini Sobieski, ut vicem debitam prævalidis officiis, quibus Sua Sanctitas Regiam authoritatem, ac dignitatem propugnandam ſuſceperat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Dall'Arciveſcovo di Tebe noſtro Nunzio ſentirà la Maeſtà Voſtra quali paſſi da Noi ſi facciano, e quali anco maggiori ſi meditino, per aſſiſterle nelle preſenti ſcabroſe contingenze con tutta la forza della noſtra autorità. Non poſſiamo, à dire il vero, mettere in dubbio, che in ſolo riceverne la notizia la M.V. non ſia per darci un argomento ben molto da Noi bramato della ſua corriſpondenza, con far ſeguire prontamente, e ſenza maggior ritardo la liberazione de' Principi Giacomo, e Coſtantino Sobieski; Tuttavia non laſciamo di pregarnela di nuovo con tutta l'efficacia del noſtro ſpirito: aſſicurandola, che la condeſcendenza della M. V. à tal'atto ci animarà fortemente à perſeverare nella condotta intrapreſa. E con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto diamo alla M. V. l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 8. Auguſti 1704. &c.

ARGUMENTUM

Expositis vexationibus, quas Catholici Hollandiæ ab illis hæreticis Magistratibus patiebantur, Imperatorem enixè hortatur, & rogat, ut ipsos Catholicos Cæsareo patrocinio tuendos suscipiat, ac potissimùm curet, ut Pro-Vicario Apostolico in locum Archiepiscopi Sebasteni suffecto liberum sui muneris exercitium permittatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Catholicorum Hollandiæ res, novis in dies prodeuntibus adversùs eos Magistratuum Edictis, ac pœnis, eo jam loco positas esse videmus, ut nisi efficaci, ac præsenti aliquo patrocinio juventur, ad extremam timeri possint perniciem adducendæ. Nos itaque de ipsorum gravi periculo jure soliciti, postquam assiduis apud Deum precibus eorumdem Causam agere non destitimus, nihil Nobis consultius, aut opportunius agendum superesse putavimus, quàm ut Majestatis Tuæ perspectam, celebratissimamque pietatem conveniremus, ac Dei ipsius, & Domini Nostri Jesu Christi, cujus vices immeriti sustinemus, Nomine interpellaremus, ut pro eximio, quo præstas, Catholicæ Fidei zelo, apud eosdem Magistratus officia omnia, studiaque sedulò, atque constanter adhibeas, quò Catholicis eorum Ditioni subditis liceat, ut hactenus licuit, pacificè vivere, nec eorum Pastores, ut jam contra omnem æquitatem fieri cœptum est, exilio, mulctisque plectantur. Sanè postquam Archiepiscopum Sebastenum, quem pluribus, gravibusque de causis, ac præcipuè ob non sanam Doctrinam à Munere, quod ad hujus Sanctæ Sedis beneplacitum obtinebat, removere compulsi fuimus, & ex hac Alma Urbe, ut iidem Magistratus vehementer optare videbantur, & quidem absque alia pœnâ ex Paternâ indulgentiâ dimisimus, unde Nobis ab Hollandi Regiminis æquitate quietem pollicebamur, majorem inde vexationem, injuriamque reportavimus. Nam & Pro-Vicarium à Nobis deputatum, Virum probum, ejusdemque Patriæ Civem, à pluribus annis ibidem sine querelâ versatum, publico statim Edicto proscriptum audivimus, & alios deinde Sacerdotes, eosque potissimùm, qui debitâ Nobis obedientiâ magis præstare videbantur, vel in exilium actos, vel sacris muneribus prohibitos, aut etiam carceribus mancipatos. Declarant quidem iidem Hollandiæ Magistratus, palamque omnibus contestantur nolle se de spirituali Catholicorum regimine quidquam assumere, sed illud Romano Pontifici, ut anteà, liberum, expeditumque relinquere, quod & ipsis Patriæ legibus consentaneum esse profitentur: Sed reipsâ Ecclesiæ Ministros à Nobis constitutos munere, ac statione deturbant: Nostris verò mandatis contumaces, ac Refractarios sub Catholico nomine apertum schisma meditantes fovent, atque tuentur, itaut in extremum Romanæ Fidei excidium lento quidem, & occultiore, sed eò deteriore consilio intendere videantur. Id verò quantâ cum Divini nominis injuriâ, quanto Religionis Catholicæ detrimento in totius Ecclesiæ Dei conspectu accidat, supervacaneum est, ut pluribus explicemus. Nimis enim æquitati absonum, & à reverentiâ, quam erga Majesta-

tem Tuam profitentur, alienum esse dignoscitur, quod illius Republicæ Moderatores nihil prorsùs Sanctæ ipsi Religioni, quæ tantæ Tibi curæ est, non modò indulgere in Tui gratiam velint, sed ne ab hac quidem turbandâ, ut hactenus nullo publicæ rei incommodo factum est, abstinere. Quid enim magnum, insolens, aut ipsorum rationibus officiens tandem foret, si Pro-Vicarium antedictum, vel nullius reverâ criminis reum, vel si quâ in re offenderit, abundè satisfacere paratissimum, ipsa Majestate Tuâ Religionis causâ intercedente, in gratiam reciperent, atque in spirituali Animarum regimine exercendo tacitâ saltem conniventiâ tolerarent? Quid si reliquos animarum Rectores Nobis obsequentes, Viros innoxios, ac pacis amatores, munere suo, ut anteà, fungi permitterent; contumaces verò, ac publicæ non minùs, quàm Ecclesiasticæ quietis perturbatores, infamiumque libellorum, quibus nostra simul, & Apostolicæ Sedis Dignitas per summam impudentiam impetitur, Evulgatores, gratum Majestati Tuæ facturi, compescerent? Quamobrèm, Charissime Fili Noster, ut huic rei obtinendæ, sine quâ Catholica, & quidem plurium centenorum millium hominum Fides salva esse non potest, vehementer insistas, Majestatem Tuam etiam hortamur, & obsecramus in Domino, ante cujus conspectum Rei profectò omnes, ac debitores pereuntium tot millium Animarum postulabimur, si humanis quibusque ducti rationibus, manum iis omnem, quam possumus, adjutricem porrigere negligamus; id enim tandem, Charissime in Christo Fili Noster, pro Paternâ, quam erga Te gerimus, charitate, Majestatem Tuam mente, quam Tibi piissimam Altissimus indidit, recolere cupimus, ac seriò cogitare, impositum Tibi Sanctæ Religionis tuendæ, onus cum Imperii gubernacula suscepisti, summam Potestatem Tibi non solùm ad terrenum regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. Et Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die 9. Augusti 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Dalla Lettera pervenutaci della Maestà Vostra ricaviamo un' nuovo, e ben' chiaro argomento della sua continuata Filial' divozione verso questa Santa Sede, in cui per inscrutabile giudizio dell'Altissimo senza alcun' nostro merito ci troviamo collocati. Mentre però ne rendiamo alla Maestà Vostra molte grazie, non lasciamo insieme di pregare incessantemente Dio, perche si degni di convertire in profitto della publica tranquillità quel' tanto, che alla Maestà Vostra è piacciuto di significarci. A questo oggetto del continuo rimirano li nostri voti più ferventi, principalmente indirizzati à vantaggi della Cattolica Religione, da quali non sono mai stati disgiunti li felici avvenimenti della sua Augustissima Casa. Non possiamo in tal'occasione lasciare di raccommandare alla Maestà Vostra, come facciamo con tutta l'ef-

ficacia maggiore del nostro spirito, le Missioni d'Olanda, quali trovandosi in grandissima confusione, e travaglio, per l'appoggio, che danno quei Magistrati alla disubbidienza di chi sempre più si fà conoscere contumace alle determinazioni della Santa Sede, sono perciò sommamente bisognose del valido, & efficace patrocinio della Maestà Vostra, come più pienamente le abbiamo rappresentato con altro nostro Breve. Non dubitiamo di tutto conseguire dalla pietà, e dal zelo della Maestà Vostra in sollievo dell'estrema afflizione, che giustamente ci recano quelle pendenze sì pregiudiziali alla propagazione della Fede di Giesù Christo. E fratanto con tutta la pienezza del nostro affetto Paterno diamo alla Maestà Vostra l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die nona Augusti 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quàm gravibus ærumnis, atque afflictionibus premantur, qui magno numero per Hollandiam versantur Catholici, non ignorat Nobilitas Tua, quæ nuper ipsis ope, & præsidio alacriter adesse non destitit, ac præcipuè Pro-Vicario Apostolico eorumdem Regimini deputato è carceribus liberando sedulam, atque efficacem navavit operam. Quæ causa est, ut gratias quidem Nobilitati Tuæ maximas in primis habeamus, simulque, ut novis rebus, quæ in dies adversùs eosdem Catholicos injustè tentantur, authoritate, atque officiis tuis occurrere non prætermittas, Te etiam atque etiam adhortemur. Nuntiatum siquidem Nobis est Hollandiæ Magistratus non modò in præfati Pro-Vicarii Munere impediendo persistere, sed plures quoque Sacerdotes non aliâ de causâ, quàm præstitæ Nobis quoad spiritualia obedientiæ, vel officio arcuisse, vel exilio, carceribusque mulctasse; id verò in quantùm Catholicæ Fidei dedecus, ac detrimentum vergat, adeò est ex se manifestum, ut propterea probos omnes Catholicos, ac potissimùm Principes, omninò deceat zelo Dei, ac Religionis excitari ad studia omnia simul conferenda, ne tanta pernicies ulteriùs progrediatur. Qua de re & ad Charissimum in Christo Filium Nostrum Leopoldum Romanorum Regem in Imperatorem Electum, & ad ceteros Orthodoxos Principes, quorum authoritas apud Hollandos in pretio est, literas dedimus. Etsi verò Nobilitatem Tuam pro ingenita Tibi Divini honoris solicitudine eâdem in re nemini cessuram confidimus, tamen pro Muneris nostri debito novis urgere officiis non omittimus, ut prædictum Pro-Vicarium valido patrocinio tuo tutum esse velis, & in administrandâ commissarum sibi Missionum curâ à Magistratibus Hollandiæ, præstita etiam ab eo, si quidquam offenderit, æquâ satisfactione, tolerari; id verò nec Hollandiæ legibus adversum, nec moribus insuetum, sed contra potiùs Reipublicæ tranquillitati, qua Regnorum omnium felicitas constat, maximè consentaneum fore nemo non videt, ut propterea hoc in negotio strenuè persequendo Nobilitas Tua

cer-

certum habere debeat rem primùm quidem se Deo gratissimam, jucundissimam Nobis, simulque ipsis etiam Hollandiæ Magistratibus commodam, atque perutilem esse facturam; & Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, Nobilis Vir, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Augusti 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Francisco Archiepiscopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Novis in dies, gravibusque adeò malis vexari audimus sacras Hollandiæ Missiones, ut illorum, qui tanta pro Religione patiuntur, Paternâ non solùm charitate misereri, sed & solatium, quod præstare per Nos ipsi non possumus, aliorum saltem auxilio quærere debeamus. Neque enim Nobis in tanto Catholicæ Fidei discrimine silere integrum est, neque Orthodoxis Principibus, quorum præsertim penès Hollandos authoritas in pretio est, honestum, atque decorum opem tot Animarum millibus denegare. Cùm igitur Charissimo in Christo Filio Nostro Leopoldo Romanorum Regi in Imperatorem Electo, aliisque Principibus eâ de re plura scripserimus, Fraternitatem quoque Tuam duximus excitandam, ut operâ, studiisque tuis, prædictorum Catholicorum, qui in omni pressurâ sunt, imò potiùs ipsiusmet Religionis nostræ causam agere non graveris. Jamdiù enim est, quod Pro-Vicarius Apostolicus in Archiepiscopi Sebasteni (quem non uno ex capite, ac præsertim ob minùs sanam in fide doctrinam, removere oportuit) locum substitutus, eorum præcipuè Sacerdotum turbis, ac factione, quæ eidem Sebasteno favet, publico Magistratus Edicto proscriptus exulat, nec pauci inde animarum Rectores Mandatis nostris obsequentes pariter in exilium pulsi, vel etiam mancipati carceribus, pecuniâ mulctati, aut munere prohibiti sunt. Quæ porrò omnia cum ad Sanctæ Fidei nostræ eversionem tendant, & contra morem, legesque ipsiusmet fœderati Belgii, nullâ quidem necessitate urgente, vel causâ, tententur, optimus Fraternitati Tuæ, ceterisque religiosis Principibus, ac præsertim Sacris Præsulibus locus aperitur benigniorem agendi modum, quem tamdiù experti sumus, ab æquitate Hollandi Regiminis impetrandi, reducendique in Patriam Apostolici Pro-Vicarii, qui eâ potissimùm à Nobis de causâ electus est, quòd Vir probus, amator pacis, probatusque tot annis in Ministerio esset, facilique negotio posset in Magistratuum gratiam restitutus, aut saltem conniventi oculo Muneri suo vacare permissus, dissidia omnia inter Catholicos orta componere, & si cuipiam offensioni fuerit, integrè, ut ratio postulat, satisfacere. Ita ceteris quoque Sacerdotibus, quibus non aliam, quàm toleratam hactenùs in Catholicâ Religione exercendâ libertatem petimus, antiquæ paci restitutis, quieta omnia remanerent, nihilque prosùs Reipublicæ deperiret, quinimò & revocatâ Civium tranquillitate, non parum utilitatis accederet. In id ergo Fraternitatem Tuam pro eximio, quo polles, Sanctæ Fidei zelo, Nobisque etiam obsecundandi studio, totis adnisuram viribus planè con-

fidi-

fidimus, deque operâ, diligentiâque tuâ prosperum, favente Deo, exitum præstolamur; Quare & Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Augusti 1704. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiscopo Trevirensi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Perspectus Nobis Fraternitatis Tuæ pro Religione Orthodoxâ zelus solicitudinem nostram excitat, ut in sublevandis Catholicorum Hollandiæ necessitatibus, quibus ipsa Fidei nostræ ratio periclitatur, operam tuam, studiumque requiramus. Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Sebastenum, olim Apostolicum Missionum Hollandicarum Vicarium, ad hujus Sanctæ Sedis beneplacitum constitutum, justis, gravibusque de causis, ac præcipuè ob non sanam doctrinam, qua plebs incauta paulatim inficiebatur, ab Officio suspendere primùm, ac deinde penitùs removere compulsi fuimus. Quare perditi quidam homines eidem Archiepiscopo nimis addicti, qui sub Catholico nomine impium, & planè schismaticum gerunt animum, quò prædicti Archiepiscopi partes tuerentur, eò se abripi passi sunt, ut nullâ Religionis ratione habitâ, Acatholicos Magistratus impulerint non modò ad Pro-Vicarium Apostolicum à Nobis Sebasteni loco substitutum publico Edicto, nec sinè ignominiâ proscribendum, sed ad plures quoque Pastores vexandos, atque exilio plectendos, qui debito erga hanc Sanctam Sedem obsequio præcellere videbantur. Hæc autem omnia cum & naturali æquitati, & ipsorum etiam Hollandorum consuetudini, ac legibus, quibus ratum sibi semper fore testati sunt, ut spirituali Catholicorum Regimini nullatenus sese immisceant, planè adversentur, atque in apertum Fidei nostræ detrimentum vergant, par omninò est, ut omnium Catholicorum Principum, præcipuè verò Sacrorum Antistitum zelus, ac pietas, eorumque potissimùm, qui apud Hollandos authoritate aliquâ pollent, ingentibus adeò malis avertendis pro viribus allaboret. Quare sicut & alios Apostolicis Literis in id ipsum maximè incendimus, ita Fraternitatem Tuam in primis excitamus, ac vehementer hortamur, quæ nihil planè, aut Episcopo dignius, aut Deo gratius, aut Nobis etiam acceptius præstare poterit, quàm si studiis omnibus, officiisque suis Reipublicæ illius Optimates à novandarum rerum consilio avertat, atque ad pristinam Catholicis sibi subjectis pacem restituendam adducat. Eam verò facilè obtinere possent, si per paucos illos, qui dissidiorum, & contentionum fomitem præstant, verbisque, & scriptis omni impudentiâ refertis Ecclesiam non minùs, quàm Rempublicam turbant, pœnis terrerent, ac Pro-Vicarium nostrum Concivem suum, cui prima, Nobis etiam injungentibus, cura foret Catholicos omnes undique invicem conciliare, & si quempiam offenderit, cumulatissimè satisfacere, Fraternitate Tuâ unà cùm ceteris Principibus intercedente, in gratiam vltrò ipsi reciperent, vel benignâ saltem dissimulatione tolerarent. Age igitur, Venerabilis Frater, Dei causam alacriter suscipe, & ad optatum usque exitum, Deo

faven-

favente, prosequere, immortalem curatæ tot millium Animarum salutis, servatæque Catholicæ Religionis Tibi gloriam comparaturus; & Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Augusti 1704. &c.

ARGUMENTUM

Divinum Cultum in Ecclesia Tornacensi ritè peragi, & Ecclesiasticam Disciplinam ibidem florere gaudet. Electo Coloniensi consilium, quod inierat, erigendi Seminarium in Ecclesiis sibi commissis ad instar eorum, quæ in Tornacensi vigebant, gratulatur, ipsumque ad illud perficiendum hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Optimè intelligere videtur Nobilitas Tua, quid præsertim faciat ad recreandam Pontificiam nostram solicitudinem, cum nihil sanè magis Nos lætificet, quàm ubi audimus in aliqua Ecclesia res sacras magnâ sedulitate, & eâ, qua decet, diligentiâ peragi: quod argumento propè certo esse potest pietatem ibi, Religionemque quammaximè vigere; non enim aliter censendum est de iis, qui diligunt decorem Domus Dei. Gaudium itaque certè ingens percepimus audito accurato studio, quod Nobis significasti impendi in Ecclesia Tornacensi, ut Divinus Cultus ritè in eâ perficiatur, & Ecclesiastica Disciplina in omnibus adamussim servetur. Meritò itaque magnâ animi tui ædificatione ordinem illius Dioecesis suspexisse testaris, & ita probasse disciplinam, ut ex tuâ Coloniensi cogites Alumnos quosdam illuc transmittere, instituendos Ecclesiasticæ vitæ præceptis, & sacrarum literarum doctrinâ imbuendos; quin etiam traducere aliquandò cogitas exemplum adeò salubre fontis excitandi in hortulis Tibi concreditis à magno Patre familias, cum indices id animo tuo insedisse consilium, ut Seminarii erectionem quantocitiùs temporum ratio ferat, ad instar eorum, quæ in Tornacensi Ecclesiâ vigent, apud Te mediteris. Rem feceris planè dignam Pastorali solicitudine, & Sanctorum Patrum monitis, atque spiritui Ecclesiæ conformem. Nosti inter gravissimas curas eorum, qui Ecclesiæ præsunt, eam recenseri, quæ Collegiis hujusmodi Clericorum fundandis, amplificandis, & colendis impenditur, utpotè Seminariis Sacerdotum, & Catholicæ Doctrinæ promptuariis ibi præsertim erigendis, ubi propiùs adsunt, qui ejusdem incrementis invident. Quæ cum à Te maturè perpensa, studiosè optata, & opportunè implenda vehementer probemus, orantes bonorum omnium Authorem, ut qui largitus est velle, donet etiam aliquandò perficere: ita confidimus Dilectos Filios Capitulum, & Canonicos, quorum exemplo post vigilantiam Pastoralem tribuere oportet hujusmodi bonum, datâ occasione à Te certiores redditum iri præsentis gaudii, quo eorumdem labores in Divini agri cultu impensos excepimus; & Nobilitati Tuæ in auspicium felicitatis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ &c. die 26. Augusti 1704. &c.

ARGUMENTUM

Explicatis gravissimis scandalis in Monasterio Monialium S.Claræ de Albaro Civitatis Januensis exortis, tum etiam remediis, quæ Sanctitas sua ad ea è medio tollenda adhibuerat, ac demum nonnullarum Monialium temeritate, & contumaciâ, quæ Episcopi Savonensis Delegati Apostolici Decreta, & censuras contemnere ausæ fuerant: Ducis, & Gubernatorum illius Reipublicæ brachii auxilium exposcit, quatenùs idem Episcopus Delegatus officii sibi commissi partes impigrè obire valeat.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Gubernatoribus Reipublicę Genuensis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Nullum certè majus Pontificiæ nostræ charitatis argumentum Nobilitatibus Vestris præbere posse arbitramur, quàm seriò, ac Paternè Vos commonere de gravissimis scandalis isthic jamdudum exortis, & in dies magis auctis, quæ, etsì credere fas est magnâ ex parte Vobis explorata non fuisse, cùm tamen ejusmodi sint, ut eorum etiam ignoratione, vel neglectu, vigilantiæ, ac pietatis Vestrę nomen, & fama non leviter lædi possit, celerem spectatæ prudentiæ Vestræ opem omni jure requirunt. Certum est enim non sinè magnâ ubique proborum hominum offensione auditum fuisse, quod nonnullæ ex Monialibus Sanctæ Claræ de Albaro istius Civitatis usque adeò à rectâ viâ, atque à proposito, quo se Deo solemniter devoverunt, pravis consiliis incitatæ deflexerint, ut nedum abjecto humilitatis, ac regularis disciplinæ studio, sed neglectâ etiam debitâ obedientiâ erga Nos, atque hanc Sanctam Sedem, sub cujus immediata protectione Monasterium idem, instantibus Vobis ipsis, non ita pridem recepimus, monitis, ac mandatis Venerabilis Fratris Episcopi Savonensis, quem Nos propterea ad ejusdem Monasterii curam, & gubernium cum facultatibus in similibus concedi solitis Authoritate Apostolicâ delegavimus, aures pertinaciter occluserint, ac ad eum subindè cęcitatis gradum devenerint, ut aliam, & quidem saniorem, Monialium partem eidem Episcopo Delegato obsequi paratam variis modis vexare, & à Sacrorum perceptione vi arcere non dubitaverint; ambitum verò ejus, quæ se modò pro Abbatissa gerit, exclusâ alterius electione, ad quam contracto, prout expedire duximus, Eligendarum numero deveniri mandavimus, & Præsidis à Nobis approbatæ deputatione fovere: claustra interim adversùs legitimam Ecclesiæ potestatem, castrorum more tueri; imò etiam de validitate Ecclesiasticarum pœnarum, quas semper vereri oportet, judicium ferre: easque sibi ipsis, earumque adhærentibus, atque fautoribus inflictas parvipendere temerè præsumpserint, interveniente in his omnibus magno, ut patet, Divini nominis, & Ecclesiasticæ authoritatis contemptu, ita ut apud ipsas invaluisse videatur illorum sententia, qui dixerunt: *labia nostra à Nobis sunt: quis noster Dominus est?* Nos nihilominus abundantiâ quadam Apostolicæ charitatis earum infirmitati compatientes, ac Propheticas illas voces sæpè sæpiùs Nobiscum recolentes: *Numquid qui aversus est, non revertetur? nunquid qui dormit, non adiiciet, ut resurgat?* Pastorali mansuetudine devias Oves revocare curavimus; vix enim Nobis persuasum esse poterat, quòd non eas aliquandò suscepti consilii,

& ad-

& admissi criminis pœniteret. Atque id quidem sperandum omninò videbatur à cætu Virginum, quas nedum regularis vitæ professio, sed vel ipsa domestica institutio morum pietate, atque innocentiâ, & omni erga res sacras, Divinasque reverentiâ, & cultu imbuere debuisset. At quoniam occulto Dei judicio factum est, ut nondum veritatis lumen ad ipsarum mentem pervaserit, & in tenebris adhuc miserè versentur: Nos dum iis, quibus oportebit, & in Domino expediet, remediis deterrimum hoc exemplum à conspectu Fidelium auferre pro munere nostro paramus, solicitudinem, quam de æternâ ipsarum salute in manifestum, ac præsens discrimen adductâ gerimus, non dimittimus; ac propereà Nobilitates Vestras non tam hortamur, quàm admonemus, ut æquo animo, & accuratè expendant, num ad dignitatem, existimationemque vestram, num ad Reipublicæ Vestræ salutem, ac bonum pertineat cavere, ne tam grave scandalum ulteriùs protrahatur, per quod justa Dei ira ad ultionem usque magis provocetur. Deliberate Vobiscum, utrùm rebus, ac muneri vestro congruat permittere, quod privatorum quorumdam studia tantùm sibi licentiæ vindicent in liberâ Civitate, ac pietati semper addictâ, ut jura Religionis pro suo libitu in eâ invertere non vereantur. Videte prætereà, num immunes à culpa dici debeant, qui publica mala, cum avertere possint, dissimulatione prætereunt, ac propterea eadem alere meritò dicuntur. Sanè non ambigimus, quin si gravissimi inter Vos Viri æquitate, integritate, ac religione præstantes, cujusmodi sanè Viris cum Republica ista abundet, refertum præsertim esse novimus Magistratum Vestrum, qui Consilium dicitur, momentum rei probè, & intimè inspiciant, optimè intelligant cohibendam esse quamprimùm hujusmodi contumaciam, curandumque esse omninò, ut illi, qui immissa ab inimico homine in electam Dominici Agri partem zizania ausi sunt fovere, statim in ordinem redigantur; Moniales verò, quæ de abysso in abyssum, tanquam cæcorum ductum sequutæ, proruerunt, resipiscant tandem, atque ad cor redeant. Ad quod sanè bonum obtinendum opus est, ut validâ publicæ authoritatis ope, omnique præsidio Episcopus à Nobis delegatus communiatur, quatenùs nullo impedimento detineatur, quominùs partes suas, munusque sibi demandatum obire impigrè valeat, sicque ad propitiandum Deum, & ad quærendam, amplectendamque concordiam delinquentium corda flectantur. Hæc ideò Vobis denunciamus coram Eo, cui Judici viventi rationem aliquando reddituri sumus ovium Domus Israel, quæ fortè culpâ nostrâ perierint (quod Ipse misericorditer avertat) non quia eximi proptereà ab omni curâ, atque cogitatione velimus, cum imò propositum Nobis sit nihil in hac causa prætermittere, quod Officium nostrum à Nobis exposcat, sed quia rectè de Vobis sentientes confidimus Vobis cordi fore, ut ea, qua par est, Divini honoris, & nostræ, hujusque Sanctæ Sedis authoritatis ratione habitâ, res tota demum conficiatur. Nobilitatibus interim Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Augusti 1704. &c.

ARGUMENTUM

Cùm Patriarcha Antiochenus, ejusque Socii ad Sinarum Imperium allegati Pondicherium feliciter appulissent, & Pontifici significassent sese ab Officialibus Regis Christianissimi, cujus Navibus iter confecerant, perhumaniter habitos usquequaque fuisse, Sua Sanctitas obstrictum, memoremque beneficii animum profitetur, & debitas Regi gratias agit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. La generosa protezzione, che la M. V. si degnò d'intraprendere del Patriarca d'Antiochia da Noi spedito alla Cina, e de Missionarii suoi Compagni fin dal principio della loro navigazione, è stata à medesimi sì profittevole, che li hà felicemente condotti à Pondisceri, di dove pienamente ci ragguagliano de cortesi trattamenti, cò quali in tutto il corso del loro viaggio sono stati accompagnati per ordine della M. V. Siamo per tanto in debito di attestarne à V. M., come facciamo con questa lettera di nostro pugno, il nostro più vivo riconoscimento, pregando insieme Dio ad esserle largo rimuneratore di quanto Ella hà fatto, e fà tutto dì con tanto zelo per contribuire ad un'opera sì santa, quale è quella della propagazione della Fede di Giesù Christo. Nello stesso tempo però, in cui rendiamo grazie alla M. V. de favori fatti à nostri Missionarii, siamo astretti di ricorrere à Lei stessa, perche voglia darci la maniera di mostrarci grati à suoi Ufficiali che si bene hanno eseguiti i suoi ordini, e che perciò da Noi vivamente se le raccomandano, come più pienamente le verrà rappresentato dal Vescovo d'Imola Nostro Nunzio, al quale ci rimettiamo. E in tanto diamo alla M. V., e alla sua Real Famiglia con tutta la pienezza del nostro affetto l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 19. Septembris 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

ARGUMENTUM

Incolumem in Italiam reditum Duci Mantuæ gratulatur. Gravissima mala eidem Provinciæ impendentia summoperè dolet, seque ad ea avertenda nihil reliquisse intentatum, omnique studio deinceps adlaboraturum ostendit, ac ut hunc in finem conspirare velit, ipsum Ducem vehementer hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Carolo Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Nobilitatis Tuæ literæ proximum tuum in Italia reditum nunciantes gratæ Nobis admodùm, ac perjucundæ fuerunt, eoque in officio tuam erga Nos, & S. Sedem observantiam planè filialem, cujus argumenta nullo unquam tempore à Te

desi-

desiderari passus es, luculenter agnovimus. Deum itaque Optimum Maximum obsecramus, ut Te cœlestibus benedictionibus prosequatur, & cumulet, ac sospitem, omnique felicitate florentem diù servet. Ceterùm, quæ de malis Italiæ imminentibus in maximâ hac, & sanè luctuosâ Christianæ Reipublicæ perturbatione Nobilitas Tua piè, prudenterque Nos monuit, probè quidem intelligimus, & jamdudum pro Pastoralis Muneris ratione, & Paterni cordis nostri charitate dolemus. Ad ea igitur avertenda, sicuti quidquid in authoritate, consiliis, officiisque nostris situm esse videbatur, diligenter hactenus, & enixè contulimus, ita profectò solicitudines, studiaque nostra deinceps majori, qua possumus, animi contentione impendere non omittemus, ut quatenus atrocissimi belli incendium ubique omninò restingui, & diffidentes Principes ad veram, & Christiano nomine dignam concordiam revocari non possint, quo certè nihil antiquius Nos in votis habere universo jam Christiano Orbi testatum esse confidimus, huic saltem miseræ, ac diù afflictæ Provinciæ optata quies, & tranquillitas restituatur. Nobilitatem quoque Tuam, ut in idipsum conspirare velit, vehementer hortamur: quod si feceris, quemadmodum Te facturum esse spectata pietas, ac prudentia tua Nobis abundè pollicentur, non solùm rem Italico Principe maximè dignam gesseris, & Nobis longè gratissimam; verùm etiam à retributore bonorum operum Deo æternæ remunerationis mercedem, & ab hominibus laudem Tibi maximam comparaveris. Intereà Nos accuratis, assiduisque nostris, ac fidelium populorum precibus, ab Eo, qui cogitare se ait cogitationes pacis, & non afflictionis, flagitare non desinemus, ut Catholicis Principibus æquiora, ac salubriora consilia inspirare dignetur, velitque conatus à Nobis pro Reipublicæ tranquillitate susceptos, ac suscipiendos benè, ac feliciter evenire; Tibique, Dilecte Fili, Nobilis Vir, Pontificiæ benevolentiæ pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 8. Octobris 1704. &c.

ARGUMENTUM

Officia aliàs apud Poloniæ Regem adhibita pro libertate Principum Jacobi, & Constantini Sobieski vehementiori, quàm umquam, studio renovat, nullumque prioribus literis responsum accepisse magnoperè conqueritur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Non possiamo à bastanza spiegare alla M.V. quanto ci sorprenda non solo il non vedere fin' ora alcun frutto delle istanze tante volte da Noi replicatele per la liberazione de Principi Giacomo, e Costantino Sobiescki, mà nè pure aver ricevuta risposta ad una lettera, che fino dal principio di Agosto prossimo passato per la terza volta le scrivemmo di nostro pugno in loro favore, e che le mandammo per un Corriero in quel tempo spedito dal Conte Lagnasco. Quel che però più ci affligge è il considerare, che essendo per una parte à tutti nota la condotta, che abbiamo tenuta, e che teniamo per le convenienze della Mae-

stà

stà Vostra, e per l'altra essendo egualmente noto l'impegno, che abbiamo preso per la libertà de sudetti Principi, chi non ne vede alcun favorevole effetto, potrà molto sospettare della sincerità de nostri uffizii. Quindi può la M. V. giustamente inferire, che il buon successo de medemi uffizii ci preme tanto, quanto ci preme, e deve premere il nostro onore. A questa espressione, che ben sà la M.V. quanto pesi, e quali conseguenze seco porti, è superfluo che ne aggiungiamo altra. E però finiamo dando alla M. V. con tutta la pienezza del nostro Paterno affetto l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 8. Novembris 1704. &c.

ARGUMENTUM

Institutione, & naturâ Quindenniorum luculenter explicatâ, ac ostenso Apostolicæ Sedis Jure illa exigendi etiam ex Beneficiis Regii Patronatus, Portugalliæ Regem paternè commonet, ut ea in suis Regnis exsolvi patiatur, & quæ adversùs Nuncium Pontificium Ulyssippone gesta fuerant ob interdictam, jussu Pontificis, Patribus Societatis Jesu facultatem admittendi ad eorum habitum, ac Institutum, donec ejusmodi Quindennia persolvissent, retractari curet.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, &c. Ambigere videremur de eximiâ Majestatis Tuæ pietate, atque prudentiâ adeò Nobis perspecta, ubi prætermitteremus ea ad Te paternâ charitate perferre, quæ Nobis in præsens occurrunt, cum præsertim certis, comprobatisque rationibus innixa prono de more in veritatem animo, & consuetâ æquitate à Te excipienda esse pro certo habeamus. Quoniam itaque exploratum est Quindennia, quibus ubique obnoxia reperiuntur Beneficia Ecclesiastica, suffecta fuisse in locum Annatarum, Annatas verò subrogatas fuisse decimis, quę ut notum est, ad tuendam Dignitatem, & ad cetera Ecclesiæ universalis onera perferenda, Romano Pontifici Capiti visibili Ecclesiæ ex antiquissimo instituto exsolvebantur, ita ut à decimarum onere nullo unquam Secularis, etiam Regii, aut Ecclesiastici Patronatus titulo, Beneficia immunia haberentur; hinc Prædecessores nostri divino, humanoque juri consentaneum esse duxerunt Quindenniis, quæ naturam, conditionemque decimarum induerant, ipsa etiam Beneficia, quæ Regii Patronatus essent, suis Constitutionibus subiicere, ut propterea tutum Nobis non sit, illæsâ conscientiâ nostrâ, hujusmodi jura Sanctę Sedis tum antiqua, tum canonica, occasione controversiæ à quibusdam isthic nuper excitatæ remittere, munerique nostro, & debito, quo obstricti sumus, hac in parte deesse. Quod verò jura, quæ ex Quindenniis percipiuntur, ad quosdam Curiæ Officiales nunc temporis pertineant, id nullo modo obesse potest primævis, & immediatis titulis, atque rationibus Apostolicæ Sedis, cujus, tanquam Administri, censeri debent præfati Officiales, attento maximè, quod ipsi, eorumque authores exactis temporibus necessaria in rem Christianam, & in Summorum Pontificum tutelam, & decus, præsi-

dia

dia Sanctæ Sedis suffecerint, & modò non levi ex parte Dignitati nostræ suffragentur, ut propterea bonæ fidei ab ipsis habitæ Prædecessoribus nostris, à quibus hujusmodi proventus agnoscunt, respondere omninò debeamus. Id sanè ita persuasum semper fuit ubique, ut omnes Catholici Orbis Nationes veterem in solvendis Quindenniis observantiam inconcusè custodiant, & liquet Lusitaniæ Regna hujusmodi jura exsolvisse usque ad annum millesimum sexcentesimum octuagesimum quintum, neque anteà ab eisdem immunes, aut exemptos se reputasse Religiosos Viros Societatis Jesu, qui modò huic oneri satisfacere detrectant. Quæ cum ita sint, facilè percipere poterit Majestas Tua, quàm gravia Nobis acciderint ea, quæ nuper Ulyssippone acta fuisse intelleximus adversùs Venerabilem Fratrem Michaelem Angelum Archiepiscopum Tarsensem Nuncium apud Te Nostrum ob interdictam, mandantibus Nobis, facultatem ipsis Religiosis Viris Societatis Jesu admittendi ad habitum, recipiendique in eorum Institutum eos, qui admitti peterent, quoad usque memoratis Quindenniis satisfecisse non doceant. Cogimur propterea molestiam nostram, & quidem gravissimam, quam ob illatam Nuncio nostro injuriam percepimus, Tibi aperire, ut eam sarciri, sicuti par est, quamprimùm cures, simulque pro tuo filiali in Nos studio, & constanti in hanc Sanctam Sedem observantia, releves hanc curam nostram, ac intelligas nova à Nobis non induci, sed quæ justis de causis inducta jamdudum fuerunt, servari, dolereque Nos quammaximè, quòd liberum Nobis non sit, integrâ justitiâ, tuis votis annuere; cupimus enim benevolentiam nostram, quatenus rectè possumus, testatam semper facere Majestati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Novembris 1704. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

EPI-

EPISTOLÆ
ET
B R E V I A
SELECTIORA
ANNI MDCCV.



IUDICAVI CAUSAM PAUPERIS ET EGENI.
Hijer. Cap. 22. u. 16.

Eq. Petrus Leo Ghezzius inu. et del. *Petrus Masinj Scul.*

ARGUMENTUM

Cùm Regina Magnæ Britanniæ, quæ pro Fratre Portugalliæ Rege abſente Regnum iſtud adminiſtrabat, conqueritur Mandata quædam ab Eâ prodiiſſe adversùs inibi reſidentem Nuncium Apoſtolicum, propterea quòd juſſu Sanctitatis Suæ Religioſis Viris Societatis Jeſu facultatem admittendi ad habitum ejuſdem Inſtituti ademiſſet, niſi Quindennia per eos Cameræ Apoſtolicæ debita infra quadrimeſtre perſolviſſent, & oſtensâ Pontificiæ juſſionis juſtitiâ, quæ adversùs Nuncium conſtituta fuerant, revocari poſtulat.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Catharinæ Mariæ Magnæ Britanniæ Reginæ Illuſtri Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.



Hariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Quò præclariùs de ſpectatâ pietate, deque ſyncerâ, ac multis argumentis comprobatâ Nobis Majeſtatis Tuæ in hanc Sanctam Sedem devotione ſentimus, eò moleſtiùs accepimus prodiiſſe à Te nuper mandata quædam acerbiora ſanè, quàm à Te fas erat expectare, adversùs Apoſtolicum iſtarum partium Nuncium, propterea quòd ipſe voluntati noſtræ tandem obſecutus facultatem Religioſis Viris Societatis Jeſu admittendi ad habitum ejuſdem Inſtituti ademiſſet, niſi Quindennia per eos debita, & tamdiù dilata intra quatuor menſes exſolviſſent, vel aliàs concordiam deſuper injiſſent; cùm tamen idem Nuncius ſeriùs potiùs, quàm res expoſcebat, juſſis noſtris hac in re obtemperaverit, eaque Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Pe-

tro Portugalliæ Regi germano Fratri Tuo, antequam isthinc proficisceretur, ipsiusque Administris non semel significaverit. Cùm itaque ad Munus nostrum omninò pertineat tueri Jura hujus Sanctæ Sedis, cui hujusmodi Quindennia penduntur loco decimarum, quæ ab omnibus Ecclesiis, ac Beneficiis Capiti Visibili Ecclesiæ curari debent: tenemur profectò iis, quibus opus est, authoritatis nostræ præsidiis eidem Apostolicæ Sedi in prosequendis adversùs contumaces præfatis Juribus adesse. Constat autem æquitati non inniti eos, qui Beneficia quædam eò obtentu, quòd sint de Jurepatronatus Laicali, aut Regio, ab hoc onere subducere contendunt, cum ex dispositione Apostolicarum Constitutionum apertè deprehendatur obnoxia esse Quindenniis Beneficia unita, etiamsi cujuscumque demùm conditionis sint, Patronatus Laicalis, Regii, aut Imperialis. Quod cum ubique locorum pari modo servetur, neque aliter cum aliis Regibus agatur, Paternæ charitati, qua Majestatem Regis Lusitaniæ complectimur, nihil detrahi arbitramur, si eamdem in Regno isto observantiam custodiri curamus: imò propensioris nostræ in eundem Regem voluntatis non leve documentum desumi posse credimus ex eo, quòd circa summam ob non soluta, ut præfertur, Quindennia per eosdem Religiosos Viros Societatis Jesu debitam transigi ex Regis ipsius arbitrio voluimus, neque ab eo, quod Ipse consentaneum esse duxerit, vel minimùm recedi. Quibus omnibus pro tua summâ æquitate probè expensis, confidimus Te nedùm pristinæ tuæ in Apostolicum Nuncium voluntatis, sublatis iis omnibus, quæ eidem obesse videbantur, nova eidem argumenta explicaturam, & muneris, quo fungitur, & summi studii, quo idem Te prosequitur, rationem habituram, sed paraturam etiam media, quibus Apostolicæ Sedis Jùra sarta tecta serventur; quod non parùm faciet ad cumulandam tuam laudem, atque demerendum semper magis Paternum animum nostrum. Majestati interim Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima quarta Januarii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Electum Coloniensem S. R. I. Principem Electorem, ut omni sublatâ cunctatione Sacris Ordinibus initiari curet, paternè, ac vehementer hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Etsi Paternam nostram erga Te charitatem Nobilitati Tuæ satis exploratam esse arbitramur, præcipuum tamen ejus præbere argumentum in præsentia ducimus, cum de conscientiæ tuæ securitate soliciti sumus; quod quidem à Nobis non Tui solùm juvandi studium, sed & ipsa Pastoralis Officii nostri cura videtur exposcere. Jamdiù est, Dilecte Fili, quod pluribus, iisque amplissimis Ecclesiis hujus Sanctæ Sedis beneficio, ac dispensatione præsides, cumque plures jam annos, partim ætatis defectu, partim stabiliendæ priùs in inclytâ Familiâ tuâ successionis intuitu, eâdem indulgente Apostolicâ Sede, Sacris Ordinibus

ini-

initiari distuleris, æquum omninò est, ut, omni jam ulterioris moræ causâ cessante, de implendo quamprimùm Muneris tui debito cogites. Id verò eximia tua in Deum pietas, in Ecclesiæ leges reverentia, in commissos Tibi populos charitas, & benevolentia planè postulant. Nosti siquidem eos, qui in Ecclesia Dei onus Prælationis accipiunt, utpotè in Christianæ perfectionis apice constitutos, arctissimæ cum Deo conjunctionis vinculo, assiduoque Diuinæ gratiæ auxilio ad ritè exercendum animarum regimen, quod verè ars artium dicitur, indigere quàm maximè; hæc porrò omnia sacrorum præcipuè Ordinum virtute præstari solent. Nosti inter Ecclesiæ Antistitum munia, illud in primis nobile, atque præcipuum existimari, quo Episcopus pro credito sibi Dominico Grege Aris frequenter litat, ac Cœleste ipsi præsidium publicis Ecclesiæ precibus, Divinoque potissimùm Sacrificio implorat. *Omnis namque Pontifex* (ut præclarè Apostolus admonet) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro Populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis;* Enim verò si id unquam aliàs, nunc maximè in Tibi commissis Diœcesibus opportunum prorsùs, ac necessarium dicendum est, cum universus Nobilitati Tuæ subjectus populus diuturnis, & quotidiè ingravescentibus immanis belli calamitatibus, undique afflictus, ac penè confectus, quodque deterius est, inevitabili Militum præsertim hæreticorum licentiâ, & scandalis summo in animarum discrimine constitutus, eò jam miseriarum devenisse cernitur, ut suo quodam jure Pastoris preces, ac sacrificia in tot malorum solatium expetere videatur. Quis enim scit, si convertatur, & ignoscat misericors Deus, quique culpis hominum ad flagella compellitur, & peccata populi præcipit Sacerdotum precibus expiari, ex manibus tuis expectet hostiam placationis, ad concedendam tandem creditæ Tibi Christianæ Plebi optatam diù, quam Mundus dare non potest, pacem, & tranquillitatem. Age igitur, Dilecte Fili, Ministerium tuum imple, Deoque per Nos adhortanti promptus obsequere, ut suscepta per sacram manuum impositionem Divini Spiritus Charismata in universum Gregem tuum abundantiùs effundas, ac Nos ipsos, qui bono tuo diligenter intendimus, impensè lætifices. Ut verò, quod vehementer optamus, faciliùs, & expeditiùs perficere valeas, Apostolicas Literas nostras pro ritè suscipiendis à Te Sacris Ordinibus hìc adjungimus; Et Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 10. Februarii 1705. Pontificatus Nostri Anno V.

AR-

ARGUMENTUM

Electorem Palatinum, ut Catholicorum causam adversùs nefaria Marchionis Brandeburgensis consilia strenuè tueatur, pro Pastorali officio excitat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Innotuisse arbitramur, ac molestum accidisse Nobilitati Tuæ Decretum Marchionis Brandeburgensis, quo palàm professus est velle se vicem reddere Principibus Catholicis pro gravaminibus per eos, ut asserit, illatis professoribus illius Sectæ, cui temerè nomen Evangelicæ tribuitur, ipseque Marchio in primis adhæret, atque opitulatur, ac propterea se pariformiter acturum cum Catholicis, præsertim iis, qui sunt ex utroque Clero in Ducatu Magdeburgensi, ac Principatu Halberstadiensi, nisi in Conventu Ratisbonensi, ubi res in deliberatione versatur, eorundem Sectariorum indemnitati consulatur. Quantâ iniquitate prolatæ sint hujusmodi minæ adversùs innoxios: quantâ etiam audaciâ erga Catholicos Principes, per se satis liquet. Cogimur proinde Te, quem zelo pro Orthodoxâ Religione fervere novimus, & cujus etiam honor ea in re agitur, hortari, ut Catholicorum tutelam strenuè suscipias, eorumque causam fortiter asseras, neque pari eos lance cum Hæreticis pensari patiaris. Quod Deo acceptum, Nobisque perjucundum erit, qui optamus Te semper magis benemereri de Ecclesiâ Dei. Interim verò benevolentiæ nostræ pignus Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ quartâ Februarii 1705. Pontificatus Nostri Anno V.

IDEM ARGVMENTVM

Dilecto Filio Nostro, Joanni Philippo Tituli S. Silvestri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Valido, ac celeri præstantis tui zeli, atque authoritatis præsidio opus est pro defensione Catholicorum, qui in Ducatu Magdeburgensi, & in Principatu Halberstadiensi subsunt Marchioni Brandeburgensi; nam cum idem Marchio fortè metuens, ne à Conventu Ratisbonensi ea obtinere non possit, quæ favore eorum, qui in variis partibus, ac potissimùm in Palatinatu, in Hungariâ, ac in Silesiâ Sectæ falsò, ac impiè Evangelicæ nuncupatæ adhærent, minis rem urgere non est veritus, & Decreto nuper edito denuntiavit se duriùs acturum in Catholicos, qui in suis Ditionibus agunt, nisi, qualem optat, suarum petitionum exitum

in eodem Conventu sortiatur. Et si autem rei momentum, & eorum Fidelium, præsertim verò Cleri tam secularis, quàm regularis periculum per se satis esse arbitremur, ut tuus fervor, quemadmodum certè solet, in fovendis, atque tutandis Catholicorum partibus incendatur; in tanto tamen discrimine sinè solicitudine esse non possumus, nec facere, quin stimulos Tibi ultrò currenti admoveamus, quatenùs strenuè obsistas hujusmodi conatibus, ne audaciori tutelæ melior causa cedere cogatur; quod non eventurum esse confidimus sub auspiciis spectatæ tuæ pietatis, atque prudentiæ, quibus hoc negotium cupimus esse in primis commendatum. Interim verò benevolentiæ nostræ pignus Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Februarii 1705. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Christiano Augusto Episcopo Jaurinensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Notum esse Fraternitati Tuæ arbitramur non ita pridem prodiisse Decretum quoddam à Marchione Brandeburgensi, quo indicit Catholicis, Cleri præsertim secularis, ac regularis, in Ducatu Magdeburgensi, ac in Principatu Halberstadiensi existentibus sumpturum se pœnas de ipsis, nisi gravamina, quibus obnoxii sunt Professores Sectæ, ut temerè vocant, Evangelicæ in variis Catholicorum Principum Ditionibus, potissimùm verò in Palatinatu, in Hungariâ, atque in Silesiâ, per Conventum Ratisbonensem quamprimùm removeantur. Solicitos Nos vehementer habet illorum Fidelium periculum, quibus præsidium quærere peroptantes, deque tuâ egregiâ voluntate in his, quæ ad salutem, ac bonum Catholicæ Religionis pertinent, magnoperè confisi, cupimus, ut quo ferves zelo, & quâ polles, authoritate expedias media, ineasque rationes, quibus indemnitati præfatorum Catholicorum consulatur. Quâ in re Paternæ nostræ charitati magnum levamem afferes, & præcipuum apud Deum meritum Tibi comparabis, Venerabilis Frater, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Februarii 1705. Pontificatus Nostri Anno V.

ARGUMENTUM

Episcopum Jaurinensem Cæsareæ Majestatis Consiliarium admonet, ne publicum Sectæ Protestantis exercitium (quod Acatholici moliebantur) Rhenobergam invehi, ac institui patiatur.

Venerabili Fratri Christiano Augusto Episcopo Jaurinensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Grave profectò, ac injurium esset Catholicæ Religioni, & rectè in ea sentientibus, si, quod ab Hæreticis modò attentari dicitur, publicum Sectæ protestantis exercitium inveheretur Rhenobergam; ubi enim id contingeret, vires, atque

animos ad majora in dies audenda ſumerent hoſtes Eccleſiæ, & error ipſe uſque magis invaleſceret, quem publica authoritas fovere videretur. Quod cum optimè omnium intelligat Fraternitas Tua, non laboramus in explicando, quanti interſit hoc periculum avertere, ſed potiùs teſtamur magnam eſſe ſolicitudinem, quam eâ re auditâ animo concepimus, à quâ quidem eximi tuâ ope, atque authoritate peroptamus. Pro tuo itaque ſingulari in Nos ſtudio, imò pro eximio tuo in Fidem orthodoxam zelo, ad compeſcendos hos auſus omnia tua ſtudia, atque conſilia converte, certus Te cumulaturum tuum meritum apud Deum, & Pontificiam Noſtram benevolentiam uberiùs Tibi conciliaturum eſſe. Nos interim Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decima quarta Februarii 1705. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quàm anxii, ac ſoliciti ſimus, dùm Hæreticorum audaciam vires, animoſque ſumere ex iniquâ temporum conditione conſpicimus, coniicere facilè poterit Fraternitas Tua, quæ de Apoſtolicâ noſtrâ charitate probè ſentire non uno teſtimonio Nobis explicavit. Et ſanè Officii noſtri videremur immemores, ubi intimè non commoveremur ob grave ſcandalum nuper admiſſum in Civitate Rhenobergæ, in qua Sectæ proteſtantis Profeſſores exercitiis ſuis palàm dare operam cœperunt, nec veriti ſunt in eum ſcopum Catholicorum Eccleſias occupare non obſcuro argumento, quòd publicâ authoritate foveantur. Quæ non ob id ſolùm Tibi explicamus, ut ſolatium aliquod dolori noſtro ex ſtudioſa tuâ in Nos voluntate quæramus, ſed ut, qui plurimùm de ſpectato tuo zelo pro Catholicâ Religione ſperamus, præſidium à Te, quale poſtulat diſcrimen ſpirituale illius Populi, aſſequamur, cum certè nullum majus obſequii in Deum, & egregiæ in Eccleſiam, atque in hanc Sanctam Sedem voluntatis documentum præſtare poſſis, quàm ſi Hæreticos inde regredi, quò temerè progreſſi ſunt, tuâ authoritate compellas. Quod ut Tibi feliciter contingat, vehementer optamus, & in læti eventus auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 18. Februarii 1705. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Io. Philippo Tituli S. Silvestri in Capite Presbytero, S.R.E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Ecce, quod verebamur, accidit Nobis. Hæretici suæ Sectæ exercitia publicè habent Rhenobergæ magnâ Ecclesiæ Dei, & proborum hominum injuriâ. Vulnus hoc Catholicæ Religioni inflictum usque ad præcordia Apostolicæ nostræ charitatis pervasit; dolemus enim in ea tempora incidisse, in quibus hæretica pravitas tantis communiatur præsidiis, ut prosperum rerum suarum exitum sibi facilè polliceri possit, quoties cum Fidelium viribus, atque authoritate congreditur. Non ambigimus quin pro spectato tuo in Catholicam Religionem zelo gravis Tibi, ac præter modum molesta hæc ipsorum victoria contigerit, sed eximiæ tuæ virtutis est non propterea Dei causam deserere, sed imò nunc maximè obniti, ne eodem vestigio consistant Hæretici, unde postmodùm vix possent expelli, cum scilicet eum locum, quasi consentientibus Catholicis, & quodam veluti jure sibi ipsis asseruissent. Credimus non multâ opus esse hortatione ad incendendum eâ in re animum tuum; sed tamen Tibi perspectum esse volumus enixè à Nobis optari, ut hoc Catholicæ Religionis detrimentum iis, quibus oportet, mediis quamprimùm farciatur, & gratissimum Nobis fore, si hoc tuo potissimùm studio, atque authoritate obtineatur, Dilecte Fili Noster, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. 18. Februarii 1705. &c.

ARGUMENTUM

Regem Persarum, quòd amicitiam cum Christianis Principibus fovere cupiat, & Apostolicos Missionarios in suâ Ditione benignè habeat, multis prosequitur laudibus. Ipsi deindè commendat Episcopum Aspahamensem illùc ab Urbe redeuntem, per quem nonnulla munuscula in argumentum Pontificiæ benevolentiæ ad eumdem Regem mittit.

Illustri, ac Potentissimo Regi Persarum Sciah Sultan Haussein.

CLEMENS P.P. XI.

ILlustris, ac Potentissime Rex, salutem, & lumen Divinæ Gratiæ. Literas, quas Celsitudo Tua ad fel. record. Innocentium Duodecimum Prædecessorem nostrum, summâ amoris, ac egregiæ tuæ voluntatis erga Romani Pontificis Nomen, ac Dignitatem significatione refertas, atque cumulatas rescripserat, Nos, qui in ejusdem locum, nullis licèt meritis nostris, sed Dei ordinatione post Ipsius decessum suffecti sumus, magnâ animi nostri gratulatione excepimus, & fideliter Nobis explicari curavimus.

Ex ipsis itaque agnovimus, quibus humanitatis officiis intuitu præfati Prædecessoris nostri prosecutus sis bo. me. Petrum Paulum olim Archiepiscopum Anegranum, cui Te favorabilem præbuisse testaris in iis omnibus, quæ a Te Pontificio nomine expostulavit; neque interim illi admodùm laborandum fuisse, ut ad constabiliendas semper magis amicitias, animorumque societatem, & conjunctionem, quæ Tibi cum Christianis Principibus, ac Regibus intercedit, Te hortaretur, cum id maximè omnium velis, cupiasque præsertim supremi Ecclesiæ Universalis Antistitis benevolentiam demereri, ac excolere. Quæ tua recta voluntas, & animi magnitudo, atque in Christianos omnes perpensio grata præter modum Nobis accidit; sicuti enim videmus quanti Christianæ Reipublicæ intersit Te Regem dignitate, potentiâ, opibus, Regnorum amplitudine, ac Populorum numero inter ceteros Terrarum Orbis Principes sanè præstantem cum eadem Republicâ, & cum iis, qui præcipuum in eâ locum obtinent, voluntate conjungi, & peculiare studium erga Beati Petri Successores fovere, ita magnum tuæ gloriæ incrementum in in eo situm esse arbitramur, ut ultra ipsos latè patentes Persici Regni fines tui Nominis fama protendatur, & ab exteris Nationibus, dissitisque Populis jure etiam fœderis libentissimè suscipiatur, atque laudibus efferatur. Quod ad Nos attinet, persuasum Tibi esse volumus Nos mutuam, & omninò propensam voluntatem erga Te gerere, nihilque tam cupere, quàm ut Author bonorum omnium Deus munerum suorum largitate Te repleat, & apprehensâ dexterâ tuâ Te per semitas Justitiæ ad solidam, perpetuamque felicitatem deducat; Perspectæ enim Nobis sunt, & multorum testimonio comprobatæ eximiæ animi Tui dotes, præsertim verò juncta cum summa prudentiâ æquitas illa verè Regia, per quam intelligis oportere, ut Christifideles, qui tuas Ditiones incolunt, aut adeunt, tutelâ authoritatis tuæ perfruantur, quatenus vis nulla, aut molestia eisdem palàm, vel occultè inferatur; quod ut diligenter cures, & validè efficias etiam, atque etiam à Te petimus. Perferet autem ad Celsitudinem Tuam has nostras Literas Venerabilis Frater Elias Episcopus Aspahami Præsul Nobis valdè ob fidem, doctrinam, ac pietatem, quibus inter paucos præditus est, probatus, atque commendatus, qui sicut non semel Nobiscum splendidè, ut decet, de Te locutus est, ita relatorem Tibi, ac testem fore confidimus, quo fervore Apostolicæ charitatis vera Tibi bona à Deo jugiter apprecemur. Opportunum verò esse duximus eumdem ad suam residentiam in præsens remittere, ut ibidem in omnibus, quæ ad istorum Christianorum salutem, indemnitatem, & commodum spectant, permanenter adsit, suamque præterea Nobis operam impendat in exequendis mutuæ inter Nos benevolentiæ officiis, ac in negotiis, quæ isthic Nobis occurrent, pertractandis. Cupimus propterea, ut præfato Episcopo similia acturo fides habeatur, tùm etiam Christiani, qui spirituali ipsius directioni commissi sunt, Regiâ tuâ protectione continenter gaudeant, eosque proinde iteratò Tibi, & enixè commendamus: quos tamen per eumdem Episcopum monitos volumus, ut, salvâ in Deum fide, caveant ne ab obsequio, & obedientiâ authoritati tuæ debitâ vel minimùm quidem recedant. Munuscula quædam exoticâ potiùs raritate, quàm pretio suo ęstimanda, hac occasione ad Te deferri mandamus, quæ ut, pensato unicè amore nostro, à quo proficiscuntur, libenter excipias, optamus, & incolumitatem diuturnam, ac in primis lumen Divinæ Gratiæ Celsitudini Tuę ex animo auspicamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octava Februarii 1705. Pont. Nostri Anno Quinto.

AR-

ARGUMENTUM

Venetæ Reipublicæ patrocinium, ac officia apud Regem Persarum flagitat pro Episcopo Aspahamensi, & Catholicis in Persico Regno degentibus, quos Etherodoxi, præsertim Armeni, illic acriter insectabantur.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, salutem &c. Commissi Nobis Officii cura, Divinique honoris zelo compellimur Nobilitates Vestras in partem solicitudinis nostræ vocare, & excitare ad ea, quæ cum ad Catholicæ Religionis tutelam, & conservationem pertineant, Vobis etiam magnoperè cordi futura pro vetere, atque perspectâ, & planè eximiâ inclytæ Reipublicæ vestræ pietate minimè dubitamus. Non ita pridem Venerabilis Frater Elias Episcopus Aspahamensis ad Urbem profectus certiores Nos fecit ab Etherodoxis, præsertim Armenis, in Persico Regno degentibus Catholicos Aspahamensis Ecclesiæ adeò indignè vexari, ut tum illis, tum ceteris omnibus, qui orthodoxam Fidem in illis Partibus susceperunt, grave admodùm periculum, vel potiùs exitium immineat, nisi opportunis remediis nequissimorum hominum audacia comprimatur. Molesto sanè animo audivimus damnis, quæ sub oculis ferè nostris ab Hæresi Catholica Ecclesia patitur, etiam ea, quæ in remotis illis regionibus accipit, cumulari, eumdemque Venerabilem Fratrem Paternâ charitate complexi supra vires etiam, ac temporum, in quibus versamur, acerbitatem juvimus, & præstò illi fuimus; Nostris insuper ad Persarum Regem datis literis majorem in modum ab eo flagitavimus ut nefarios Catholici nominis hostes compescere, ipsumque Antistitem, & Catholicos omnes benignè fovere, atque tutari velit. Cùm autem planè incerti simus, quid Nobis rogantibus ab infideli Principe sperandum sit, quamvis ille propensæ admodùm erga Nos voluntatis argumenta præbuerit, ad Nobilitates propterea Vestras, quarum magna per Orientem authoritas, nec minor est Fidei zelus, voces, & vota nostra convertimus, enixè à Vobis in Domino postulantes, ut antedicto Episcopo ea omnia officia, & auxilia, quibus plurimùm ille confidit, liberaliter exhibeatis, quæ tum sublevandæ, tum etiam ab injuriâ in posterùm prohibendæ Ecclesiæ suæ opportuna fore duxeritis. Id autem tametsi Vos pro spectato, accensoque vestro in Religionem, divinumque cultum studio spontè vestra facturos esse minimè vereamur; nihilominus Paternam hanc nostram cohortationem adjungendam putavimus, ut intelligatis nihil eâ re Deo acceptius, nihil etiam Nobis optatius, nihil demum Vobismetipsis accidere posse honestius, aut gloriosius. Et Nobilitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Februarii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Quæ de Aspahamensis Ecclesiæ statu sanè luctuoso, ac nefariis Hæreticorum, præcipuè verò Armenorum, conatibus ad orthodoxam Religionem in Perside penitus subvertendam, Nobis pridem renunciavit Venerabilis Frater Elias Episcopus Aspahamensis, magnam profectò, ut par erat, in animum nostrum solicitudinem induxerunt. Illi propterea ea omnia subsidia, ac officia, quæ reparandis Fidei damnis, reique Christianæ in illis Partibus conservandæ, augendæque consentanea visa sunt, quantùm præsentium temporum calamitas tulit, benignè tribuimus, cumque modò ad Ecclesiam suam revertentem Persarum Regi, cujus literas dudum ipse Nobis attulerat, amantissimè commendavimus. Cùm autem idem Venerabilis Frater plurimam fiduciam, & jure quidem optimo, in Nobilitatis Tuæ pietate repositam habeat, etiam, atque etiam à Te petimus, ut eum ad Te venientem, pro insitâ Tibi humanitate, suscipias, Illique ea omnia libenter præstes, quæ spectatâ prudentiâ tuâ tùm eidem Antistiti, tùm Catholicis in eâ regione versantibus profutura cognoverit: sperantes nostrâ causâ eò studiosiùs, & effusiùs Te facturum, quod solius etiam Religionis amore, & charitatis stimulo certè fecisses. Et Apostolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octavâ Februarii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Nuper ad Nos retulit non sinè gravi animi nostri perturbatione Venerabilis Frater Elias Episcopus Aspahamensis de infelici prorsùs, atque ærumnoso Ecclesiæ suæ statu, quam Hæretici, præsertim Armeni nequissimi homines, ita exagitant, ut Catholica Religio non apud Aspahamenses tantùm, sed apud Persas etiam omnes in discrimen adducta sit. Nos itaque pro eâ, quam gerimus, omnium Ecclesiarum solicitudine, Fidei damnis, quantùm Nobis licet, ubique reparandis intenti, eidem Episcopo ad regimen Gregis sui redeunti ea subsidia contulimus, quæ præsentium temporum conditio permisit, datis etiam ad Regem Persarum literis nostris, quibus tùm Aspahamensem Ecclesiam, tùm ejus Antistitem Illi summoperè commendavimus. Verùm cum Muneris nostri esse intelligamus nullum omninò prætermittere officium, quod antedicti Episcopi, vel Ovium illi commissarum rationibus conducere posse

videatur, rogamus Majeſtatem Tuam, ut ipſum Venerabilem Fratrem ad Te venientem libenter excipere, omnique ſtudio fovere velis, ea illi omnia benignè tribuendo, quæ ab authoritate tua poterunt proficiſci. Spectatæ jamdudum, ac planè inſitæ Majeſtati Tuæ pietati plurimùm ille confidit: Nos verò, qui probè novimus quàm eximius ſit tuus conſervandæ, promovendæque Religionis amor, & zelus, quod ultrò facturus eſſes, eò etiam propenſiùs, & efficaciùs noſtræ commendationis intuitu præſtiturum Te fore non dubitamus, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter: Majeſtatique Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die decimâ octava Februarii 1705. Pontificatus Noſtri Anno V.

ARGUMENTUM

Gravem ægritudinem, qua Rex Portugalliæ conflictabatur, paternè dolet, & quæ in ſcopum illi exorandæ à Deo ſpiritualis, ac temporalis ſalutis egerat, Majeſtati Suæ ſignificat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Convaluiſſe Divinâ ope Majeſtatem Tuam ſperamus à gravi ægritudine, quâ eam detineri ex poſtremis iſtarum partium literis non ſinè ingenti cordis noſtri curâ, atque dolore, percepimus. Et ſanè par fuit Nos intimè commoveri in diſcrimine tuæ ſalutis, qui præter Paternam noſtram in Te benevolentiam, eximias etiam virtutes, & præclara in Dei Eccleſiam, atque in orthodoxam Religionem promerita, quibus Tu non ſecus, ac Majores tui inclyti Reges, inſigniris, probè novimus, quique nunquam immemores erimus ſingularis illius erga Nos ſtudii, quod ut ſæpè Nobis explicatum, tunc maximè declaraſti, cùm admonitus periculi, quod Nobis, atque Urbi terræmotu non ſemel concuſſæ impendebat, ſupernam opem omnibus pietatis officiis comparare Nobis, atque huic fideli Populo non prætermiſiſti. Quam quidem ſpectatam animi tui religionem hac etiam occaſione adverſæ tuæ valetudinis præclarè enituiſſe compertum habemus ex his, quæ Nobis ſignificari curavit Venerabilis Frater Michael Angelus Archiepiſcopus Tarſenſis, Nuncius apud Te noſter, diſertè teſtatus Te in quærendis ſpiritualibus præſidiis, atque in edendis Chriſtianæ charitatis, & humilitatis argumentis magnum omnibus ſolidæ virtutis ſpecimen, & exemplum præbuiſſe. Nos itaque his auditis ſoliciti Tibi adeſſe, hoſtiam ſalutarem pro Te ad Altare ſtatim obtulimus, nec omiſimus piorum preces in ſcopum exorandæ Tibi à Deo ſpiritualis quidem in primis, tùm etiam temporalis ſalutis, adhibere; mox etiam ante Aras, ubi propoſitus erat venerationi Fidelium Euchariſticus Panis, procubuimus, ab Eo, qui dat ſalutem Regibus, enixè expetentes, ut Tibi propitiari vellet, quę eò Tibi dicimus, ut Nobis incolumitatem tuam vehementer cordi eſſe intelligas, quamvis id Tibi omninò perſuaſum, imò exploratum eſſe non ambigamus, Chariſſime Fili Noſter, cui in auſpicium bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 21. Februarii 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Imperatorem admonet nullo modo ferendos esse Hæreticos damnatæ eorum Sectæ exercitiis in Civitate Rhenobergæ palàm operam dantes, ac hæresis virus disseminare conantes, Eumque, ut gravissimo huic malo quantociùs fortiter occurrat, enixè hortatur.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Leopoldo Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Si in tanta injuriâ, quanta profectò illata est nuper Catholico nomini in Civitate Rhenobergæ, desiderari pateremur Apostolicæ nostræ charitatis officium, aut prætermitteremus excitare eximiam pietatem Majestatis Tuæ ad ferendam opem orthodoxæ Religioni usque adeò ibi neglectæ, atque contemptæ: Muneris nostri partibus non satis respondere videremur, nec qualem debemus curam, atque solicitudinem Dominici Gregis custodiæ impenderemus. Allatum itaque ad Nos est Hæreticos nonnullorum potentiâ, ac viribus fretos in tantam audaciam in eâ Civitate devenisse, ut præcipuâ Catholicorum Ecclesiâ occupatâ, ibi, tanquam in loco publicâ authoritate sibi constituto, ministeriis damnatæ suæ Sectæ palàm dare operam, & hæreticæ pravitatis zizania disseminare non vereantur. Quod sanè scandalum ejusmodi est, ut nemo, qui cum Deo verè sapiat, existimaturus sit posse illud absque periculo conscientiæ ferri eo obtentu, ne deteriora in tantâ rerum perturbatione contingant, cum nihil deterius excogitari possit, quàm quòd veritas errori tam manifestò cedere cogatur. Imò verò moram non patitur vis ingruentis morbi, cui nisi celeri, validoque remedio occurratur, ac nisi Hæretici ipsi arctentur quamprimùm indè abscedere, ubi sedem dudum, atque suæ impietatis veluti castra posuere, jure timendum est, ne postquam ibi diutiùs hæserint, ad eos indè avellendos labores omnes, atque consilia frustrà postmodùm adhibeantur. Cavere itaque debet Majestas Tua, ne id aliquandò magnam molestiam inferre possit conscientiæ suæ ob spirituale periculum, in quo constituti sunt illarum partium Fideles, ac idcirco ad Eandem pertinet Omnipotentis Dei causam adversùs ipsius hostes, posthabitâ quavis humanâ ratione, strenuè asserere, atque insignis constantiæ, ac zeli argumentum dignum veteri, ac spectatâ suâ virtute hac etiam occasione exhibere, repositâ in Eo spe, qui non deserit se sustinentes; dum Nos in optati exitus auspicium, & in perpetuæ nostræ benevolentiæ pignus, Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die vigesimâ octavâ Februarii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Non ambigimus, quin Fraternitati Tuæ, quâ eſt pietate, ac zelo, permoleſtum acciderit Hæreticos vi, ac dolo obtinuiſſe, ut exercitia Sectæ proteſtantis publicè habeantur in Civitate Rhenobergæ. Quæ ſanè Catholicæ Religionis injuria quanto Nos item dolore affecerit, vix explicare poſſumus, ac de eâ ſarciendâ ſoliciti ſpem magnam in præſtantiâ tuæ Dignitatis, & in pondere tuæ authoritatis conſtituimus, rati ſatis eſſe Tibi commemorare Dei honorem hìc agi, ut charitas tua incendatur, & ad evertendum hujuſmodi ſcandalum ſtudia, atque conſilia ſua ſeriò convertat; Neque tamen prætereundum Nobis eſſe ducimus novas in dies ab Hæreticis inſidias, ac majora Fidelibus orthodoxis affutura pericula, niſi huic malo tum citò, tum ſtrenuè occurratur. Quantum de ſpectatâ tuâ virtute Nobis polliceamur, ex ipsâ rei, quàm Tibi commendamus, gravitate expendet Fraternitas Tua, cui benevolentiæ noſtræ pignus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Februarii 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Chriſtiano Auguſto, Epiſcopo Jaurinenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Explicavimus ſuperioribus literis Fraternitati Tuæ magnitudinem noſtræ ſolicitudinis ortam tum quidem ex metu, ne ad id demum pervenirent Hæretici, in quod totis propè viribus niti dicebantur, ut ſcilicet permitteretur ipſis ſuæ Sectæ cæremonias publicè peragere Rhenobergæ, cum tamen conſideremus ipſos nequaquam id aſſecuturos, neque defuturos pios, proboſque Catholicos, qui pravis eorum conatibus fortiter obſiſterent. At verò nunc, quando non tam dubio tanti periculi timore angimur, ſed certo teſtimonio admonemur eos votorum ſuorum compotes effectos ſedem in ea Civitate ita fixiſſe, ut in conſtituto loco ſuis exercitiis palàm vacent, conciones ad Populum habeant, & in Templum Dei, hoc eſt in Catholicorum Eccleſias, ſuam abominationem invehant, incredibile eſt quàm intimè ob grave hujuſmodi malum excruciemur. A quâ ingenti curâ cordi noſtro infixâ nunquam profectò eximemur, niſi ab eis, ad quos propter dignitatem, atque authoritatem pertinet, omnia ſtudia ſeriò impendi viderimus, ut ſcandalum hujuſmodi de medio Fidelium tollatur. Singularis charitas, qua Te proſequimur, jubet Nos de tuâ præſertim charitate, & zelo lætum deſiderii noſtri exitum ſperare, ac præclaram opem de Te Nobis polliceri: Propterea etiam, atque etiam à Te petimus,

ut

ut cures ipsos Hæreticos in ordinem redigi, itaut gloriari non possint egisse de orthodoxa Fide in ea Civitate triumphum. Commendatissimam Tibi esse hanc cupimus Divini honoris causam, & Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigesimâ octavâ Februarii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Nemo Vestrum non videt quanti conscientiæ vestræ, & vestri nominis intersit, ne exercitia hæreticæ Sectæ publicè habeantur in Civitate Rhenobergæ; ubi enim hujusmodi scandalum invitis Vobis contingere dicatur, non parùm dignitas, & authoritas vestra læditur; ubi verò suspicari quis possit non dissentientibus Vobis id evenisse, magnam, ac sanè intolerabilem censuram apud probos homines pietas vestra videretur incurrere. Accedit spirituale illius Populi periculum, quod vix evitari videtur admissâ Hæreticorum consuetudine, cui quidem malo tum celeriter, tum validè occurrendum est, nisi quis judicet minori diligentiâ opus esse in avertendo animarum, quàm corporum, discrimine, cùm certè exploratum sit nihil intentatum relinqui, ut initia appropinquantis, ac ingruentis pestis obruantur. Etsi autem Nobis rectè sentientibus de zelo, quem pro Catholicâ Religione fovetis, persuasum sit magnam Vos percepisse molestiam ex tam nefariis Hæreticorum ausibus; quia tamen præstat, ut dolor, & sensus vester palàm eniteat, ac utiliter proferatur, seriò Vos admonemus, ut iis, quibus dabitur, mediis saluti, atque incolumitati Catholicæ Religionis adversùs hujusmodi conatus quantociùs prospiciatis; dum Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Februarii 1705. &c.

ARGUMENTUM

Jus visitandi Parochiales Ecclesias Regularibus subjectas in his, quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem pertinent, Episcopis competere decernit; Archiepiscopum tamen Manilanum, & reliquos illarum partium Episcopos, ut Religiosos Viros ibidem cum ipsis in Evangelio collaborantes congruâ charitate prosequantur, ac in domo Dei ambulent cum consensu, paternè adhortatur.

Venerabili Fratri, Archiepiscopo Manilæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Intelliget Fraternitas Tua ex alio Diplomate, quod expediri, atque transmitti ad Te curavimus, Nos in dirimendâ controversiâ in istis partibus oborta circa Jus visitandi quasdam Parochiales Ecclesias, seu, ut vocant, Doctrinas, quarum

Cu-

Cura Regularibus diverſorum Ordinum commiſſa eſt, juſtitiæ quidem in primis, tùm etiam petitionum tuarum rationem habuiſſe. Præhabito enim per nonnullos S.R.E. Cardinales, quibus eamdem cauſam expendendam demandavimus, maturo, ac diligenti rei examine, decrevimus jus viſitandi eaſdem Eccleſias in his, quæ ad Curam animarum, & ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, Epiſcopis competere, prout in eodem noſtro Diplomate, cui alia etiam, ne ullum propterea ſpirituale detrimentum illis Populis contingeret, adjecimus, fuſiùs continetur. Confidimus autem hoc noſtræ Pontificiæ ſolicitudinis documentum Tibi, ac ceteris iſtarum partium Epiſcopis ob aſſertam in eo, ut decebat, Ordinis veſtri authoritatem gratum fore, ac proprereà de mutuâ veſtra erga Nos voluntate, atque obſervantiâ plurimùm Nobis in Domino polliciti, hortamur Vos omnes, ut alacriùs pergatis paſcere, qui in Vobis eſt, Gregem Dei, juxtà monitum Principis Apoſtolorum, non ut dominantes in Cleris, ſed forma facti Gregis ex animo, utque explicetis in dies magis charitatem, quâ Religioſos Viros pro Chriſtianâ Fide tùm continendâ, tùm amplificandâ in eiſdem Eccleſiis laborantes proſequi conſuevistis, quatenùs ipſi majori ſemper zelo incenſi muneri ſuo vacent, & Vobiſcum ambulent in Domo Dei cum conſenſu. Sanè ubi Epiſcopi ſeriò advertant ſe à ſupremo Patre familias conſtitutos eſſe Cuſtodes ejus Vineæ, cujus fructum ex ipſorum manibus idem Dominus aliquandò repoſcet, probè agnoſcent, quàm ſibi expediat omni pietatis, & amoris officio complecti Operarios pondus diei, & æſtus portantes, & Cuſtodum curas ita ſuo ſtudio, atque labore relevantes, ut magnam illarum partem in ſe ſuſcipiant, ac perferant, cùm tamen metuendum eſſet, ne eorum fervor pro humanâ infirmitate tepeſceret, ubi aſperiorem, quàm res expoſceret, in ſe quandoque experirentur Epiſcoporum manum, præſertim Eccleſiæ armis, quæ nonniſi urgente neceſſitate tractanda ſunt, communitam. Ceterùm quod ad ipſam Viſitationem attinet, quoties contingat eam propter locorum diſtantiam ab Epiſcopis perſonaliter perfici non poſſe, cura per eos ſanè maxima adhibenda eſt in deligendis ex Clero Viris morum integritate, & doctrinâ, nec non pietate præſtantibus, qui in obeundo hoc munere vigilantiam Præſulum non tam ſuâ ſedulitate ſuppleant, quàm ſuâ virtute commendent. Etſi autem pro certo habeamus Te, ac reliquos Antiſtites ſtimulis eâ in re non egere, cum de veſtrâ pietate, ac prudentiâ, & de ſyncera in eos, qui Vobiſcum in Evangelio collaborant, charitate rectè profectò ſentiamus, nihilominus currentibus ſtimulum addimus, & propoſitum veſtrum urgemus, & quemadmodum ex ſolicitudine, quam pro tuenda veſtra Dignitate oſtendimus, ita ex eâ, quam de gregis Vobis commiſſi ſalute, atque incremento teſtamur, magnitudinem noſtrę in Vos benevolentię agnoſcatis, dum in bonorum omnium auſpicium, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimanona Martii 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Zelum, ac pietatem Cardinalis à Kolonitz, qui Græcorum Schiſmaticorum reconciliationem Eccleſiæ Romanæ in Hungariâ, & alibi ſedulò curabat, magnoperè commendat; diſpenſare tamen cum Miſſionariis latini ritus, ut poſſint Sacra græco ritu, quando neceſſitas tulerit, peragere, retentâ libertate ad ritum latinum, ceſſante hujuſmodi neceſſitate, redeundi, conſtanter abnuit; quòd id veteri Catholicæ Eccleſiæ diſciplinæ, Generalium Conciliorum Decretis, & inconcuſsæ obſervantiæ maximè adverſetur.

Dilecto Filio Noſtro, Leopoldo Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbytero, S. R. E. Cardinali à Kolonitz nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Ubi plurimis, iiſque prçclaris documentis compertum Nobis non eſſet ſedulam, ac diligentem operam à Te pro eximio tuo Divini honoris zelo in promovendis Catholicæ Religionis incrementis continenter impendi, ſatis id ipſum liqueret ex ſtudio, quod adhibes in excogitandis, curandiſque remediis, quibus Græci Schiſmatici, qui tùm in partibus Paſtorali tuæ vigilantiæ commiſſis, tùm alibi exiſtunt, huic omnium Eccleſiarum Matri, ac Magiſtræ Romanæ Eccleſiæ adjungantur, atque adhæreant. Verùm non levis occurrit difficultas circa eam diſpenſationem, quam utpotè huic tuo voto conſentaneam, revocandiſque ad unitatem Schiſmaticis valdè proficuam à Nobis expoſcis: ut ſcilicet indulgere velimus Miſſionariis latini ritus, ut poſſint Sacra græco ritu, ubi neceſſitas tulerit, peragere, retentâ etiam libertate ad ritum latinum, ceſſante hujuſmodi neceſſitate, redeundi; Conſtanti enim Catholicæ Eccleſiæ diſciplinæ, ac obſervantiæ id maximè adverſatur: quod manifeſtò liquet ex Generalium Conciliorum Decretis, ac Prædeceſſorum noſtrorum pluribus ſuper hoc editis Conſtitutionibus, in quibus decernitur, ac diſtrictè præcipitur ut tùm Latini, tùm Græci, tùm quçcumque demum Nationes, quæ proprium Ritum ab Apoſtolicâ Sede approbatum habere noſcuntur, eum perpetuò ita cuſtodiant, ut nemini tùm Latinorum, tùm Græcorum liceat ſive in Conſecrationibus, ſive in Ordinationibus, aut in Divinis Officiis, aut in Sacramentorum adminiſtratione alterius Nationis ritum, vel alium ab eo, cui primùm addicti ſunt, uſurpare ſub quovis titulo, vel prætextu, etiamſi inde ſpes propagandæ aliquantò magis Catholicæ Religionis affulgeret. Quæ cum providè ſancita ſint cùm graviſſimis de cauſis, tùm ob id præſertim, ut ſingulis Nationibus perſpectum ſit Apoſtolicam Sedem ſolicitam eſſe, ut unuſquiſque Ritus approbatus perpetuò cuſtodiatur, ac vigeat, nihilque tam ab eâ alienum ſit, quàm velle alterutrum promiſcuo uſu paulatim deſtitui, atque deleri, de quo non ſemel Catholici Græci, Schiſmaticis eorum ſuſpicionem, atque timorem ſubdolè confoventibus, apud eamdem Sedem conqueſti ſunt, integrum Nobis non eſt aliter eâ in re ſtatuere; Quod Te pro ſpectatâ prudentiâ tua facilè intellecturum eſſe confidimus, aliaſque vias, atque rationes, eodem nunquam ſatis laudato fervore initurum, quibus Schiſmaticorum ſaluti, ac

ſpirituali bono conſultum ſit; dum Nos Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die nonâ Maii 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Explicatâ Quindenniorum origine, ac naturâ, & perſpicuè oſtensâ ſoliditate Juris Sedis Apoſtolicæ illa exigendi etiam à Beneficiis de Regio Patronatu, Reginam Viduam Magnæ Britanniæ, quæ pro Rege Fratre abſente Portugalliæ Regnum adminiſtrabat, graviter, ac enixè hortatur, ut eadem Quindennia perſolvi æquo animo ferat, ac Oppugnatores fovere deſiſtat. Ejuſmodi tandem controverſiam non à Regiis Tribunalibus, ſed ab Apoſtolicis Adminiſtris cognoſci, ac definiri debere luculenter oſtendit.

Chariſſimę in Chriſto Filiæ Noſtræ, Catharinæ Magnę Britannię Reginæ Illuſtri Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Certum eſt apud Nos, qui ſanè præclaram ſemper geſſimus de eximiis virtutibus, & præſtanti pietate Majeſtatis Tuę opinionem, eatenùs Te in negotio Quindenniorum animo adhuc hærere, quatenùs ſunt, qui Tibi ſuadere nituntur lædi, aut imminui prærogativas Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Petri Portugalliæ, & Algarbiorum Regis germani Fratris tui, ſi Beneficia, quæ ſunt de Regio ipſius Patronatu, Quindenniorum ſolutioni ſubdantur, cui nunquam obnoxia fuiſſe illi ipſi aſſerere non dubitant, ac licere Tibi, concurrentibus hinc Romanæ Eccleſiæ juribus temporalibus, cujuſmodi ea, de quibus agitur, exiſtimant, aut exiſtimari volunt, inde verò Regiis juribus, hæc potiùs, quàm illa tueri. Verùm ubi rem totam liberâ, ut decet, mente, & ab omni præjudicio prorsùs immuni, paulò diligentiùs excuſſeris, aliter ſe omninò habere, quàm ipſi autumant, facilè deprehendes. Nam quòd illi agnoſcant Quindennia loco Annatarum inducta fuiſſe: Annatas verò ſubrogatas fuiſſe decimis: & nihilominus exinde inferant ea recenſeri debere inter jura temporalia Romanæ Eccleſiæ, non ſatis naturam, & conditionem decimarum intelligere videntur, cum nihil tam exploratum ſit, quàm decimas Jure Divino, & Canonico deberi Romano Pontifici tum in recognitionem Dominii univerſalis ipſi competentis in omnibus bonis Deo, & Eccleſiæ dicatis, tum pro congruâ Dignitatis, quam gerit, tamquam viſibile Caput Eccleſiæ, ſubſtentatione; ſitque etiam ſatis perſpectum aliud nihil eſſe Beneficia, quæ de jure Patronatus Regio dicuntur, quàm donationes ex liberali Regum pietate profectas, Deoque oblatas, quæ propterea à jure Illius, cui Deus Eccleſiæ regimen demandavit, eximi non poſſunt. Vix autem coniici poteſt, quibus documentis innitantur illi, qui aſtruunt, ac fidenter ſtatuunt ita jam olim ſervatum fuiſſe in Eccleſiâ, ut cetera quidem Beneficia, nullatenùs verò ea, quæ ad Regios Patronatus pertinebant, decimas exolviſſe: cum certè conſtet Annatas, quarum antiquiſſima eſt, & multorum ſeculorum obſervantia, loco decimarum perſolvi cœpiſſe ex recepta inter Fideles conſuetudine, adeoque,

omnia Regna, quæ Romani Pontificis authoritatem colunt, eas dependisse, actuque dependere pro ipsis Beneficiis, quæ de Jurepatronatus etiam Regio esse noscuntur, quoties contingat literas Apostolicas in Romanâ Curiâ expediri, quod non rarò evenit, ubi scilicet ad eadem Beneficia nominantur, qui Pontificiâ dispensatione opus habent, ut Irregulares, ætate minores, Regulares professi, plura Beneficia obtinentes, aut aliud sub eodem tecto, aut alteri de consensu Patroni resignantes, aut Beneficiatum sibi dari in Coadiutorem exposcentes, sive ei conferri à Sede Apostolicâ aliud Beneficium incompatibile cum Decreto, quod vacet obtentum, postulantes, aut cum Reges Pensiones super iisdem Beneficiis favore aliorum reservari exoptant; in quibus, & similibus casibus, neque Episcopi, neque Reges, utpotè Laici, Ecclesiasticum titulum conferre possunt, quemadmodum in omnibus ubique Nationibus quotidiè usu venit, & in Regno isto semper observatum fuit. Quæ prolixiùs fortè, quàm rei satis, superque compertæ conditio expetebat, explicata argumento Tibi esse possunt quàm injustè conquerantur, qui tanquam si novo oneri supponerentur, à solutione Quindenniorum sese subducere curant, & Regiâ se authoritate tueri conantur. Ex quibus etiam agnosces meritò à Nobis injunctum fuisse Venerabili Fratri Michaeli Angelo Archiepiscopo Tarsensi Nuncio isthic nostro, ut contumaces præscriptis à Nobis mediis compelleret ad solvendum: in cujus quidem mandati nostri executione si quid in illo redarguendum est, non aliud certè quàm quod tamdiù distulerit obsequi voluntati nostræ. Tuæ itaque spectatæ virtutis erit præclarum veritatis, ac Justitiæ zelum, præter debitam in hanc Sanctam Sedem observantiam, ubi tulerit occasio, in hac causâ explicare adversùs Oppugnatores rationum ejusdem Sanctæ Sedis, ita ut ipsi nullum in tuâ authoritate præsidium polliceri sibi possint, sed imò intelligant improbari à Te vehementer ea præsertim consilia, quibus authores Tibi esse non sunt veriti oportere totam hanc causam juxtà Privilegia à Prędecessoribus nostris isti Regno concessa ab istis Tribunalibus cognosci, ac definiri, quasi ulli unquam hominum indultum fuerit in causis, in quibus agitur de directo Dominio primæ Sedis, quæ à nemine judicatur, & in re ad eamdem immediatè spectante judicium ferre, aut quasi æquum sit concedentem subdi authoritati illius, quem auxit facultate judicandi, juxtà dictum Prophetæ: *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea*: Confidimus Majestatem Tuam passuram non esse rectæ, ac synceræ voluntatis testimonia à Se desiderari, dum Nos Eidem Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Maii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

AR-

ARGUMENTUM

Filialis studii, ac observantiæ testimonia, quæ Dux Lotharingiæ Sanctitati Suæ detulerat, benignè excipit, & ab eo iterum impensè flagitat, ut in negotio Constitutionum illic evulgatarum Pontificium Decretum, sublatis impedimentis, executioni demandari omninò patiatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Dignum est ingenuo, ac præstanti Nobilitatis Tuæ animo desiderium excolendæ omni officio Pontificiæ benevolentiæ, & propositum æmulandi veterem, laudatamque Majorum tuorum, inclytorum Principum, in Dei Ecclesiam, & in hanc Sanctam Sedem observantiam, luculento utrumque testimonio tùm per literas,quas tuâ manu exaratas vigesimâ die proximè elapsi mensis Martii ad Nos dedisti, tùm per Ablegatos tuos disertè Nobis explicatum. Ex qua quidem significatione in spem firmam adducimur Te curaturum esse eamdem voluntatem tuam re ipsâ comprobare, neque passurum esse ulla à Te Filialis, ac debiti in Nos, atque in eamdem Sedem cultus documenta desiderari in negotio Constitutionum, quę isthic in lucem editæ fuerunt, cum probè intelligere possis, quòd sinè valde culpabili neglectu commissi Nobis desuper Officii fieri non poterat, quin Constitutionum ipsarum, & voluminum, in quibus illæ continentur, lectionem, retentionem, & usum Fidelibus interdiceremus, ex quo in eis quamplurima Juribus, ac libertati Ecclesiæ manifestè adversantia offendimus. Cum enim positi simus à Domino creditas Nobis oves salubriter pascere, nihil tam ad Munus nostrum pertinet, quàm ubi eas (oblatis, propositisque noxiis pascuis) in discrimen adduci advertimus, Pastorali vigilantiâ incunctanter occurrere, & submoto etiam periculo,spirituali ipsarum saluti providâ solicitudine consulere. Hinc est quod non minùs ad tuendam, atque asserendam, ut par est, Apostolici nostri Decreti, & Judicii in eo à Nobis lati auctoritatem, quàm ad viam sternendam cuius ulteriori rei ipsius discussioni, illud in primis, atque ante omnia necessariò agendum sit, ut de medio tollantur impedimenta adversùs præfatum nostrum Decretum, non sinè gravi scandalo, interjecta, ipsumque Decretum publicè prodeat, ac exactè observetur, ne foveri videatur malum, quod congruo, paratoque remedio illicò auferri potest. Quod itaque aliàs Paternâ charitate Te hortati sumus, Dilecte Fili, alacriter perfice, & consiliis, ac monitis nostris acquiesce: in quo præclarè ostendes nihil Tibi prius esse, quàm debitam Ecclesiæ reverentiam exhibere, ut Tibi, rebusque tuis bonorum omnium Authorem propitiare merearis, dum Nos Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimâ nonâ Maii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Obitum cla. mem. Imperatoris Leopoldi permolestum sibi accidisse profitetur, & cum Augustissimo illius Nato, ac Successore Josepho Cæsare funestum hunc eventum paternè condolet.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Josepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Intimi, ac acerbissimi doloris argumentum fuisse Nobis obitum claræ memoriæ Leopoldi Augusti Genitoris Majestatis Tuæ, omnibus, qui rectè, & æquo animo tum de eximiâ illius in Deum pietate, aliisque egregiis virtutibus, tum de Pontificiâ nostrâ charitate sentiant, esse omninò credimus exploratum. Interim verò ex literis, quibus Nos de tam gravi jacturâ, prout omnibus ita exigentibus rationibus par erat, certiores reddidisti, pollicitus Te solicitum fore de explicandâ Filiali tuâ in hanc Sanctam Sedem observantiâ, non solùm agnoscimus Te debitis erga illam officiis non defuisse, sed præclaram animo spem concipimus Te Majorum tuorum longè clarissimorum, qui ob perpetuum in Deum, in Ecclesiam, atque in Romanos Pontifices cultum maximè commendantur, insignem pietatem abundantiùs esse æmulaturum. Quibus sanè studiis nedum à Nobis communis Patris officia, quæ à nemine unquam desiderari hactenùs passi fuimus, aut in posterùm patiemur, sed peculiaria benevolentiæ nostræ testimonia referet Majestas Tua, cui diuturnam incolumitatem, ac veram felicitatem à Deo, quo solo auspice terrena Regna, ac Imperia prosperè administrantur, ex animo apprecamur, Eidemque Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 30. Maii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Quòd Catholicos Hiberniâ abscedere jussos paternâ charitate exceperit, ac ipsis opportuna subsidia liberali manu suppeditaverit, Episcopum Carnutensem meritâ laude prosequitur.

Venerabili Fratri, Episcopo Carnutensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Jamdiù est, quod Nobis innotuit quamplures eorum Fidelium, qui exorto anteactis annis in Hyberniâ, ac sæviente adhuc adversùs Catholicos persecutionis æstu, indè abscedere coacti sunt, liberale perfugium nactos esse in istâ Diœcesi operâ Fraternitatis Tuæ, quæ charitate, ac zelo incensa hujusmodi homines exules bonis omnibus, atque fortunis, & quovis humano præsidio destitutos paternum veluti in sinum excepit, gravesque calamitates, in quas pro ser-

van-

vanda fide inciderunt, tùm per ſeipſam largâ manu, tùm quæſitis undique præſidiis relevare, & eiſdem pro uniuſcujuſque conditione opem ferre curavit. Quod inſigne pietatis exemplum, quantùm adjecerit veteri opinioni, quam de tuâ virtute gerebamus, vix explicare poſsumus, nec ſemel in animum induximus gratulari Tibi tam illuſtre erga Catholicam Religionem meritum: ſed quia Nobis perſuaſum erat Te non terrenæ gloriæ lucrum quærere, ſed unicè præſtolari mercedem à Domino, cui fæneratur, qui miſeretur pauperis, propterea Te iis laudibus, quas uberes ſanè meruiſti, proſequi uſque modo diſtulimus. Quòd verò hoc nunc demùm perfungamur officio, in causâ eſt communis propè eorundem Fidelium voluntas, ac votum, qui cum ſe ingentibus beneficiis per Te affectos eſſe perſentiant, gratos animi ſenſus, quos fovent, reticeri non patiuntur, ac per Nos maximè ad Te perferri geſtiunt, ac poſtulant. Nos autem eò libentiùs ipſorum deſideriis, ac precibus obſecundamus, quo charitatem noſtram hoc ipſo nomine Tibi obſtrictam eſſe cognoſcimus, ac profitemur; ſolicitudini enim, quam de eorum incolumitate gerimus, non parùm levaminis tuo ſtudio, curâ, & ſedulitate allatum intelligimus. Habes itaque hoc noſtrum ſyncerae, ac propenſæ in Te voluntatis teſtimonium, quod re ipsâ confirmare, atque opere impenſiùs declarare non prætermittemus, ubi aliquid in Tui, & in Eccleſiæ Tibi creditæ commodum, atque ornamentum præſtari à Nobis poterit. Deum interim, qui retribuit abundanter facientibus bona, Tibi propitium ex animo precamur, & Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die nona Junii 1705. &c.

ARGUMENTUM

Patriarchæ Antiocheno Nationis Maronitarum gratulatur ejus electionem, quam Apoſtolicâ authoritate confirmat. Pallium illi cum nonnullis ſacris muneribus, & pecuniario ſubſidio mittit, ipſumque, & Subditos ad perſecutionem, quam ab aliis Nationibus patiuntur propter Fidem, fortiter tolerandam vehementer hortatur.

Venerabili Fratri Petro Gabrieli Patriarchæ Antiocheno Nationis Maronitarum.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. In argumento Nobis prorsùs grato, verſamur, ubi contingit apud Nos agi de inclytâ Maronitarum Natione præclari ſanè nominis in Dei Eccleſiâ, utpote quæ in conſpectu hoſtium Chriſtianæ Religionis conſtituta Evangelium Chriſti ita non erubeſcit, ut de eo ſummoperè glorietur, ſanam doctrinam, & verbum Dei in medio Populi polluta labia habentis intemeratè cuſtodiens. Excepimus itaque libentiſſimè Dilectum Filium Religioſum Virum Eliam Hyacinthum à Sanctâ Mariâ Ordinis Carmelitarum Excalceatorum à Fraternitate Tuâ ad Nos ablegatum, qui tuarum literarum, quas Nobis reddidit, ſenſum vivâ voce diſertè proſecutus tuum, ac iſtius Nationis in Nos, atque in hanc Sanctam Apoſtolicam Romanam Eccleſiam ſtudium, & obſervantiam luculenter Nobis teſtatus eſt; ſubinde verò ſignificavit Te in ejuſdem Nationis Patriarcham Antiochenum

fuiſ-

fuisse communi eorum omnium, ad quos pertinet, suffragio electum, ac tuo nomine postulavit eandem Electionem de Te factam Pontificiâ nostra authoritate confirmari. Ex quibus magnum profectò gaudium cœpimus, tùm quia advertimus isthic semper magis vigere veterem erga Sanctam Sedem, Romanosque Pontifices cultum, tùm quia non parùm profecturam esse confidimus communem istorum Fidelium in Te voluntatem, ad promovendam Spiritualem ipsorum utilitatem, & ad parandam Christianæ Fidei in istis partibus nedum salutem, sed etiam propagationem, atque incrementum. Cùm enim illi, qui Te eo munere dignum unanimiter censuerunt, quantùm de spectatâ tuâ virtute Sibi polliceantur, palàm, & præclarè eo judicio declaraverint, cumque Tu probè nosse profitearis, tanquam longo usu edoctus, quàm arduum sit Pastorale Munus, quo nihilominus multâ cum laude tot jam annos perfunctus es, non ambigimus, quin intelligas majorem diligentiam Tibi eminentiori loco jam posito adhibendam esse, ut uberiorem fructum ex credito Grege referre valeas. Quod quia omninò de tuâ vigilantiâ, ac zelo sperandum Nobis videtur, Electionem ipsam alacri voluntate confirmavimus, & Diploma desuper expediri jussimus ad Te perferendum. Pallium insuper Tibi mittimus sumptum de corpore Beati Petri Apostolorum Principis, ut sit Tibi non tam Insigne collatæ Dignitatis, quàm Memoriale mysterii, quod in eo designatur; notum est enim innui per illud Ovem deperditam, quam Pastor bonus inventam suis humeris superimposuit; quo exemplo omnium Pastorum solicitudo in commissi officii administratione debet incendi. In pignus verò Pontificiæ charitatis, quâ Te prosequimur, sacra quædam indumenta, Sanctorum Martyrum Reliquias, ac Ceras benedictas adjecimus, nec non aliquale præsidium deductum ex proventu Ecclesiastico; ex quo debes coniicere potiùs, quàm metiri magnitudinem nostræ voluntatis, ampliora, si res ferret, Tibi reddere peroptantis. Ceterùm commovemur intimè adversitatibus, atque periculis, quibus Fideles istos ab aliis Nationibus propter Fidem odio habitos assiduè conflictari scribis, sed valdè animum nostrum solatur, quod addis Te, ac ipsos libenter hæc perpeti pro ejusdem Redemptoris nostri nomine, siquidem ostenditis memores Vos esse Divini moniti: *Beati estis, cum maledixerint Vobis homines, & persecuti Vos fuerint, & dixerint omne malum adversùs Vos, mentientes propter Me: Gaudete, & exultate, quoniam merces Vestra copiosa est in Cœlis.* Teneant itaque tuo exemplo tam salutare propositum ii, quibus præficeris, nil metuentes ab illis, qui animam occidere non possunt nam sperare fas est Vos, in quibus propter incorruptam fidem spectatur gloria Libani, visuros esse juxtà Propheticum Oraculum itidem gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Plura de Apostolicâ nostrâ erga Te charitate, & benevolentiâ referet idem Religiosus Vir Elias Hyacinthus à Sanctâ Mariâ, qui gratus suis laudibus, & tuâ commendatione Nobis extitit, dum Nos Fraternitati Tuæ, & universis istarum partium Fidelibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimâ Junii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

AR-

ARGUMENTUM

Gratum, memoremque suum explicat animum Principi Carolo à Lotharingiâ Electo Osnabrugensi, quòd ultrò consensum præstiterit reservationi annuæ Pensionis perpetuæ super fructibus Abbatiæ Claravallensis illi commendatæ pro Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Carolo à Lotharingia Electo Osnabrugensi.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Cùm ob singulare pietatis studium, & ob egregiam illam voluntatem, quâ Nobilitas Tua Ecclesiæ, ac sacris rebus se addixit, præclarè admodum de Te sentiremus, ac probè intelligeremus præstantem Ecclesiæ Antistitem in Te, Divinæ Providentiæ ope, efformari, accessit ad eamdem opinionem, ac spem in Nobis usque magis fovendam, cumulandamque, insigne tuæ virtutis documentum, ubi accepimus Te ejusdem tuæ pietatis stimulo consensum ultrò, & alacriter præstitisse, ut favore Dilectorum Filiorum Capituli, & Canonicorum Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis annua Pensio super fructibus Abbatiæ Claravallensis, quam obtines, perpetuò auctoritate nostrâ reservetur; non enim ambigi potest, quin ferveas zelo Divini cultus, qui ad eum promovendum manum usque adeò liberalem eidem Ecclesiæ admovisti; quod sanè munus eò gratius reputari debet, quò magis inopinatum, quòque magis ad fovendos tenues illius Cleri proventus opportunum esse dignoscitur. Confidere itaque debes Te apud Deum tot pro tuâ salute, atque felicitate perpetuos deprecatores, ac veluti excubitores constituisse, quot ex Sacerdotali illo Ordine præcipuo hoc beneficio Tibi devinxisti. Quinimò Nos ipsi eximi ab officio profectò nolumus, & cum pro ultimâ charitate, qua Patriam nostram prosequimur, tam memorem Tibi animum exhibere optemus, quàm gratum profitemur, ipsum datorem bonorum omnium Deum indesinenter precari non omittemus, ut quæ maximè Tibi, tuisque votis congruant, & expediant, propitius indulgere velit Nobilitati Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 13. Junii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Regem Poloniæ laudat, quod Episcopi Posnaniensis causam Sedis Apostolicæ judicio cognoscendam, definiendamque reliquerit, ac ipsum Nuncio Pontificio tradi, & ad Almam Urbem sub custodia adduci curaverit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Consilium justo, ac catholico Principe planè dignum suscepit Majestas Tua, ubi pro suo in Ecclesiæ Jura, & authoritatem obsequio, ac debito cultu nihil sibi in causa Venerabilis Fratris Episcopi Posnaniensis statuendum esse probè intelligens, eamdem nostro, & Apostolicæ Sedis judicio cognoscendam, ac definiendam reliquit, ipsumque Episcopum potestati nostræ per Venerabilem etiam Fratrem Horatium Philippum Archiepiscopum Episcopum Lucensem Nuncium isthìc nostrum tradi, & ad Urbem adduci curavit. Cùm is itaque huc jam perductus custodiatur, non omittemus profectò ipsius causam eâ, qua par est, diligentiâ expendere, ubi acta, ac processus, quæ isthìc per eumdem Nuncium nostrum confecta sunt, ad Nos perferri contigerit, sententiam in eum ex præscripto Justitiæ laturi. Et hæc sunt, quæ in præsens reponenda Nobis occurrunt tuis literis, filialibus in Nos officiis refertis, quas Dilectus Filius Franciscus Merenda solerter, ac prudenter in hoc negotio versatus Nobis exhibuit. Cæterùm quâ constantiâ, ac fervore res tuas, & quæ ad tutelam tuæ Dignitatis pertinent, nihil Nos remorante temporum difficultate, promoveamus, fusiùs ab ipso nostro Nuncio percipies. Confidimus verò Te vicissim curaturum esse tuam in hanc Sanctam Sedem observantiam majori semper studio declarare, præsertim in tuendâ causâ Catholicæ Religionis, de cujus conservatione, atque propagatione prætermodum soliciti sumus. Et Majestati Tuæ, cui prospera omnia à Deo apprecamur, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ tertiâ Junii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Principi Egoni de Furstemberg, quòd ejus præsertim operâ Episcopus Posnaniensis Ecclesiasticæ potestati concessus, & ad Almam Urbem perductus fuerit, gratum suum explicat animum, eumdemque Principem impensè hortatur ad incitandum Poloniæ Regem, cujus nomine Saxoniam regebat, ut in eâ provinciâ Catholicæ Religionis rationes sedulò promoveat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Egoni de Furstemberg.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Persuasum sanè Nobis erat Nobilitatem Tuam, quâ est in Nos, atque in hanc S. Sedem observantiâ, & cultu, non passuram ullum à Se officium desiderari in negotio tam proximè attinente ad jura, & authoritatem Ecclesiæ, cujusmodi est causa Venerabilis Fratris Episcopi Posnaniensis, sed imò omni studio curaturam, ut eadem causa, prout par erat, nostro judicio cognoscenda relinqueretur. Verùm præter ea, quæ de egregiâ operâ in hunc scopum à Te præstitâ à Dilecto Filio Francisco Merenda accepimus, exitus ipse comprobavit quàm solerter egeris, ut Charissimus in Christo Filius Noster Augustus Poloniæ Rex id, quod justum esse intellexerat, & exequi meditabatur, alacriùs perficeret: ut scilicet eumdem Episcopum Ecclesiasticæ Potestati per Venerabilem Fratrem Horatium Philippum Archiepiscopum Episcopum Lucensem Nuncium nostrum tradi mandaret; quod omne cum jam probè confectum sit, Episcopo ipso ad Urbem perducto, singularem hanc tuam diligentiam plurimùm in Domino commendamus, sed majora adhuc sunt, & præclariora, quæ à tuâ virtute jure speranda Nobis videntur; Exploratum enim Tibi est Nos jamdiù esse in expectatione alicujus profectus Catholicæ Religionis in istâ Ditione, & voti demùm compotes fieri posse confidimus, ubi Tu Divini honoris zelo fervens consiliis tuis, quibus Rex meritò plurimùm tribuit, ipsius animum ita incenderis, ut seriò curet, ac fortiter efficiat, ne pravis malorum hominum artibus omnis aditus pertinaciter isthìc occludatur veritati, quàm Ipse, Miserentis Dei beneficio, agnoscere meruit, & amplecti. Si enim, ut bonus Princeps, Populos verè diligit, par est, ut de verâ eorum salute sit impensè solicitus, ac authoritate suâ paret, & muniat viam, quâ possint ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ reverti, undè olim ista Natio sui Principis ductum infeliciter sequuta recessit. Nec terrere, aut remorari Eum ullo modo debent obices interjecti, utcumque graves, scientem se Dei causam agere, cujus præsidium bonæ menti, & piis conatibus nunquam deest. Satagat itaque Rex, Te strenuè adnitente, tantum Sibi meritum apud Deum comparare, afferatque optatissimum solatium solicitudini nostræ, cum Nos interim, quò benevolentiam ipsi nostram semper magis testemur, nullâ temporum difficultate præpediri patiemur, aut detineri, quominùs ejus Dignitatem inconcussâ constantiâ tueamur. Deum enixè rogamus, ut in bonum Ecclesiæ suæ Regium animum suâ virtute confirmet, roboretque consilia Nobilitatis Tuæ, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigesimâ Junii 1705. &c.

ARGUMENTUM

Patriarchæ Alexandrino Ritus græci gratum explicat animum, quod Missionarios Apostolicos, præsertim Societatis Jesu, perhumaniter excipiat, & foveat, eumque ad amplectendam cum Romana Ecclesia unitatem hortatur.

Venerabili Fratri, Joanni, Patriarchæ Alexandrino Ritus greci.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, salutem &c. Redeunti in istas Partes Dilecto Filio Abrahimo de Anna, quem Fraternitas Tua Romam jampridem allegaverat, injunximus, ut apprecatâ Tibi nostro nomine verâ in Domino salute, certiorem Te reddat de peculiari Pontificiæ nostræ in Te charitatis propensione, quam sanè non parùm Tibi conciliant humanitatis officia, quibus à Te excipi, atque foveri audivimus Missionarios Apostolicos, ac præsertim Religiosos Viros Societatis Jesu, quorum operâ cum juventutem istam bonis artibus, ac disciplinis institui permiseris, commodo, ac utilitati Nationis istius præclarè consuluisti, tum verò præclariùs, cum nemini ademptam esse voluisti libertatem complectendi Sanctam Catholicam Romanam Fidem, quæ quidem à Beato Apostolorum Principe Petro, ejusque Discipulo Divo Marco Fidelibus tradita, unicè necessaria est ad assequendam æternam salutem, ac propterea Nos nullum præstantius argumentum Paterni animi, quo in Te sumus, præbere Tibi posse arbitramur, quàm à misericordiarum Patre enixè deposcere, ut Tibi det eamdem Fidem probè agnoscere, ritè profiteri, ac firmiter tenere, quatenùs post emensos hujus vitæ labores, perpetuâ felicitate fruaris, dum in tanti boni auspicium, Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 10. Julii 1705. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiscopo Arelatensi gratum, lætumque explicat animum, quòd ad Sanctitatem Suam miserit Sacras Beati Trophimi Reliquias, ut pio hoc munere Societatem quinque Plagarum in Urbe erectam juxtà enixas illius preces, & vota ditare possit.

Venerabili Fratri, Francisco Archiepiscopo Arelatensi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, salutem &c. Sacras Beati Trophimi primi Arelatensium Antistitis Reliquias eadem, in quâ isthìc non minùs eleganter, quàm diligenter conditæ, ac obsignatæ fuerant, capsulâ occlusas, fideliterque ad Nos delatas singulari cordis nostri gaudio, ac devotis osculis excepimus, & apud Nos retinemus, tanto mox munere ditaturi Confratres Societatis sub nomine quinque Plagarum hìc in Urbe erectæ, quorum Fraternitas Tua preces, ac vota tam piâ liberalitate solari voluit. Est verò cur hoc sacro pignore Roma universa magnoperè lætetur; repetit enim

quod-

quodammodò post tot sæculorum lapsum mortales illius exuvias, quem ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio Episcopalis Dignitatis auxit insigniis, & veræ Fidei Præconem allegavit in Gallias: ac lubens in ipsis cineribus agnoscit, aut certè recolit ignem charitatis, quâ inclytus Præsul incensus præclaram istam Orbis partem Christiano nomini, & Romanæ adjunxit Ecclesiæ. Ipsa quoque, si fas est dicere, gestiunt Apostolorum Corpora sibi propiùs admoveri sacra amantissimi Discipuli lipsana, atque hìc eum participem fieri cultus, quem gloriæ consortem in Cœlis, quem laborum, ac periculorum socium magnâ ex parte habuerunt in terris. Publicum itaque, ac ingens beneficium, quo Urbem affecisti, Tibi debere gratulamur, nihilque tam cupimus, quàm ut Nobis contingat re ipsâ explicare, quanti egregiam tuam in Nos voluntatem tam officiosè tuis literis declaratam, & præstantiam tuæ virtutis, ac præsertim vigilantiam, quâ insigni isti Ecclesiæ præes, faciamus, Venerabilis Frater, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Julii 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Regi Persarum Israelem Ory, & Christianos in illius Ditione commorantes, qui à Regiis Administris acerbè vexabantur, quàm enixè commendat.

Illustri, ac Potentissimo Persarum Regi.

CLEMENS P.P. XI.

ILlustris, ac Potentissime Rex, salutem, & lumen Divinæ Gratiæ. Decet sanè, ut quoniam Nos propensâ sumus voluntate erga Celsitudinem Tuam, multique facimus præstantiam tuorum decorum, & spectatas animi tui dotes, mutua à Te referamus humanitatis officia eorum commodo, quos dignos nostrâ apud Te commendatione censemus. Cùm itaque Dilectus Filius Israel Ory singulari, qua præditus est, morum integritate, atque honestate, fide quoque, atque prudentiâ Pontificiam nostram charitatem peculiariter demeruerit: illum isthuc proficiscentem hoc nostro favorabili judicio, ac testimonio communire voluimus, quo Tibi declaramus gratum prorsùs Nobis fore, si eum intuitu nostro libenter exceperis, benignè audiveris, ac juveris in his, quæ æquitati, ac rationi consona à Te expostulabit. Quâ occasione facere non possumus, quin Tibi apertè explicemus grave admodùm, atque molestum Nobis, ac ceteris Christianis Principibus esse, quòd à nonnullis eorum, qui tuo nomine præsunt Provinciis amplissimi istius Regni, malè habeantur indigenæ, incolæque Christiani, quorum non exigua pars cum se insidiis, atque calumniis indesinenter appeti senserit, libertatem, atque tranquillitatem rebus, atque fortunis præferre maluit, & à tuo Regno abscedens perfugium apud alios Principes quærere curavit. Quæ res, præterquamquod Juribus, ac rationibus tuis valdè obest, nullo modo confert ad commendationem tui nominis, animosque, ut diximus, Principum, ac Regum, quibuscum veteres Tibi intercedunt amicitiæ, à Te non parùm avertit; ægrè enim ferunt contemni isthìc, atque odio haberi illam ipsam Religionem, quam utpotè unicè Deo gratam, hominibusque salutarem, Ipsi profitentur. Etsi autem Nos rectè de Te sentientes persuasum habeamus hæc omnia non modò in jussu tuo,

sed

ſed imò Te fortè inſcio, aut ſaltem falſis adversùs Chriſtianos ipſos criminationibus præoccupato, acta fuiſſe (cur enim patereris plecti innocentes, qui juſti, mitiſque Regis laudem appetis?) ad tuendam tamen tuæ æquitatis famam oportet, ut palàm compeſcas Tuorum licentiam, itaut omnibus innoteſcat tutum eſſe in tuis Ditionibus commorari omnibus iis, qui juſtis legibus obſequi parati ſunt; cujuſmodi certè eſt Chriſtianorum hominum Inſtitutum. Rati interim debitum pondus apud Te habitura eſſe conſilia, quæ ex Pontificiâ charitate, & puro corde proficiſcuntur, iterum, iterumque eumdem Iſraelem, qui fuſiùs ſenſus noſtros explicabit, Tibi commendantes, Celſitudinæ Tuæ ab Omnipotenti Deo veram ſalutem, quæ ſinè ipſo eſſe non poteſt, apprecamur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Julii 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Conſtitutionem, cujus initium eſt: Vineam Domini Sabaoth: *ad extirpandas Janſeniani erroris reliquias editam, & à Rege Chriſtianiſſimo impensè flagitatam Majeſtati Suæ mittit, ac ut eam in ſuo Regno accuratè obſervari faciat, enixè petit.*

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Eximio tuendæ Catholicæ Religionis zelo, quo Majeſtas Tua Regales ceteras animi ſui dotes illuſtrat, gratum ſanè fore ducimus, ac perjucundum, quòd extirpandis prorsùs Janſeniani erroris reliquiis Apoſtolicam Conſtitutionem, maturâ, ut planè rei gravitas poſtulabat, deliberatione præhabitâ, nuper ediderimus. Illam proindè ad Majeſtatem Tuam ſtatim mittere non æquum modò, ſed & quodammodò debitum exiſtimavimus, cum ex pluribus Venerabilis Fratris Philippi Antonii Archiepiſcopi Epiſcopi Imolenſis Nuncii noſtri literis, & frequentibus Dilecti Filii Noſtri Tuſſani S. R. E. Cardinalis de Janſon nuncupati, qui Majeſtatis Tuæ negotiis hìc præeſt, ſermonibus abundè intellexerimus, quàm ardenti jampridem Majeſtas Tua deſiderio flagraret, ut ſublatis penitùs inquietorum hominum Catholicæ veritati caliginem offundentium effugiis, Orthodoxæ Fidei ſynceritati, & omnimodæ Eccleſiæ tranquillitati hac in re conſuleretur, quod nonniſi Supremo Beati Petri Cathedræ, in quâ immeriti reſidemus, Judicio more Majorum præſtari ſatis poſſe cognoveras. Id verò cum opportunè, & ſalubriter, ut confidimus, Deo favente, actum ſit, minimè dubitamus, quin Majeſtas Tua Venerabilibus Fratribus Regni tui Epiſcopis, quorum ceteroquin Nobis perſpecta pietas, & hac eadem in re ſtudium, ac vigilantia eſt, pro integrâ ejuſdem noſtræ Conſtitutionis obſervantiâ, favorem omnem, ac patrocinium ſit adhibitura. Probè enim pro conceſsâ Tibi divinitus ſingulari ſapientiâ noſti Catholicæ in primis Fidei puritate conſtabiliri Regna, tum verò demùm res ipſius Fidei in tuto eſſe, cum ſolicitudinem, quâ Sacerdotalis oculus vigilat, Regalis brachii fulcit authoritas. Ac Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſeptimâ Julii 1705. &c.

ARGUMENTUM

Magno Hierosolymitani Ordinis Magistro respondet gratum sibi accidisse, quòd quoddam Breve favore Equitis de Berton expeditum, qua par erat, obedientiâ executioni demandaverit, eumque admonet libertatem appellandi ad Sedem Apostolicam à decretis Congregationis Linguarum ejusdem Ordinis neque directè, neque indirectè tolli, aut impediri posse.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos, Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Magno Magistro.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, salutem &c. Debitum erga Nos, atque hanc Sanctam Sedem cultum, ac obedientiam, quam tuo, & universi istius Ordinis nomine tuis literis devotè profiteris, ac firmiter Nobis polliceris, Paterno animo respeximus, & excepimus, gratumque Nobis fuit, quòd in ejusdem tuæ observantiæ argumentum literas, quas in formâ Brevis favore Dilecti Filii Equitis de Berton ejusdem Ordinis Præceptoris, seu Commendatarii expediri jussimus, executioni, ut par erat, nullâ interpositâ morâ demandaveris; nec ambigimus quin Pontificiam charitatem majori semper studio demereri cures, ac satagas. Ceterùm præterire silentio non possumus id, quod tuis literis sextâ proximè elapsi Aprilis ad Nos datis occasione eorum, quæ isthìc contigerunt, asseris, nullam scilicet deliberationem in Cætu, sivè Congregatione linguarum istius Ordinis, Te inconsulto, suscipi posse; nam sivè lege id constitutum isthìc sit, sivè consuetudine invaluerit, nequaquam intelligi debet in præjudicium libertatis interponendi appellationem ad Nos, atque ad hanc Sanctam Sedem: quæ sanè libertas cuique, sivè publico, sivè privato nomine id egerit, integra semper esse debet, itaut neque directè, neque indirectè alterius arbitrio tolli, aut impediri ullo modo debeat, aut possit; Quod pro spectatâ tua prudentiâ, re maturè expensâ, Te facilè intellecturum confidimus, & Apostolicam Benedictionem Tibi, eidemque Ordini peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimâ quintâ Julii 1705. Pontificatus Nostri Anno V.

ARGUMENTUM

Quæ Rex Poloniæ à Pontifice postulaverat, priusquam tantoperè expetitam Principibus Jacobo, & Constantino Sobieski libertatem concederet, Sua Sanctitas apertè pollicetur, ac ejusmodi negotium optato tandem exitu concludi enixè poscit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem &c. Giungendoci notizia, che la M. V. per ridurre una volta ad effetto la liberazione de' Principi Sobieski tanto da Noi bramata, quanto Ella ben sà, e quanto hà ben potuto raccorre dalle tante, e tante istanze, che glie ne abbiamo fatte,

altro non desideri, che di aver precedentemente le convenienti sicurezze per la propria quiete, assicuriamo la M.V., che dandosi da Lei la libertà al Principe Costantino, questo si portarà immediatamente in Roma, per trattenersi quivi appresso la Maestà della Regina sua Madre, sinche siano intieramente cessati li presenti torbidi del Regno di Polonia. Similmente assicuriamo la M.V., che dandosi da Lei la maniera al Principe Alessandro di poter fare senza pericolo il suo viaggio à questa volta, egli pure si portarà subito à Roma, per dimorarvi col Fratello, sinche, come sopra, siano terminati gl'accennati torbidi. Non parliamo del Principe Giacomo, benche non punto inferiori siano le nostre premure per la di Lui liberazione, mentre sentiamo, che rispetto à Lui siano per darsi alla M. V. le bramate cauzioni dalla Maestà dell'Imperatore. Resta dunque ora, che la M. V. non ci ritardi più lungamente la somma consolazione, che in mezzo alle tante afflizioni, che proviamo, sarà per recarci la libertà de' sudetti Principi, per la quale abbiamo un sì giusto, e sì publico impegno; avertendola, come tante altre volte le abbiamo scritto, che siccome la M. V. non potrà mai darci argomento più accetto di questo della sua corrispondenza alla condotta, che abbiamo sin'ora tenuta per li suoi Reali interessi, così non potrà recarci maggiore incentivo di questo per continuarla similmente in avvenire. E pregando incessantemente Dio per la tranquillità della Polonia, e per la quiete della Maestà Vostra, diamo alla medesima con tutta la pienezza del nostro paterno affetto l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ &c. die primâ Augusti 1705. &c.

ARGUMENTUM

Oratorem Regis Christianissimi in Civitate Constantinopolitana laudat, quòd ibidem Catholicam Religionem, ejusque Cultores benignè tueatur, ac ut pium adeò propositum tenere strenuè pergat, illum hortatur.

Dilecto Filio, Marchioni Ferriol Christianissimi Regis Oratori in Civitate Constantinopolitanâ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, salutem &c. Quod Tibi sæpiùs gratulari debeamus illustre propositum tuendi in istis partibus Catholicam Religionem, jucundissimum Nobis est, qui ob Paternam charitatem, qua Fideles istos periculis etiam spiritualibus undique expositos complectimur, quàm soliciti sumus de eorum salute, tam profectò dolemus destitui plerumque mediis, quibus opem ipsis, qualem eorum status exposceret, afferre valeamus. Operam itaque, quam validè, ac solerter impendis, ut iidem eximantur à tot, ac tantis insidiis, atque calumniis, quibus continenter impetuntur, gratam præter modum Nobis esse persuasum habere debes; Facere interim non possumus, quin in causa adeò Nobis commendata stimulos Tibi ultrò currenti admoveamus, Teque hortemur, ut pergas pari studio ipsis adesse, quatenùs semper magis tuum apud Deum meritum cumules, majoremque gratiam ineas apud Nos, qui certè non omittemus, propensionem nostræ voluntatis reipsâ, ubi facultas erit, Tibi comprobare, Dilecte Fili, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Augusti 1705. &c.

ARGUMENTUM

Attentata à seculari potestate adversùs jurisdictionem Inquisitoris Generalis Hispaniarum, imò etiam adversùs Sedis Apostolicæ authoritatem, graviter dolet, eaque irrita, ac nullâ decernit; ipsum deinde Inquisitorem seriò admonet, ut facultates à dicta Sede sibi tributa strenuè tueatur, ac munus sibi commissum integrum, atque immune à quibuscumque præjudiciis custodiat.

Venerabili Fratri, Episcopo Ceutæ, Inquisitori Generali Hispaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Cùm pro egregiâ opinione, quam gerimus de Fraternitatis Tuæ pietate, doctrinâ, ac zelo, plurimum in Domino confideremus Te in tuenda hujus Sanctæ Sedis authoritate, atque Ecclesiasticæ Jurisdictionis libertate, eâ, quâ par est, diligentiâ, & vigilantiâ expectationi nostræ per omnia responsurum, Munus Inquisitoris Generalis in Regnis Hispaniarum Tibi libenti animo demandavimus; quod quidem amplissimum munus ita à Nobis Tibi commissum fuisse intelliges, quemadmodum à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris iis demandatum fuit, qui ante Te illud objerunt, ut propterea nullum sibi jus tribuere, aut arrogare possit, quæcumque demum sit, secularis potestas. Cùm enim in eo agatur de Apostolicâ authoritate in rebus ad Fidem spectantibus, constat profectò nemini hominum aliter eâ uti fas esse, quàm eo modo, quò à Summo Pontifice, Christi Domini in Terris Vicario, est specialiter delegata. Quod ideò expressè Tibi, eòque attentiùs denunciamus, quò non sinè magna cordis nostri amaritudine audivimus, quot contentiones, quot jurgia, imò ut veriùs dicamus, quot mala, quot scandala consecuta fuerint ob indebitè, ac temerè à nonnullis præsumptam, atque adversùs Inquisitorem Generalem ipsum sibi assertam jurisdictionem; cùm tamen nihil magis deceret, aut congrueret, quàm ut ii, qui ab eodem Inquisitore Generali, penès quem tota ex Apostolicæ Sedis præscripto residet potestas, suam receperunt authoritatem, illi prorsùs adhærerent, corque unum, atque animam propè unam efficerent. Verùm non minori molestiâ, aut admiratione percepimus illud ipsum supremum in Regnis Hispaniarum Inquisitoris Generalis Tribunal tantâ ibi olim reverentiâ, ac cultu ab omnibus istarum partium Fidelibus, ac ab ipsis claræ memoriæ Catholicis Regibus, ut ex eorum Decretis liquet, semper habitum, oppugnari modò à Magistratibus Laicis, qui prærogativas ipsi independenter à quâcumque, præterquam hujus Sanctæ Sedis, authoritate pertinentes imminuere conantur, nec deesse, qui in causis Fidei se immiscere, ac urgere pro deputatione ad eas cognoscendas Judicum Laicorum, ac pro remotione, suspensione, vel, ut ajunt, jubilatione eorum Ministrorum, de quibus pro libitu disponere ad Generalem Inquisitorem juxta facultatem ipsi soli ab eadem Sede Apostolicâ tributam pertinet, non vereantur: parùm interim perpendentes nulla prorsùs, ac irrita esse ob defectum legitimæ authoritatis, quæ sic attentantur. Prodierunt insuper in grave Fidelium scandalum sub nomine Consiliorum Regiorum scripta quædam, sive consultationes manifestè tendentes ad pertrahendas præfatas scissuras in majora dissidia, & in aper-

ta pericula, ac ſpiritualem animarum perniciem, utpote quæ fallacibus, ac ſubdolis argumentis probare nituntur Inquiſitorem Generalem poſt ſui deputationem ad hujuſmodi munus, immunem ſubinde eſſe ab Apoſtolicæ Sedis authoritate, quàm tamen authoritatem ab eadem Sede, & à Summo Pontifice abdicari nequaquam poſſe nemo, qui rectè ſentiat, non agnoſcit. Quare Nos ſoliciti, ut debita ſupremæ, quàm in Eccleſia Dei (licet immerentes) gerimus, authoritati obſervantia præſtetur, utque ea, quæ Dei ſunt, Deo, cujus cauſam agimus, eodem benè annuente, ac propitiante, reddantur, conſequi id maximè ſperamus ope ſpectatæ pietatis, æquitatis, ac prudentiæ Fraternitatis Tuæ, quæ ſi diligenter expendet tenorem Diplomatis, quo Te ad ſæpè dictum Inquiſitoris Generalis munus deputavimus, facilè agnoſcet facultates Eccleſiaſticas, ac ſpirituales in eo contentas à Chriſti Vicario, non à Seculari Poteſtate, cui nullum circa eas jus ineſt, Tibi, & non alteri, attributas eſſe, Tibique pariter datam fuiſſe facultatem eaſdem ſive in totum, ſive pro parte communicandi Perſonis ad eas exercendas idoneis, itaut ſubdelegationem hujuſmodi revocare, aut limitare, ſicut in Domino expedire duxeris, pleniſſimè valeas. Ceterùm præjudicialia quæcumque, quæ adversùs officium prædictum, ac propterea adversùs ſupremam Sanctæ Sedis authoritatem inſciis, aut fortè etiam conſciis, & tacitè, aut expreſsè conſentientibus Generalibus pro tempore Inquiſitoribus, quovis modo huc uſque attentata fuerunt, ſeu etiam in poſterum attentari contigerit, ſcias ipſo jure nullius prorsùs eſſe roboris, & momenti, ac, quatenùs opus ſit, nulla, atque irrita, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacua à Nobis decerni, ac declarari. Satage itaque, Venerabilis Frater, munus tuum integrum, atque immune à Seculari Poteſtate, prout decet, cuſtodire, qua graviſſima in re, & ad Dei honorem maximè attinente facere non poſſumus, quin tuam, & tuorum in eodem officio Succeſſorum conſcientiam ſub interminatione Divinæ indignationis in die tremendi Judicii oneremus. Ubi verò Tibi ſuper his moleſtiam inferri perſenſeris, quod tamen nunquam fore ſperamus, certiores Nos ſtatim reddere non prætermittas. Author boni conſilii Deus uberem gratiam elargiatur Fraternitati Tuæ, cui Nos ejuſdem auſpicium, & Pontificiæ benevolentiæ pignus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die octavâ Auguſti 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

AR-

ARGUMENTUM

Benigno excipit animo gratiarum actionem à Civitate Urbini, Patriâ ſuâ, quam pluribus beneficiis ornaverat, ſibi exhibitam, ac ipſam Civitatem, ut antiquas artes, antiquos mores, undè olim præclarum Nomen apud exteras etiam Nationes adepta fuit, revocare, & excolere diligentiſſimè ſtudeat, vehementer hortatur.

Dilectis Filiis Vexillifero, & Prioribus Civitatis Urbini.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Ab ipſo noſtræ Aſſumptionis exordio nihil profectò antiquius, neque potius in votis habuimus, quàm ut Vos, communemque Patriam Nobis longè chariſſimam inſigni aliquo beneficii genere honeſtaremus, quod eſſet eximii noſtri in eam amoris illuſtre, atque perenne monumentum. Multa proindè Paterno jamdudum animo obverſabantur, quæ ad commoda, ornamentaque veſtra maximè pertinebant; verùm & nota nimis temporum, in quæ incidimus, difficultas deſiderio noſtro obniti videbatur, & ipſâ Chriſtianæ Reipublicæ facies planè luctuoſa, quæ mentem noſtram graviſſimis curis implicitam hucuſque detinuit, & adhuc detinet, ab eâ cogitatione diſcedere Nos identidem compellebat. Vicit nihilominùs quæcumque ſeſe objecerant impedimenta longioris moræ impatiens, nulliſque finibus coerceri ſe ſinens ipſa erga natale Solum charitas noſtra, Noſque nuper impulit ad ea Vobis liberaliter elargienda, quæ Civitati, & Civibus magis utilia, ac ſalutaria cenſuimus, quæque Vos in ſpem aviti ſplendoris, priſtinæque dignitatis recuperandæ erigere poſſe meritò videantur. Quàm optata, atque jucunda hæc Vobis acciderint, libenter admodùm inteleximus tum ex literis, in quibus cum filiali veſtrâ in Nos obſervantiâ perennem apud Vos futuram acceptorum beneficiorum memoriam grato quidem animo profitemini, tùm etiam ex iis, quæ veſtro nomine Nobis luculenter expoſuerunt Dilecti Filii Dominicus Rivera, Robertus Vallubius, Hippolytus Albanus, & Creſcentinus Staccolus: quibus officiis gaudium, quod Patriæ dilectiſſimæ gratificando cepimus, non tantùm confirmatum, ſed majorem etiam in modum auctum experti ſumus. Reliquum eſt, Dilecti Filii, ut dum Nos his Pontificiæ benignitatis argumentis virtutem in primis veram ad æmulandas Majorum laudes, & ad veterem iſtius egregiæ Civitatis gloriam reparandam excitare contendimus: Vos viciſſim omni ope, conatu, & labore in eumdem ſcopum collimetis, & memoriâ repetentes quantùm olim iſthìc optimarum Artium ſtudia, ſimulque morum diſciplina floruerint, quàmque præclarum nomen apud exteras etiam Nationes Progenitoribus veſtris comparaverint, antiquas artes, antiquos mores revocare, & excolere diligentiſſimè ſtudeatis. Hanc muneribus noſtris vicem planè debitam, quâ felicitas etiam veſtra conſtabit, à Vobis expetimus, & ſupra omnem verborum explicationem optamus, nullis ceteroquin opportunitatibus defuturi de Vobis etiam in poſterùm benemerendi, ubi manum noſtram ultrò pronam ad excolenda ſtudia veſtra fructu provocabitis. Intereà Vobis, Dilecti Filii, à Deo Optimo Maximo, ſinè cujus præſidio fruſtra vigilat, qui cuſtodit Civitatem, uberem bonorum omnium copiam ex animo apprecamur, & Paternæ,

qua Vos amplectimur, benevolentiæ pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Officiosæ gratiarum actioni, quam Capitulum, & Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis ob plura illi tributa beneficia, ac præsertim ob amplificatos Canonicales proventus sibi detulerant, benignè respondet, ac ipsos Canonicos, ut ejusdem Ecclesiæ cultum sedulò promoveant, & gradus dignitatem cum laude sustineant, adhortatur.

Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinatensis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Ex quo animum nostrum ad subeundas, perferendasque gravissimas totius Christianæ Reipublicæ curas, præter omnem expectationem nostram, desuper accitum, iisdemque diù occupatum, jugiterque distentum charitas demum convertit in Patriam, primos mentis nostræ obtutus Ecclesia ista sibi facilè vindicavit, quæ perenne aliquod amoris nostri documentum suo quasi jure à Nobis exposcere videbatur. Neque verò gravatè annuimus, sed imò omni prorsùs studio, ut probè nostis, ipsius decorem quæsitis undique ornamentis amplificare sategimus: rati interim Vos ipsos strenuè curaturos esse ejusdem Ecclesię cultum pietate, religione, ac assiduâ in sacris rebus peragendis diligentiâ usque magis augere, quatenùs Domus Dei, cujus omnis gloria est ab intùs, quantò sit nitidior aspectu, tantò magis sanctitate refulgeat; memores enim esse debetis Vos in ea Civitate, quæ totius Provinciæ Princeps, & Caput est, degentes, reliquis omnibus circumquaque sparsis Ecclesiasticis Viris propositos esse, veluti quoddam exemplar, in quod ipsi meritò oculos coniiciant, ac inde sumant, quod imitentur. Has sanè muneris vestri partes ut alacriùs pergeretis obire, proventibus vestris incrementa parare non prætermisimus. Omnia hæc propensæ nostræ voluntatis argumenta plurimi à Vobis fieri ex literis vestris libenter agnovimus; quas enim gratias Nobis luculento verborum officio agitis, enixis ad Aras precibus perpetuò relaturos esse profitemini, quo nullum sanè præclarius, atque aptius specimen gratæ, ac filialis devotionis Paterno nostro amori rependi à Vobis potest, Dilecti Filii, quibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima octava Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Grati animi significationes, quas Collegium Doctorum Civitatis Urbini sibi detulerat ob assignatum eisdem Doctoribus fixum, perpetuumque locum inter Judices Rotæ Maceratensis, benignè excipit, ac eos ad sustinendam præfati Collegii dignitatem, & nomen incendit.

Dilectis Filiis Priori, & Doctoribus Collegii Civitatis Urbini.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Ubi primùm ad ornandam præclaro aliquo Pontificiæ beneficentiæ documento Patriam nostram dilectissimam animum adjecimus, non potuit Nobis non statim occurrere Ordinis vestri memoria, quo in Ordine & Nos aliquandò fuisse non sinè voluptate meminimus, quemque propterea singulari, & planè intimo benevolentiæ sensu complexi omni tempore sumus, & nunc maximè complectimur. Illius itaque dignitati amplificandæ, excitandisque ad studia laudabilium disciplinarum, & præsertim Jurisprudentiæ, quæ adeò Reipublicæ est usui, Civium animis non parùm conducere posse rati, ut è Collegio vestro aliquis inter Judices Rotæ, ut vocant, Maceratensis perpetuò censeatur, eum Vobis locum addicendum fore putavimus, & reipsa nuper addiximus. Gratum id Vobis prætermodum accidisse audivimus tùm ex literis vestris, in quibus egregium, & sanè Filiale vestrum erga Nos obsequium mirificè elucet, tùm etiam uberiùs ex disertâ admodùm, & luculentâ Oratione Dilectorum Filiorum Dominici Riveræ, Camilli Antaldi, & Roberti Vallubii, ex quibus vicissim percipietis quàm propensam, & verè Paternam geramus, atque gesturi perpetuò simus in vestra ornamenta, & commoda voluntatem. Illud interim vehementer à Vobis petimus, ut muneris vestri partes sedulò obeuntes, celeberrimi istius Collegii dignitatem, & nomen sustinere cum laude curetis, adeòque beneficiis, ac privilegiis amplissimis, quibus ad invidiam usque præclarissimarum Civitatum ab Apostolicâ Sede ornati hucusque fuistis, Vos omni ex parte dignos ostendere satagatis. Superest, ut respondentes Paternæ charitati, qua Vobis felicia omnia indesinenter à Deo precamur, præsidia Nobis cœlestia jugi apud Deum ipsum prece comparetis, & Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur Dat. Romæ &c. 18. Augusti 1705. &c.

ARGUMENTUM

Nuncii Apostolici ab Aulâ Viennensi dimissionem vehementer dolet. Nullam ejusmodi facti causam Imperatori præbuisse ostendit. Scandala indè orta, & gaudium ab Hæreticis suscipiendum ob oculos ponit. A' Rege Poloniæ, qui Pacificatoris partes inter Sacerdotium, & Imperium agebat, enixè petit, ut Cæsareum animum ad jui tiæ semitam, & æquiora consilia adducere studeat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Augusto Poloniæ Regi Illustri.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Nel punto istesso, che ci giunge l'avviso dell'intimazione fatta al nostro Nunzio in Vienna di doversi allontanare da quella Corte, prendiamo la penna per darne parte alla M.V.con la spedizione di un'Espresso, ben persuadendoci,che siccome sarà per riuscirle assai strano un passo sì ingiurioso alla Sede Apostolica, & al Ministro Pontificio, massime fatto nella pendenza della mediazione da Lei interposta per il ristabilimento della necessaria corrispondenza trà il Sacerdozio, e l'Imperio; così non lascierà la M. V. col suo savio accorgimento di ben prevedere le infelici conseguenze,che saranno per succederne con trionfo degl'Eretici,e con confusione de Cattolici. Certamente Noi non vogliamo avere sinderesi di non haver fatto tutto ciò, che possiamo per impedire un scandalo sì grave, e quando abbia à seguire, vogliamo per qualche conforto dell'infinita amarezza, che ce ne risulterà, havere almeno la consolazione di poter dire con verità, che non ne sia stata nostra la colpa. A questo oggetto ci siamo risoluti di scrivere alla M. V. la presente lettera di nostro pugno, e con averle semplicemente indicata la contingenza, in cui ci troviamo, crediamo d'aver detto à bastanza, perche Ella in sì importante rincontro abbia à operare con quell' zelo, che tanto merita la giustizia della causa, con quella forza, che è tanto propria del suo gran cuore, e con quella pietà, che tanto conviene alla Religione, che Ella si è fatto pregio di abbracciare. Ben sappiamo che la M. V. sentirà allegarsi, & esaggerarsi pretesi gravami, e torti da Noi fatti alla Maestà dell'Imperatore, ò à suoi Ministri; mà questo stesso è appunto il maggior torto, che possa farsi al Paterno amore, con cui rimiriamo l'Imperatore, e la sua Augustissima Casa, e di cui siamo sempre pronti à dare ne termini possibili tutte le maggiori riprove,oltre quelle,che in cose non già di poco rilievo, mà della maggior importanza, crediamo d'aver dati assai chiari nel corso del nostro Pontificato. Più non diciamo sù questo argomento, perche confidiamo, che la M.V. più sappia fare di quel, che Noi sappiamo dire. Finiamo con supplicare incessantemente Dio per la quiete, e per la felicità della M.V., alla quale Ella ben vede quanto dal canto nostro sinceramente si contribuisca, e quanto di più bramaressimo di potere fruttuosamente contribuire,e con tutta la pienezza del nostro affetto le diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 20. Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Charissimo in Christo Filio Nostro, Josepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

Charissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Al grave rammarico, che ci recò ne giorni passati l'improvisa partenza dell'Ambasciatore di V. M. da questa Corte, senza essercene stata spiegata alcuna ragione, si aggiunge ora l'altro maggiore dell'intimazione fatta in nome di V.M. al nostro Nunzio di doversi allontanare da Vienna, il che vvol' dire rompersi totalmente il commercio trà il Padre di tutti i Fedeli, e il Figlio maggiore trà tutti li Principi Cristiani in un tempo, in cui più intiero, che mai, lo vorrebbero le pur troppo note, e non mai à bastanza deplorate calamità del Cristianesimo. Ci hà poi molto più sorpreso un tal passo, considerandolo seguito nella pendenza della mediazione interposta dalla Maestà del Rè di Polonia per il ristabilimento dell'antica buona corrispondenza trà questa S. Sede, e l'Imperio, sopra la quale mediazione Noi vivevamo quieti, sperandola fruttuosa. Ben però prevedendo Noi l'infauste conseguenze, che da una tale rottura sarebbero per derivare in pregiudizio del servigio di Dio, e della nostra S. Religione, siamo risoluti di non voler essere rei appresso Dio, nè appresso il Mondo di non aver fatte tutte le diligenze à Noi possibili per impedire un sì grave male. A questo fine scriviamo à V.M. la presente lettera di nostro pugno, pregandola col più vivo, e intimo sentimento del nostro cuore, e anco coll'autorità di Vicario, benche indegno, di Giesù Christo, avvertendola di non tirare sopra di se la colpa di questo publico, e gravissimo scandalo. Per altro l'assicuriamo con quella franchezza, che à tutti dà la retta coscienza, d'esser sempre pronti à rimostrarle colla verità de fatti, quanto abbiano torto coloro, che tentano d'adombrare la mente della M. V. con sognati sospetti contro di Noi. Che però non ci sarà mai grave di render conto delle nostre operazioni, ove quelle venghino esaminate col solo lume della verità, e della giustizia; sicome non ci ritiraremo mai dal dare ne'termini possibili alla M.V. tutti gli argomenti maggiori, che Ella saprà desiderare, del nostro vero, e Paterno amore. Sà Dio, sà il Mondo, e ben sappiamo Noi quel, che abbiamo fatto, e quel che abbiamo ricusato di fare in tutto il corso del nostro infelicissimo Pontificato, anco forse con taccia di aver trascurati gl'interessi di questa Santa Sede, per non allontanarci punto da quella perfetta indifferenza di Padre commune, di cui tanto ci pregiamo, e che tanto conviene à quel Grado, che indegnamente sosteniamo. Non dubitiamo che ciò si conoscerà anco dalla M. V., se, come fermamente speriamo, vorrà seguire gl'impulsi di quella gran pietà, che Ella hà ereditato da suoi Gloriosi Maggiori assieme colla Dignità, e col pregio di primo Difensore della Chiesa. Finiamo con pregare incessantemente Dio per ogni maggior felicità della M. V., e della sua Augustissima Casa; E con tutta la pienezza del nostro Paterno affetto le diamo l'Apostolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 30. Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGVMENTVM

Charissimę in Christo Filiæ Nostræ, Eleonorę Magdalenę Theresię Hungarię, & Bohemię Reginę Illustri in Romanorum Imperatricem Electę.

CLEMENS P.P. XI.

CHarissima in Christo Filia Nostra, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Nella pesantissima afflizzione, che dopo la partenza improvisa dell'Ambasciatore Cesareo da questa Corte, ci hà apportata l'intimazione fatta al nostro Nunzio di doversi allontanare da cotesta di Vienna, non abbiamo saputo appigliarci à consiglio migliore, che à quello di scrivere una lettera di nostro pugno alla Maestà dell'Imperatore del tenore, che la M.V. vedrà nella congionta copia. La fiducia però maggiore, che la medesima, e l'espressioni, che in quella si contengono, abbiano à produrre quel frutto, che bramiamo, dopo il Divino ajuto, al quale con fervorose, & incessanti preghiere siamo ricorsi, viene da Noi principalmente riposta negl'uffizii, e nel fervore di V.M., quale col suo grande accorgimento ben prevedendo le funeste conseguenze, che potrebbero risultare alla Chiesa, e alla Religione da una totale rottura trà il Sacerdozio, e l'Imperio nelle infelici contingenze, nelle quali si trova presentemente la Republica Cristiana, saprà molto bene colla sua insigne pietà, e con quella divozione, che sempre hà dimostrata verso questa S. Sede, farsi argine à sì deplorabili avvenimenti. Più non diciamo, sì perche la causa assai perora da se stessa, come perchè confidiamo, che la M. V. più saprà fare di quel, che Noi sappiamo dire, per sempre più conciliarsi in tal guisa quelle ampie benedizioni celesti, che colli più vivi sentimenti del cuore auguriamo alla M.V. in accompagnamento di quell'Apostolica Benedizione, che con tutta la pienezza del nostro Paterno affetto le concediamo. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 30. Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGVMENTVM

Dilecto Filio Nostro, Leopoldo Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbytero, S.R.E. Cardinali à Kolonitz nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, salutem &c. Postquam improviso, nullâque, ut credimus, justâ impellente causâ, Cæsarei Oratoris ex hac Almâ Urbe nostrâ discessu non parùm animo turbati fuimus, major Nobis doloris occasio accedit ex dimissione nostri, ac Sedis Apostolicæ Nuncii, quam non sine gravi nostrâ, ejusdemque Apostolicæ Sedis injuriâ, Viennę contigisse nuper audivimus, quod planè est eam inter communem omnium Fidelium Patrem,

ac primum,præcipuumque inter Chriſtianos Principes Filium ſocietatem abrumpi eo potiſſimùm tempore,quo eam vigere maximè,imò & arctiùs obſtringi deplorandæ nimis Chriſtianæ Reipublicæ calamitates exigere viderentur. Eò verò magis idipſum Nobis inopinatum ſimul, ac permoleſtum accidit,quòd interpoſitâ Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Auguſti Poloniæ Regis operâ omnem præteritorum diſſidiorum, & controverſiarum materiam feliciter componendam certò ſperabamus. Porrò in quantam Hæreticorum exultationem, & quàm ingens totius Catholicæ Eccleſiæ ſcandalum ceſſura ſit publica hujuſmodi ſimultatis profeſſio, ſatis ipſa per ſe ſpectata tua prudentia deprehendet. Quæ cauſa eſt, ut Circumſpectionis tuæ pietatem eximiam, probatumque erga Sanctam hanc Sedem zelum duxerimus excitandum, quò tuis aliorumque ſtudiis, officiiſque tantum, ſi fieri poteſt, malum, quæve inde malorum ſequutura eſt ſeries, avertatur. Quod ſi id juſto Dei judicio, quamvis occulto Nobis, obtineri nequeat, id unum acerbiſſimo dolori noſtro ſolamen comparaturi ſumus,quod ineluctabili rectæ conſcientiæ teſtimonio nititur; cum nullam planè Chariſſimo itidem in Chriſto Filio Noſtro Joſepho Romanorum Regi in Imperatorem Electo minuendi, aut remittendi Filialis erga Nos amoris cauſam præbuiſſe noverimus,idque etiam,cum opus fuerit, apud æquos quoſcumque rerum arbitros, & æſtimatores oſtendere,& comprobare parati ſumus. Profectò nihil Nobis ab ipſo infelicis noſtri, & undequaque preſſi calamitatibus Pontificatus initio magis cordi fuit, quàm ut communis erga omnes Catholicos Principes Patris, ac nulli partium ſtudio addicti partes adimpleremus, nullamque opportunitatem neglexímus, aut neglecturi in poſterùm ſumus paterni, ac præcipui erga Cæſaris Majeſtatem amoris declarandi. Quæ omnia, & ſi noſtris ipſimet literis Majeſtati Suæ ſatis teſtati ſimus, adhuc tamen & à Circumſpectione tuâ cupimus uberius confirmari, iis etiam additis ſignificationibus, quæ Tibi ad conciliandum Majeſtatis Suæ animum, arcendumque imminens Eccleſiæ ſcandalum, Catholicæque Religionis diſcrimen, Deus ipſe ponens ſermonem rectum in os tuum, ut placeant verba tua in conſpectu Principis, inſpirare dignabitur. Ceterùm quemcumque tandem graviſſima hujuſmodi res exitum habitura ſit, Divinæ voluntati acquieſcentes,conſtanti feremus animo, cum nullam univerſo hoc in negotio,vel inducendis malis admiſſam à Nobis culpam, vel impediendis prætermiſſam fuiſſe diligentiam cogitabimus. Et Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Io. Philippo Tituli S. Silvestri in Capite Presbytero, S.R.E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Quod nuper Vienna nunciatum est, dimissum ab Aula Venerabilem Fratrem Joannem Antonium Archiepiscopum Episcopum Ariminensem nostrum, & Sedis Apostolicæ Nuncium eo Nos dolore, & tristitiâ affecit, qui Paterno, quo Charissimum in Christo Filium Nostrum Josephum Romanorum Regem in Imperatorem Electum amore prosequimur, & cupido pacis, atque ab omni dissidio abhorrenti animo nostro planè respondent. Molestus quidem admodùm Nobis acciderat inopinatus Cęsarei Oratoris ex hac Almâ Urbe nostrâ discessus, deque conciliandâ erga Nos Majestatis Suæ voluntate solicitos ad amicorum officia, ac præsertim Charissimi in Christo Filii Nostri Augusti Poloniæ Regis imploranda compulerat. Verùm dum Nos tuendæ paci, servandæque mutuæ, & necessariæ in primis hoc tempore nostram inter, Cæsareamque Aulam necessitudini omni studio incumbimus, acerba nimis, & importuna videmur injuriâ impeti, qua & ingens universæ Ecclesiæ scandalum, & maxima inimicis nostris, qui simul Dei, & orthodoxę Religionis inimici sunt, exultatio comparatur. Quamobrem huic tam grandi malo, quod multarum calamitatum origo esse potest, pro viribus occurrere cupientes, Circumspectionis tuæ potissimùm operam adhibendam esse censuimus, ut pro eâ, quam geris, amplissimâ Dignitate, quave huic Sanctæ Sedi teneris conjunctione, ac vinculo, gravem adeò Nobis, & eidem Sanctæ Sedi injuriam, quæ Imperio non minùs, quàm Sacerdotio incommoda futura est, amoliri satagas, Cæsaream que Majestatem ad salubriora pacis consilia convertere; neque enim Nos ullam avertendæ à Nobis ejus voluntatis causam præbuisse conscii sumus, quin immò omnia Paterni nostri erga Majestatem Suam amoris, ac benevolentiæ, quantum licuit, argumenta præstitimus, sumusque in posterùm, favente Deo, nostrâque etiam ultrò impellente voluntate, præstituri. Et ista quidem ut Majestati Suæ uberiùs explices, omnique studio, ac diligentiâ suadere cures, vehementer cupimus, quemadmodum & nostris ipsimet literis egimus, ne scilicet (quicumque tandem votorum nostrorum futurus sit exitus) apud Deum, aut homines ullius gravissima hac in re neglectæ diligentiæ rei esse videamur; & Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 30 Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Nostro, Vincentio S. Eustachii Diacono, S.R.E. Cardinali Grimano nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Quem ex inopinato Cæsarei Oratoris discessu dolorem meritò conceperamus, adauxit maximè dimissus indecorè nuper ex Aulâ Viennensi noster, & Sedis ApostolicæNuncius. Utrumque sanè eò Nobis molestius accidit, quò firmius sperabamus, si quid Cæsareæ Majestati minùs gratum contigisset, id omne oblatâ, atque, ut Nobis nunciatum est, Viennæ admissâ Charissimi in Christo Filii Nostri Augusti Poloniæ Regis operâ facilè componendum. Cùm verò res in majorem acerbitatem excrescere videamus, ac deteriora jam inde mala in commune omnium incommodum cessura pertimescamus, compluribus apud Aulam Cæsaream officiis, nostrisque etiam datis ad Charissimum itidem in Christo Filium Nostrum Josephum Romanorum Regem in Imperatorem Electum literis egimus, ut imminentibus Sacerdotium inter, & Imperium dissidiis obviam iremus. Huic porrò rei Circumspectionem tuam, cui ob sublimem, quam in Ecclesia sustines, Dignitatem Apostolicæ Sedis rationes maximè cordi esse non dubitamus, omni operâ, ac studio adlaboraturam omninò credimus, nostrisque etiam hisce adhortationibus excitamus, ut generosum, ac pium Augusti Principis animum pro eâ, quà apud Ipsum authoritate polles, ad salubriora pacis consilia inflectas, deque Paternâ nostrâ in eum voluntate, atque amore certiorem facias. Quidquid enim nostri, qui & Dei simul, & Religionis sunt, inimici obloquantur, certi sumus nihil Nos admisisse unquam, aut animo concepisse, quod aut à communis Christianorum omnium Patris munere absonum, aut à peculiari erga Cæsaream Majestatem amore alienum fuerit: Ut propterea mutuâ Nobis benevolentiâ minimè responderi summâ quidem justitiâ conqueramur, parati etiam, ubi opus fuerit, omnem nostram agendi rationem apud æquos quoscumque rerum arbitros comprobare. Cetera Deo, qui cordium scrutator est, libenter committimus, æquo, constantique laturi animo quidquid post adhibitam à Nobis omnem avertendis Ecclesiæ malis diligentiam sit eventurum. Et Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Francifco Archiepifcopo Moguntino, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, falutem &c. Exploratum Fraternitati Tuæ effe credimus, quod poftquam Dilectus Filius Nobilis Vir Comes de Lamberg, Orator apud Nos Cæfareæ Majeftatis ab Urbe, nullâ confilii fui explicatâ causâ, de repente difceffit, denunciatum fubinde fuerit Venerabili Fratri Joanni Antonio Archiepifcopo Epifcopo Ariminenfi noftro viciffim ad eamdem Majeftatem Nuncio, ut ab eâ Aulâ ftatim recederet. Quantam Nos, hoc audito, moleftiam perceperimus, non eft cur multis fpectatæ tuæ prudentiæ explicemus, nam præterquam parvipenfam eâ in re effe cognovimus hujus Sanctæ Sedis dignitatem, acerbè doluimus obtinuiffe demùm nonnullorum confilia, ut hoc facto abrumperetur mutua illa inter communem Fidelium Patrem, præcipuumque ex omnibus Chriftianis Principibus Filium voluntas, quàm cùm deceat femper effe conjunctiffimam, nunc maximè expedit propter notas nimiùm, ac nunquam fatis deploratas calamitates, quibus univerfus Chriftianus Orbis involvitur. Quo quidem inopinato eventu eò magis correpti, ac perculfi fumus, quò certò confidebamus expediendas ftatim effe difficultates, quæ intercedere dicebantur, per tractatum à Chariffimo in Chrifto Filio Noftro Augufto Poloniæ Rege pridem initum, atque in hac fpe, & in expectatione facilis, ac felicis exitus omninò conquiefcebamus. Nunc verò re huc deductâ perpendentes, quàm gravia fcandala contingere poffint Ecclefiæ, fi Cæfar pergat palàm facere effe animo à Nobis alieno, ftatuimus curam omnem, ac diligentiam coram Deo, ac hominibus adhibere in præcavendis, ac avertendis malis, quæ inde multa, ac magna confequi poffunt, ne, iis fortè aliquando evenientibus, hoc faltem folatio deftituamur, quòd eorum causa tribui Nobis jure non poffit. Quinimò probè confcii, quod toto noftri, ceteroquin infeliciter acti, Pontificatus decurfu ne minimum quidem à communis Patris officio defleximus, fed æquum femper erga omnes animum inter fummas difficultates in graviffimis Reipublicæ negotiis Dei ope præftitimus, non gravabimur de iis, quæ à Nobis gefta funt, rationem ad veritatis, ac juftitiæ lumen expendendam, ubi opus erit, afferre: parati infuper Cæfareæ Majeftati, prout ad ipfam manu noftrâ exaratis literis fcribimus, præcipua Paternæ noftræ charitatis, ac benevolentiæ argumenta, quoad rectè fieri poterit, exhibere. Hæc Nos, quoniam eximiam pietatem Fraternitatis Tuæ, quanti par eft, facimus, non reticenda Tibi, imò omninò explicanda effe duximus, confifi Te pro enatâ occafione fedulò acturum effe, ne hujufmodi diffidium progrediatur, undè magna Ecclefiæ, ac Catholicæ Religioni, hoc præfertim perturbatiffimo rerum publicarum ftatu, parari poffunt incommoda, ac detrimenta; Et Fraternitati Tuæ Apoftolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die trigefimâ Augufti 1705. &c.

Archiepifcopo Trevirenfi S. R. I. Principi Electori: eodem exemplo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Christiano Augusto, Episcopo Jaurinensi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, salutem &c. Etsi cor nostrum Nos non redarguat, quòd ulla unquam Cæsareæ Majestati minùs propensæ in eam voluntatis argumenta præbuerimus; quia tamen celerem, inopinatumque Oratoris ejusdem Majestatis ab Urbe discessum consecuta est non multò post, nec sinè manifestâ hujus Sanctæ Sedis injuriâ, dimissio Apostolici Nuncii ab Aulâ Imperiali, nullus jam superest ambigendi locus, quin Cæsari, quorundam in eamdem Sedem malè animatorum operâ, persuasum sit magnas sibi causas subesse, quamobrem de Nobis, deque rebus nostris graviter conqueratur. Verùm nihil tam Nobis esset optandum, quàm ut causæ hujusmodi, seclusis præjudiciis omnibus, solo veritatis, ac justitiæ lumine introspicerentur: id quod Charissimus in Christo Filius Noster Augustus Poloniæ Rex, inito paulò ante de hac re tractatu, præstare curabat; liqueret enim quot umbræ offusæ sint, quàm multa fuerint in deteriùs explicata, ut Majestatis Cæsareæ animus, à Nobis averteretur. Nos interim, qui communis Patris officium in summis inter Christianos Principes negotiis inconcussè hactenùs, Deo dante, custodivimus, non gravabimur eorum, quæ à Nobis gesta sunt, rationem, ubi res exposcet, reddere, nec umquam abnuemus Cæsareæ Majestati, prout ad eam manu nostrâ exaratis literis scribimus, præcipua, ac congrua paterni amoris argumenta deferre; cum constitutum apud Nos sit nullam prætermittere diligentiam, ne contingant in Ecclesia ea scandala, quæ in hoc rerum statu oriri facilè possunt, quorum culpam omnem à Nobis coram Deo, & hominibus amoliri volumus, conscientiâ deinde, ac Deo ipso freti cetera ejusdem supremæ voluntati commissuri. Eximia, quam de præstanti zelo, ac prudentiâ Fraternitatis Tuæ gerimus, opinio facit, quod Te de his omnibus certiorem reddamus, confisi quod pro filiali tuo in Nos studio eximi cor nostrum ab his curis optes, & ubi res feret, solerter curaturus sis. Fraternitati interim Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesimâ Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Principi Carolo à Lotharingia, Electo Osnabrugensi eod. exem. mut. mut.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Francisco Ferdinando Episcopo Tinniensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. Non facilè verbis consequi possumus, quantâ molestiâ, animique amaritudine affecti simus ex eo, quòd Charissimus in Christo Filius Noster Josephus Romanorum Rex in Imperatorem Electus Oratorem apud Nos suum hinc primùm abire jusserit: nuperrimè verò Nuncio quoque nostro Apostolico apud Ipsum residenti denunciari mandaverit, ut ex Aulâ Cæsareâ discedat quamprimùm, nullâ Nobis utriusque consilii significatâ ratione. Id autem eò etiam gravius, & acerbius Nobis accidit, quò magis accidit inopinatum; firmiter enim sperabamus curâ, & operâ Charissimi itidem in Christo Filii Nostri Augusti Poloniæ Regis, qui pristinam inter utramque Aulam amicitiam redintegrandam susceperat, rem facilè transigi posse, Eoque ejusmodi reconciliationem pertractante nihil omninò innovandum fore pro certò Nobis pollicebamur. Quæ verò proximè acta sunt, cum satis apertè declarent Majestatem Suam omne commercii genus inter communem universorum Christifidelium Parentem, ejusque Primogenitum Filium penitùs diremptum velle, idque eò præcipuo tempore meditari, quo si unquam aliàs, afflicta, & planè luctuosa Christianæ Reipublicæ facies commercium ipsum reparari, ac vigere maximè postulabat, ingentem profectò solicitudinem in Pontificium animum induxere. Quantùm enim ex ejusmodi dissidio in pios Fideles mœroris, in Ecclesiam scandali, in Religionem ipsam orthodoxam detrimenti promanaturum sit, satis superque perspicimus, ac impensissimè dolemus. Quocircà ne culpæ nostræ imputari umquam possit, quòd partes ingentibus hisce malis avertendis idoneas prætermiserimus, & quatenùs averti nequeant, ut saltem fidenti quidem animo coram Deo, & hominibus profiteri possimus eâ absque ullâ prorsùs culpâ nostrâ contingere, muneris nostri esse duximus, ut plures alios Dignitate, & nomine præstantes Viros, ita etiam Fraternitatem Tuam hortari, quemadmodum majori, quo valemus, animi nostri studio Te hortamur, ut pro eâ, quâ pollere Te novimus, pietate, Religionis zelo, & erga hanc Sanctam Sedem devotione, ac reverentiâ, gravissimis impendentibus calamitatibus occurrere velis, Cæsaream Majestatem diligenter, enixèque rogando, ut Personæ, quam sustinet, Juris jurandi, quod emisit, Religionis, cujus Vindex, ac Defensor est, memor, à suscepto consilio fovendi perniciosissimum hoc dissidium se revocari patiatur, serièque cogitet, quàm ab avitæ pietatis exemplis alienum, quàm Cæsareo etiam nomini indecorum fuerit Imperii primordia ab apertis cum Ecclesiæ Capite simultatibus auspicari. Secum prætereà reputet præcipuas suas partes pro eâ, quam obtinet, Imperii Majestate non alias esse debere, quàm in tuendâ Romani Pontificis, Romanæque Ecclesiæ dignitate, quàm Religiosissimi, inclytique Imperatores Majores sui non tantùm tueri, verùm etiam augere semper, atque amplificare pro viribus studuerunt. Nos certè, etsi nequaquam conscii Nobis simus quidquam hactenùs admisisse, quod communis Parentis officio minùs congruere videatur, eumque locum perpetuò, ut decet, custodire diligentissimè curaverimus, non ta-

men de iis, quæ hucusque gessimus, rationem reddere detrectabimus, ubi ea ex veritatis, ac justitiæ normâ discutienda fuerint: ac insuper Cæsareæ Majestati ea omnia præcipuæ nostræ, ac verè Paternæ dilectionis argumenta exhibere parati sumus, quæ nostræ, & huic Sanctæ Sedis dignitati consentanea videbuntur. Utere igitur, Venerabilis Frater, egregiâ, quam Tibi offerimus, occasione de Nobis, deque Apostolicâ Sede præclarè merendi, imò de ipsâ Cæsareâ Majestate, ad cujus gloriam pertinet luculenter constare se clarissimorum ejus Prędecessorum non modò Imperii Successorem, sed etiam pietatis, ac in Ecclesiam reverentiæ hæredem esse. Tibique, Venerabilis Frater, Pontificiæ benevolentiæ pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Augusti 1705. &c

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Religioso Viro Patri Inghelberto Bicoff è Societate Jesu Cæsareæ Majestatis Confessario.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, salutem &c. Inficiari non possumus gravissimum Nobis fuisse, quòd Charissimus in Christo Filius Noster Josephus Romanorum Rex in Imperatorem Electus palàm explicare voluerit se alieno animo esse à Nobis: in cujus rei argumentum nostrum, & hujus Sanctæ Sedis Nuncium ab istâ Aulâ dimiserit, & pridem in hunc scopum mandaverit suo apud Nos Oratori, ut ab Urbe repentè abiret, quemadmodùm ille quidem nullâ interpositâ morâ, nullâque discessus sui explicatâ causâ executus est. Consilium hoc à Majestate Cæsarea susceptum dicitur, quòd minùs propensum in eum esse Paternum nostrum animum ex iis, quæ hìc acta sunt, conjicere potuit; quæ acta si ii, qui in deteriùs apud Ipsum ea interpretati sunt, suasissent ad normam veritatis expendi, quod ipsum fieri curabat, inito paulò ante tractatu, Polonici Regis Majestas, non dubitamus quin Cæsar, quâ est æquitate, atque prudentiâ, inspectis omnibus intellexisset utrum de nostrâ erga Eum voluntate meritò conqueri posset. Etsi autem Nos, qui communis inter Christianos Principes Patris officio, quo ceteroquin immerentes fungimur, numquam Dei ope defuisse pro certo habeamus, conscientiâ nostrâ, & Deo freti omninò conquiescere deberemus: cum tamen peroptemus, ut eidem Cæsareæ Majestati exemplo Prædecessorum suorum integrum sit nomen Austriacæ pietatis, cumque soliciti simus, ne umquam mala, & scandala, quæ propterea multa, ac magnâ oriri fortè possunt in Ecclesia, Nobis tribuantur, neve silentium nostrum culpæ Nobis aliquandò vertatur, eidem Majestati literis nostrâ manu exaratis, & notis doloris nostri respersis, sensus nostros Paternâ charitate explicavimus, multisque præterea præcipui isthìc nominis, & authoritatis Viris palàm ediximus Nos nunquam eorum, quæ gessimus, rationen apud æquos rerum æstimatores reddere detrectaturos, quinimò eidem Majestati summâ, quantùm licebit, amoris nostri argumenta daturos. Sed quoniam Tibi tùm pro loco, quem apud Eum obtines, tùm pro tuâ ipsius probitate, atque rectitudine, cordi valdè fore credimus, ne hoc dissidium, quod tam bonis omnibus luctuosum, quàm fidei hostibus gratum, atque ju-

cundum fieret, ulteriùs progrediatur: Te impensè hortamur, ut quemadmodùm tui muneris exigit ratio, revocare ab hoc proposito Cæsareum animum studeas, & gravissimis, quibus undique obruimur, curis solatium per conciliatam præstantissimi Filii voluntatem, quod certè auspicatissimum erit ejus Imperio, pares, dum Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Augusti 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Experti sæpè sæpiùs egregiam Nobilitatis Tuæ erga Nos voluntatem facere non possumus, quin Tibi explicemus intimum, acerbissimumque dolorem à Nobis perceptum audito, quòd Venerabilis Frater Joannes Antonius Archiepiscopus Episcopus Ariminensis Nuncius noster apud Charissimum in Christo Filium Nostrum Josephum Romanorum Regem in Imperatorem Electum fuerit ab eâ Aulâ dimissus, ex quo æqua, & congrua ratio Cæsarei Nominis, ut dicebatur, habita non fuerit hìc in Urbe, unde etiam non multò ante Orator ejusdem Majestatis se repentè subduxerat. Quâ in re præter id, quod Dignitatem hujus Sanctæ Sedis attingit, causam adductam expendentes dolemus, quod ex iis, quæ de Nobis allata sunt ad Cæsaream Majestatem, eadem conjicere potuerit imminutam esse Paternam nostram in Eam charitatem, quam tamen magnam, atque constantem perpetuò gessimus. Quæ eò graviora Nobis acciderunt, quò compertum Nobis erat Majestatem Polonici Regis in id incumbere, ut obortas inter utramque Aulam difficultates componeret, & utriusque nostrum animos in eamdem voluntatem (quod certè plurimùm expediet afflictis Reipublicæ rebus) conjungeret. Nunc verò abrupto hujusmodi tractatu, cum probè intelligamus, quibus scandalis proponatur Ecclesia, si pergat Cæsar alieno à Nobis animo esse, ne periculi neglecti coram Deo, & hominibus rei aliquando videamur, certum Nobis est omni studio, ac diligentiâ, & iis, quibus rectè possumus, mediis occurrere imminentibus malis, quæ si fortè, Deo permittente, evenerint, Nos sin minùs doloris, culpæ saltem erimus expertes. Et quamvis communis Patris officio non modò non defuisse, sed in eodem inter summas temporum difficultates inconcusè stetisse pro certo habeamus; nihilominùs exactam eorum, quæ gessimus, rationem ad veritatis, ac justitiæ lancem expendendam reddere non gravabimur, ac parati sumus Cæsareæ Majestati, quemadmodùm ad Ipsam manu nostra exaratis literis scribimus, ea, quæ magis congrua erunt, Paternæ nostræ benevolentiæ argumenta deferre. Nobilitatem itaque Tuam, cujus virtutem, ac prudentiam præcipuis documentis Nobis declaratam plurimi facimus, rogamus, ac obtestamur, ut officia sua in re, quæ ad commendationem Cæsarei Nominis magnoperè pertinet, diligenter impendere velit; non enim tam soliciti sumus,

ut rebus noſtris conſultum ſit, quàm ut integra, & conſtans apud omnes Auſtriacæ pietatis commendatio jugiter vigeat. Et Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Agit de libertate Principibus Jacobo, & Conſtantino Sobieski reſtituenda, quam iterùm Regi Poloniæ commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Col ſuppoſto, che così foſſe di ſodisfazione della M.V., anzi, che così ſi foſſe con Lei concertato, cioè che per il Principe Giacomo Sobieski doveſſe dar cauzione l'Imperatore, e per gl'altri due Fratelli doveſſimo Noi aſſicurare, che ſarebbero ſtati in Roma, ſinche foſſero intieramente ceſſati li preſenti torbidi di Polonia, ſcrivemmo ſin dal primo del cadente meſe alla M.V. una lettera, di cui ora le accludiamo un dupplicato. Sentiamo ora, che il Principe Aleſſandro poſſa eſſerſi allontanato da Uratislavia. Non vorreſſimo, che tale accidente alteraſſe quelle buone diſpoſizioni, che forſe la M.V. poteva antecedentemente avere per la liberazione de' Fratelli; Supponendociſi però, che ciò ſia ſeguito per inſinuazione fattagliene giungere dall'Imperatore, e che l'iſteſſo Principe Aleſſandro poſſa aver fatto ſapere alla M.V. d'eſſer pronto à partire dal luogo, ove ſi trova, e venire à Roma, ogni volta che gli venga dato il modo di poter fare ſenza pericolo il ſuo viaggio, V.M. averà ben li rincontri di tale verità, per regolare da quelli le proprie riſoluzioni, che bramiamo favorevoli alla ſoſpirata liberazione de' ſudetti Principi. E con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto diamo alla M.V. l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 31. Auguſti 1705. &c.

ARGUMENTUM

Quòd Conſtitutionem Apoſtolicam ad extirpandas Janſenianæ hæreſis reliquias editam debitâ reverentiâ exceperit, Archiepiſcopum Mechlinienſem laudat, ac ut eam ab omnibus illius Paſtorali curæ ſubjectis exactè obſervari curet, vehementer hortatur.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Mechlinienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quòd editam nuper à Nobis ad eliminandas Janſenianæ hæreſeos reliquias Conſtitutionem omni, quæ verè Catholicum, & Religioſum decebat Antiſtitem, reverentiâ exceperis, pergratum quidem Nobis, & perſpectæ ſimul pietati tuæ, ac

ſingulari,quo ferves Orthodoxæ Fidei tuendæ zelo conſonum fuit. Quòd verò Nobis eâ de re gratulari volueris, peculiaris inſuper erga Nos, & hanc Sanctam Sedem obſervantiæ tuæ Nobis argumentum extitit. Debitas propterea pro utroque officio præſtito laudes Fraternitati Tuæ libenter impendimus, votiſque tuis apud Deum noſtra conjungimus, ut extinguendis prorsùs erroribus, Eccleſiæque paci reſtituendæ prædicta Conſtitutio noſtra proficiat. Id verò in regionibus veſtris, maximè de Fraternitatis Tuæ opera, ac ſtudio, quo apud omnes Paſtorali Tuæ curæ ſubjectos debitam eidem Conſtitutioni obedientiam curaturum Te minimè ambigimus, Nobis, favente Domino, pollicemur, nihil planè omiſſuri, quo & ſuſtinendæ catholicæ Fidei cauſæ, & promovendis etiam, ubi ſe occaſio dederit, commodis, ac dignitate tuâ, ſedulam Apoſtolici Muneris noſtri operam præbere, præcipuamque dilectionem, quâ Te paternè amplectimur, declarare poſſimus, & Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Septembris 1705. &c.

ARGUMENTUM

Sedis Apoſtolicæ Jura in controverſia Quindenniorum explicat Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi, ejuſque opem, ac officia requirit, ut illam Aulam à pernicioſis conſiliis revocet, & ad juſtitiam faciendam adducat.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Latere non poteſt Fraternitatem Tuam quàm leniter hactenus, & quanta charitate Jura Apoſtolicæ Sedis, quæ ſarta tecta cuſtodire tenemur, proſecuti ſimus in negotio Quindenniorum adversùs eos, qui hujuſmodi Jura agnoſcere detrectabant, cum tamen ejuſdem oneris, à cujus ſolutione paulò ante deſtiterant, ignorantiam nullam affectare poſſent; ſperandum enim Nobis omninò videbatur, quòd in re tùm antiquis, tùm ſanè inconcuſſis titulis fultâ eſſent demùm Juſtitiæ, ac veritati acquieturi. Verùm longanimitate noſtrâ adeò non profecimus, ut illi ipſi ad confovendam contumaciam ſuam Regias prærogativas obtendere, & quaſi exadverſo opponere, non ſecus ac ſi novum aliquid contra eas à Nobis induceretur, omni ſtudio curaverint; & quamvis compertum Nobis eſſet Venerabilem Fratrem Michaelem Angelum Archiepiſcopum Tarſenſem Nuncium iſthìc noſtrum nihil omiſiſſe, ut de conſtanti ubique locorum in ſimilibus obſervantiâ, deque indubiâ eorundem Jurium (ſecluſo quovis Privilegio) ad hanc Sedem pertinentiâ eos, quos oportebat, admoneret, antequàm ipſe ad ea media progreſſus eſſet, quæ reluctantes ad debiti ſatisfactionem compellere poterant, nihilominùs, ne propter excitatas, ut præfertur, circa aſſertas prærogativas difficultates ullatenùs ambigi poſſet de voluntate, quâ ſumus erga Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Petrum Portugalliæ, & Algarbiorum Regem, datis tùm ad Ipſum, tùm ſubinde ad Chariſſimam item in Chriſto Filiam Noſtram Catharinam Magnæ Britanniæ Reginam Viduam, quæ tùm quidem Regni iſtius negotiis præerat,

non

non semel literis,curavimus rem totam usque ab origine explicare, ex quibus satis, superque constare poterat omni æquitati Jura Quindenniorum inniti. Quia verò isthic fortè non desunt, qui non tam quæ vera sunt, quàm quæ commoda, aut grata fore arbitrantur, ingerere Principum auribus non desinunt, & tùm demum se obsequium Dominis præstitisse autumant, cum eorum Jura præter constitutos terminos protrahere conantur, nihil facientes scandala quæcumque tandem inde oriri possunt, nec reputantes, quod qui seminat mala in sulcis injustitiæ, metet ea in septuplum, Nos, etsì confidamus ipsum Regem,quâ est pietate, ac prudentiâ,non admissurum esse consilia, quæ Nos ad graviores deliberationes suscipiendas impellere necessariò valeant, neque passurum esse ullum debitæ in nostram, atque in hujus Sanctæ Sedis dignitatem, observantiæ argumentum in personâ Apostolici Nuncii à Nobis desiderari, solicitudinis tamen nostræ esse duximus Fraternitatem Tuam hortari, ut arreptâ hac occasione explicandi zelum, quo Te fervere par est pro loco, quem obtines, congruis significationibus, & liberâ voce utrique Majestati testeris, atque denuncies, quantùm perspectæ earum pietati, quantùm etiam nominis laudi detrahi contingeret, ubi hujusmodi consiliis adhærere viderentur, nec reticere velis causam scandali, quæ in Fidelium animis propterea excitaretur, multòque gravior occasio illudendi Religioni nostræ,quæ suppeteret Acatholicis nostras res in deterius semper efferentibus. Dum verò non dubitamus, quin hoc tui in Nos studii testimonium Nobis reddere satagas, & quin salutare hoc officium apud religiosissimos istarum Majestatum animos tam utiliter impendatur, ut ab omni Paterni nostri cordis amaritudine exolvamur, Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima Octobris 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Archiepiscopo Bracharensi, & Inquisitori Generali Portugalliæ: Eodem exemplo.

ARGUMENTUM

Injurias à Moschis illatas Catholicis, atque etiam nonnullis Monachis Ordinis S. Basilii in Regno Poloniæ dolet, & Episcopum Chioviensem, ut eosdem afflictos Fideles consolari, opportunisque monitis illorum constantiam roborare velit, hortatur.

Venerabili Fratri, Leoni Episcopo Chioviensi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, salutem &c. Perculsi repentino monitu gravissimi periculi imminentis Fidelibus istarum partium,imò etiam illati nonnullis Religiosis Viris Ordinis Basiliani,Ecclesiæ Romanę in Catholicæ Religionis professione unitis, quemadmodum percepimus ex literis Fraternitatis Tuæ, à Venerabili item Fratre Horatio Philippo Archiepiscopo Episcopo Lucensi Nuncio nostro ad Nos transmissis, intimo cum dolore coram Deo procubuimus enixè eum rogantes, ne qui misericordiæ fons est, sinat sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum effundi, nec patiatur per manus hostium Fidei pollui templum sanctum suum, nec demum deserere velit servos suos in tempore malo. Omnem verò, quam possumus,

opem rebus iſtis afferre ſoliciti, Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem illicò monuimus, ac ferventi ſtudio obſecravimus, ut ea ſtatim deligat media, ineatque conſilia, quæ ad eximendos à tot malis, atque calamitatibus Fideles iſtos magis expedire arbitrabitur, nihilque intentatum relinquat in hoc negotio, in quo Divini honoris cauſa manifeſtè agitur, ſi velit Deum ſibi, rebuſque ſuis propitium habere, quod etiam faciet ad conciliandam ipſi arctiùs Pontificiam noſtram benevolentiam. Interim oportet, ut Fraternitas Tua hac occaſione zelum ſuum, ſiquam unquam, proferat, palàmque explicet, & tùm exemplo, tùm monitis curet Fidelibus ſibi commiſſis in tanto periculo animos addere, ne ob ingruentem adverſitatem plus nimiò commoveantur, aut ne fortè vitæ, aut terreni commodi amore ducti, animæ, quæ longè maximi eſt pretii, jacturam faciant, ſed imò quò magis impelluntur, ut cadant, eò magis adhæreant veritati, ſcientes quod id, quod in præſenti eſt momentaneum tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in Nobis. Ingens itaque apud Deum meritum pro magnitudine occaſionis comparare ſibi ſatagat Fraternitas Tua, cui Nos veram in Deo fortitudinem, & conſtantiam apprecantes, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die decimâ ſeptimâ Octobris 1705. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Epiſcopo Luceorienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ingentibus curis, quibus pro præſenti luctuoſiſsimo Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu circumdamur, additus profectò eſt cumulus, ubi audivimus, quid actum ſit non ita pridem in Civitate Plocenſi adverſus nonnullos Religioſos Viros Ordinis Sancti Baſilii, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in cultu Catholicę Fidei unitos, & quidem caſus gravitate, & acerbitate prætermodum commoti, ac perturbati metuentes etiam, ne aliis item Fidelibus ſimilia pericula impendeant, vota noſtra cum gemitu ad Deum effudimus ad exorandam pacem, atque incolumitatem Eccleſiæ, ejuſdemque filiis congruam in tanta adverſitate conſtantiam. Graviſsimis deinde verbis per Venerabilem Fratrem Horatium Philippum Archiepiſcopum Epiſcopum Lucenſem Nuncium noſtrum admoneri voluimus Majeſtatem Regis Poloniæ, ut eâ, qua par eſt, diligentiâ, omnique ſtudio, & quibus poterit officiis, ac mediis compeſcere ſatagat excitatam adverſùs populos Eccleſiæ fideles procellam, ne ſi forte remiſsiùs in re tam proximè Catholicam Fidem reſpiciente ſe geſſerit, neglecti Divini honoris reus judicetur. Verùm quod Pontificiæ noſtræ ſolicitudinis in primis eſt, & præcipuum etiam ſtudium Catholicorum Antiſtitum eſſe debet, curandum eſt, ne Fideles in hoc periculo conſtituti abduci patiantur à gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ. Qua in re Fraternitatem Tuam nedum ſedulam, ſed etiam invicto zelo (ut decet Catholicum Antiſtitem) maximè incenſam eſſe cupimus, ac pro ſpectatâ ſuâ virtute fore confidimus, cujus quidem pii laboris, & egregii

ope-

operis, præter summam laudem, amplissimam mercedem à bonorum omnium Retributore relaturum Te esse ambigere non debes; quod ut feliciter Tibi, Dei ope, contingat, Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimâ septimâ Octobris 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Cardinali Destræo, qui Constitutionem à Sanctitatæ Sua paulò ante adversùs Janseniani erroris reliquias editam laudaverat, benignè respondet, & quid potissimùm in eâ propositum sibi fuerit, explicat.

Venerabili Fratri Nostro, Cæsari Episcopo Albanensi, S.R.E. Cardinali Destræo nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater Noster, salutem &c. Perjucundæ Nobis fuerunt Circumspectionis tuæ literæ, quas nuper Dilectus Filius Magister Urbanus Georius utriusque nostræ Signaturæ Referendarius non Tibi magis, quàm Nobìs acceptissimus ad Nos detulit, & pluribus etiam constantis observantiæ erga Nos tuæ significationibus cumulavit. Respondent ista quidem egregiæ, quàm de humanitate tuâ gerimus, opinioni, cujus, tametsi nova minùs necesse fuit argumenta Nobis accedere, gratissimum tamen accidit ea prædictis in literis tuis abundantiùs agnoscere. Quòd verò ad nuper editam à Nobis adversùs Jansèniani erroris reliquias Apostolicam Constitutionem attinet, minimè Nobis ambigendum fuit, quin probis omnibus Catholicæ Fidei zelatoribus placitura maximè esset, ac præsertim Tibi, cujus eximia pietas, tuendæque Religionis ardor perspecta satis jampridem, atque probata Nobis extiterant. Nos autem, quemadmodum in eâ condendâ Constitutione, nihil præter Dei gloriam, orthodoxæque Fidei puritatem, præ oculis habuimus, ita sat laudis ex eadem Nos assequutos esse arbitrabimur, si errantibus viam, caligantibus lucem, Ecclesiæ tranquillitatem restitutam inde noverimus, finemque tandem impositum tot ingeniorum quærentium sapere plus, quàm oportet, dissidiis, quæ contentionem magis præstant, quàm ædificationem. Hæc quidem vota nostra sunt, quibus tua maximè consentire gavisi sumus. Intereà dum de propensâ erga Te maximè Pontificiâ voluntate nostrâ certiorem Te esse volumus, occasionesque, quibus Paternum Tibi amorem, benevolentiamque magis, ac magis testatam facere possimus, avidè præstolamur, quâ de re etiam prædictus Magister Urbanus animi nostri conscius Te uberiùs instruet, Apostolicam Tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Octobris 1705. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Ludovico Antonio Tituli S. Mariæ ſuper Minervam Presbytero, S. R. E. Cardinali de Noailles nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Gratulationem ampliſsimam, quam de nuper à Nobis editâ Conſtitutione literis tuis omni humanitate plenis exhibuiſti, libenti quidem animo excepimus, ſed vel ex eo gratiora Nobis officia extiterunt tua, quod ea non ad humanæ noſtræ laudis, ſed Divinæ potiùs gloriæ, Catholicæque Fidei cauſam retuliſti. Neque enim par eſt eum, qui univerſæ Eccleſiæ, meritis licet imparibus, Divinæ tamen providentiæ inſcrutabili judicio, præſidet, propriis, ac privatis, ſed publicis dumtaxat Chriſtiani Populi rationibus duci, dum præſertim pro commiſſo ſibi divinitùs Apoſtolico munere ſervanda omnibus Chriſtifidelibus Decreta præſcribit. Quod verò magnam, ut aſſeris, ex prædictâ Conſtitutione lætitiam expertus fueris, perſpectæ quidem eximiæ pietati tuæ, atque in Apolicam Sedem cultui, & obſervantiæ jure, ac merito deputamus. Atque utinam ſpei noſtræ, cui tuam quoque videris adjungere, par in abolendis penitùs Janſenianæ hæreſeos reliquiis, quibus adeò turbata eſt hactenus Eccleſia, fructus reſpondeat. Quâ quidem in re procurandâ, atque urgenda pro viribus, ſicut & ceteros Eccleſiarum Antiſtites, ita potiſsimùm Circumſpectionem tuam, quæ & præſtantiſsimæ Eccleſiæ præeſt, & ſacræ Purpuræ Dignitate, velut arctiore vinculo huic Sanctæ Sedi conjungitur, planè confidimus maximo Nobis adjumento eſſe futuram, omni ſcilicet adhibitâ paſtorali ſedulitate, labore, ac diligentiâ, ut quæcumque à Nobis auctoritate Apoſtolicâ, Deo adjuvante, definita ſunt, nullius aut arte eludantur, aut diſputatione retractentur, aut auſu temerario contemnantur. Sileat humana præſumptio, ubi Divino ore firmata Beati Petri Principis Apoſtolorum authoritas, quæ vel in indigno hærede non deficit, eſt loquuta, nec tantùm ſileat, ſed & in obſequium Chriſti, cujus vices gerit Romanus Pontifex, in captivitatem redigat intellectum. Ita nimirum univerſo Dominico Grege ſupremi Paſtoris, unde unitas Sacerdotalis exoritur, vocibus unanimiter obſecundante, id ipſum tandem dicemus omnes, quod olim optabat Apoſtolus, erimuſque perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententiâ. Maximas autem ſummo bonorum omnium Authori Deo gratias habemus, quòd conceptam à Nobis de ſingulari Circumſpectionis tuæ zelo fiduciam adaugeat maximè eximia, & nunquam ſatis laudata Chriſtianiſſimi Regis religio, ac pro tuendâ orthodoxâ Fide firmitas, atque conſtantia, ut propterea ſacræ ſimul, ac ſecularis poteſtatis in unum conſpirante conſilio, nihil Decretis Apoſtolicis, nihil Catholicæ Fidei, vel ab inquietis ingeniis, vel à contumacibus animis timendum omninò ſit. Gratulamur ergo & Nos viciſſim Circumſpectioni tuæ de brevi reſtituendâ Eccleſiis omnibus, ac præſertim Gallicanis tranquillitate, quamque egregiæ virtutes tuæ, & ſingularis in hanc Sanctam Sedem fides, ac pietas ſibi meritò vindicant, Pontificiæ voluntatis noſtræ propenſionem Tibi, quem plurimi

fa-

facimus, & acceptissimum planè habemus, maximoperè testatam facere cupientes, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Octobris 1705. Pontificatus Nostro Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Episcopo Augustodunensi gratias agit de munere insignis partis sacri Corporis S. Juliani Martyris, quam ad Sanctitatem Suam direxerat, illique vicissim Ligni Sanctissimæ Crucis particulam pollicetur.

Venerabili Fratri, Episcopo Augustodunensi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, salutem &c. A' Venerabili Fratre Philippo Antonio Archiepiscopo Episcopo Imolensi Nuncio apud Christianissimum Regem Nostro cognovimus Fraternitatem Tuam pro eximio suo in Nos studio non modò probè memorem fuisse desiderii, quo tenebamur obtinendi modicam aliquam partem ex sacro Corpore, quod isthìc asservatur, Beati Juliani Martyris, sed, ut ejus voti compotes omninò efficeremur, fuisse adeò solicitam, ut difficultates utique graves interjectas (quibus sanè, utpotè à pietate istorum Fidelium obortis, acquiescendum Nobis fuisset) sedula, ac solerti opera suâ, antequàm de iis admoneremur, expugnare curaverit. Spem certè nostram antevertit, imò longè superavit, eventus, ubi intelleximus ejusdem sacri Depositi partem, non quidem exiguam, sed imò insignem, atque præcipuam (quod ne molestum nimis Fidelibus istis acciderit, pro Paternâ nostrâ charitate magnoperè veremur) Parisiis apud ipsum Nuncium eleganti thecâ custoditam Nobis asservari. Quia verò in singulari diligentiâ per Te sic adhibitâ, ut devotioni nostræ erga beatum, ac præstantissimum Christi Pugilem satisfieret, tuæ erga Nos voluntatis satis, superque enituit magnitudo, cupimus nostram in Te omnimodam propensionem vicissim Tibi explicare, nihil gratius habituri, quàm si Nobis contigerit aliquid ad Tui, aut Ecclesiæ, cui tantâ laude præes, commodum, atque ornamentum, præsertim verò ad spirituale Populi istius solatium præstare. Interim verò, dum animum Tibi nostrum uberiùs declarandi opportunitates opperimur, volumus in benevolentiæ nostræ pignus, ut particulâ ex Ligno sanctissimæ Crucis, ubi primum commodè fieri poterit, ad Te mittendâ potiaris. Et Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decima septima Novembris 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Ducis Attrisci zelum laudat, quòd Evangelicorum Operariorum expeditionem ad Insulas in Oceano Sinico nuperrimè detectas apud Regem Catholicum magnoperè foveat, ipsumque ad negotium conficiendum hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Duci Attrisci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Ex Venerabili Fratre Francisco Archiepiscopo Larissensi Nuncio isthìc nostro cognovimus, quòd Majestas Catholici Regis insignem occasionem propagandi Catholicam Fidem in Insulas quasdam, & quidem Incolis frequentes, sed nondum à quoquam Nautarum nostri Orbis detectas, quarum fama per fortuitum quorumdam ad Philippinas Insulas appulsum elapsis annis innotuit, pro eximiâ suâ pietate, animique magnitudine, Nobis etiam enixè hortantibus, complexa, sit ac seriò cogitet de instituendâ, quamprimùm fieri poterit, expeditione, ut Evangelici Operarii eo loci avehantur, & spiritualis fructus, qualis profectò sperandus videtur, indè colligatur. Quæ Regii animi ad suscipiendum tam illustre consilium egregia propensio Nobis comperta esse non potuit, quin simul innotesceret Nobilitatem Tuam ope spectatæ suæ prudentiæ, præclarique in Religionem studii plurimùm in hunc scopum contulisse. Æquum itaque visum est Nobis, ut Tibi vicissim exploratum esset Te magnoperè hoc facto demeruisse Paternam nostram charitatem, quam usque magis Tibi conciliabis, ubi pergas sedulò illud ipsum propositum promovere, relaturus, præter meritum apud Deum, quod in primis spectandum est, omnia ejusdem nostræ in Te charitatis argumenta; Et Nobilitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Novembris 1705. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ARGUMENTUM

Electo Coloniensi S. R. I. Principi Electori consilium suscipiendi sacros Ordines, & ad Archiepiscopalem subindè Dignitatem ascendendi, quod Sanctitate Sua adhortante inierat, paternè gratulatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Josepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Coloniensi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, salutem &c. Initum à Nobilitate Tua consilium suscipiendi sacros Ordines, & propositum, quod animo versas, conscendendi per Ecclesiasticos Ordines ad eum usque Dignitatis apicem, quem demandati Tibi muneris ratio postulat, incredibile dictu est, quantâ cor nostrum lætitiâ repleverit. Quod enim jamdiù pro summâ nostrâ erga

Te charitate vehementer optavimus, hoc omninò fore ſperamus, ut ſcilicet ita per viam, in qua Te Dominus adduxit, progrediaris, atque ita conſiſtas in loco ſancto ſuo, ut Gregi, cui ille præeſſe Te voluit, poſsis tùm exemplo, tùm etiam operâ, atque authoritate prodeſſe. Nos quidem tanti voti compotes effecti enixis, aſſiduiſque precibus ab Eo, cujus potiſſimùm ope id factum arbitramur, efflagitabimus, ut, quemadmodùm miſericorditer ſolet, id, quod cœpit, in Te perficiat, & uberiora in dies gratiæ ſuæ chariſmata Tibi largiatur. Interim verò pietatem, & filiale tuum ſtudium plurimùm in Domino commendamus, quod in hac ipſa deliberatione, poſt Deum, Pontificiæ noſtræ ſolicitudini, & Paternis vocibus auſcultaveris, & ex iis etiam, quæ pro Paſtorali noſtro Munere palàm protulimus, profectum Tibi, ac ſpiritualem utilitatem paraveris, & jam polliceri Tibi poſſe videmur lætiores à Deo rerum eventus, quia ipſi obſecutus es, & quod rectum eſt, coram eo feciſti, in cujus boni auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die ſeptima Decembris 1705. &c.

ARGUMENTUM

Principem Joannem Chriſtianum Auguſtum ex Ducibus Holſatiæ, qui ejuratâ hæreſi orthodoxam Fidem amplexus fuerat, Imperatori enixè commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Egregiè, ut par eſt, de eximia Majeſtatis Tuæ virtute, animique magnitudine, ac religione ſentientes, gratam Tibi fore confidimus oblatam à Pontificiâ noſtrâ charitate occaſionem explicandi ſtudium, quo Te avitæ pietatis memorem, ac æmulatorem pro Catholicæ Fidei bono, atque incrementis fervere non ambigimus. Dilectus Filius, Nobilis Vir Joannes Chriſtianus Auguſtus ex Holſatiæ Ducibus veritatem orthodoxæ Religionis, quam, miſerente Domino, meruit agnoſcere, eodem propitiante non ita pridem alacri, & invicto animo eſt complexus, ac ut in gremium Matris Eccleſiæ ſe reciperet, adeò terrena flocci fecit, ut ſi à præclaro militiæ loco, quem in Acatholicorum copiis obtinet, ſibi propterea cadendum ſit, prout timere eſt, vel ſi bona, ac fortunæ, quæ à Matre id iniquè ferente ſubtrahi jam cœperunt, amittenda ſint, certum ſibi ſit à tam ſalutari propoſito non reſilire, in quo adeò non nutat, aut hæret animo, ut imò aſſiduis pietatis operibus, & Sacramentorum frequentiâ vocationem ſuam certam facere, & ſemper magis ſatagat comprobare. Qui itaque tam dignus videtur, cui inclyta tua pietas, & authoritas adſit, atque peculiariter opituletur, hunc Tibi pro Paternâ noſtrâ ſolicitudine enixè commendatum eſſe cupimus, certi interim Deum retributorem optimum non paſſurum eſſe unquam meritum, quod magnum indè contrahes, congruâ mercede deſtitui, ſed illud ab Eo repenſum iri amplioribus beneficiis, in

quorum auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ ſecundâ Decembris 1705. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Academiam Lovanienſem, quòd Pontificiam Conſtitutionem: Vineam Domini: *lætanter exceperit, laudat, & ad ſanam doctrinam ſtrenuè tuendam hortatur.*

Dilectis Filiis, Decano, & Facultati Theologicæ Lovanienſi.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Ex datis nuper ad Nos literis veſtris libenter audivimus, quanto cum gaudio Apoſtolicam noſtram adversùs Janſeniani erroris reliquias Conſtitutionem exceperitis, quavè animorum alacritate debitam eidem obedientiam pro ingenito Vobis in hanc Sanctam Sedem obſequio polliciti ſitis. Quod verò inſuper pro tuenda ſtrenuè Fidei veritate, quam Beatus Petrus in hac eadem Sede adhuc vivens, & præſidens univerſis Chriſtifidelibus præſtat, eximium zelum veſtrum prodideritis, laudamus admodùm, & peculiares bonorum omnium largitori Deo gratias agimus, qui in inſigni Facultate veſtra Orthodoxæ Religionis præſidium, & decus maximum Eccleſiis Belgicis repoſitum voluit, ut ſcilicet aſſiduis ſtudiis, ac laboribus Veſtris abundè valeatis exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos, qui contradicunt, arguere. Pergite igitur, Dilecti Filii, in ſuſcepto munere feliciter exequendo, & eliminatis penitùs ex Academiæ veſtræ finibus doctrinis variis, & peregrinis, quibus nonnulli nimis alta ſapientes apud ſemetipſos miserè abduci ſe paſſi ſunt, inviolabilis Petræ, ſupra quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, Dogmatibus, & Inſtitutis firmiter inhærete, Paternæque noſtræ, qua Vos omnes in Domino amplectimur, charitatis ampliora ſemper, ubi ſe occaſio dederit, argumenta expectate. Apoſtolicam interim Vobis Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ ſecundâ Decembris 1705. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

AR-

ARGUMENTUM

Gratum explicat animum Cardinali de Noailles, quòd intuitu Sanctitatis Suæ in Conventu Cleri Gallicani subsidium decerni curaverit ex proventu Ecclesiastico Archiepiscopo Cassellensi, & Episcopo Confertensi in summâ inopiâ, & calamitate pro Catholicâ Religione constitutis.

Dilecto Filio Nostro, Ludovico Antonio Tituli S. Mariæ super Minervam Presbytero, S. R. E. Cardinali de Noailles.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noster, salutem &c. Animum nostrum singulari quodam modo demereri, omnique curâ, ac diligentiâ in iis versari, quæ grata Nobis esse intelligis, præcipuum egregiæ tuæ in Nos voluntatis studium esse comperimus. Verùm tùm sanè anteactis officiis cumulum adjecisti, cum probè conscius quàm cordi Nobis esset, ut Venerabiles Fratres Archiepiscopus Cassellensis, & Episcopus Confertensis congruo aliquo præsidio juvarentur, quo se tueri possent in summâ inopiâ, ac in tantâ calamitate, quanta pro Catholicâ Religione perferre coguntur, desiderium nostrum, reique æquitatem tam solerter, tam disertè in Conventu Cleri Gallicani nuper habito explicasti, ut, quod summoperè optabamus, id feliciter evenerit, ut subsidium ipsis ex proventu Ecclesiastico ad eorum vitam decerneretur. Quæ sanè pia erga Fratres in tribulatione positos insignis istius Ordinis liberalitas incredibile dictu est, quanto solatio utrique Præsuli futura sit, & quàm additura sit animos ceteris Catholicis, qui eodem ærumnarum vento jactantur; nec tamen ampliori laude à Nobis est efferenda, utpotè quæ uberiorem mercedem à Deo æquo retributore est relatura. Interim verò Circumspectioni Tuæ, quæ charitatem nostram sibi arctius hoc nomine conciliavit, memorem, gratamque voluntatem profitemur, prout fusiùs explicabit Venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiscopus, Episcopus Imolensis, Nuncius isthìc noster; & Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Decembris 1705. &c.

ARGUMENTUM

Gaudium susceptum ex uberi fructu Apostolicarum Missionum, quas P. Fulvius Fontana è Societate Jesu in Helvetia peregerat, quinque Pagis Helveticis Catholicis explicat, eorumque pietatem laudat. Plura deindè subdit de novâ Missione in illis partibus ab eodem Religioso Viro quamprimùm habenda, & de peculiari negotio ad Orthodoxæ Fidei bonum, & Apostolicæ Sedis dignitatem pertinente, quod per Cardinalem Spadam sibi fusiùs exponi petit.

Dilectis Filiis, Sculteto, Landamannis, & Senatui quinque ex octo Pagis Helveticis Catholicis, videlicet, Lucernæ, Uraniæ, Subsilvaniæ, Svitii, & Tugii, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, salutem &c. Lætati sumus, sicut qui lætantur in messe, ubi Dilectus Filius Religiosus Vir Fulvius Fontana è Societate Jesu spiritualis fructus ex Apostolicis Missionibus isthic per eum, benedicente Domino, relati plenos veluti manipulos in Paternum nostrum sinum effudit. Siquidem audire Nobis gestientibus exposuit quanto fervore Fideles isti eximię vestrę pietatis exemplum secuti, Exercitia Christiana amplexi sint, quàm lubentes salutaria monita exceperint, quàm frequentes Supplicationibus, & Sacramentorum administrationi interfuerint; nec omisit præclarum pietatis, ac zeli specimen, quod in utroque Clero, Seculari scilicet, ac Regulari hac occasione effulsit, peculiariter apud Nos commendare. Quæ sanè omnia Pontificiam nostram charitatem Vobis adeò conciliarunt, ut facere non possimus, quin hoc ejusdem charitatis nostræ testimonium ad Vos deferamus, optantes, ut gaudium, quo proptereà repletum est cor nostrum, eos non lateat, qui illud Nobis tantâ suæ religionis ostensione pepererunt. Decet verò inter ceteros præcipuâ laude Vos prosequi, qui nedùm omni honoris significatione eumdem Religiosum Virum excepistis, sed ope, & auctoritate vestrâ effecistis, ut Missiones præfatæ magnâ animorum consensione, ac pace in tanto Populorum confluxu haberentur, itaut Acatholici ipsi habuerint, quod meritò in Vobis suspexerint, finitimi autem Fideles ad eadem studia magnoperè incensi sint; nam exemplo vestro factum est, ut alia etiam loca, quæ Vobiscum in Catholica Fide consentiunt, ut Solodorum, & Abbatiscella, itemque Civitas Badæ, & Capitula Beronæ, & Surscii eadem Exercitia pietatis, similemque Missionem apud ipsos haberi vehementer jam optent, ac postulent. Quorum Nos æquis, & salutaribus desideriis, ac votis ex animo adhærentes, præfato Religioso Viro pios hosce labores non modò non refugienti, sed adhuc alacriùs subire parato injunximus, ut remenso itinere isthuc properet, delaturus tùm testimonia Paternæ nostræ erga Vos charitatis, tùm Apostolicam Benedictionem nostro nomine iis omnibus elargiendam, qui ad peragenda occasione Missionum opera pietatis convenient: nec ambigimus, quin ceteri omnes fervorem vestrum in lucrandis supernæ gratiæ thesauris satagant æmulari. Quod autem attinet ad ea, quæ idem Religiosus Vir circa Turegum, & Rapersuilam pro dilatandâ Orthodoxâ Fide, hujusque San-

ctæ Sedis nomine, ac dignitate amplificandâ, ex mente vestra Nobis proposuit, quoniam gravi, & maturâ deliberatione opus habent, gratum profectò habebimus hęc ipsa fusiùs Nobis exponi per Dilectum Filium Nostrum Fabritium S. R. E. Cardinalem Spadam, quem ob eximias virtutes, spectatamque prudentiam plurimi sanè facimus; curabimus autem desideria vestra, quoad rectè fieri poterit, Paternâ charitate solari. Interim Vobis omnibus, Dilecti Filii, cum apprecatione bonorum omnium Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Decembris 1705. Pontificatus Nostri Anno Sexto.